3 1761 07838942 6

PRAELECTIONES

THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. S. J. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOLOGIAE PROFESSOR.

VOLUMEN III.

PRIMA EDITIO TUSCA

NOVISSIMIS CL. AUCTORIS CURIS ORNATIOR

PRATI,

EX OFFICINA RAYNERII GUASTI

MDCCCXLV

BX
1751
P453
V.3

LIBRARY
AUG 19 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

TRACTATUS

DE INCARNATIONE

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/praelectionesthe03perr

TRACTATUS

DE INCARNATIONE

PROOEMIUM

1. *Manifeste magnum est pietatis sacramentum*, inquit Apostolus, I. Tim. III, 16, *quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*. Ast ipsa magnitudine sua mysterium hoc imbecilliorum oculos perstrinxit, qui Dei opera ex proprio sensu dimetiri solent. Quare quovis tempore acerrimi dominicae Incarnationis hostes prodierunt; qui in duas classes dispertiuntur; alii enim ipsam penitus rejiciunt, alii germanam dominicae Incarnationis fidem labefactare adnituntur. In primo censu veniunt Hebraei et increduli, et qui his fere annis iis suppetias tulerunt rationalistae; in altero vero haeretici diversae denominationis.

2. Cum nobis negotium sit adversus utrumque hominum genus, majoris perspicuitatis gratia tractationem nostram in duas praecipuas partes dividimus; in quarum priori ea omnia complectimur, quae ad Messiam referuntur; in posteriori, quae ad Christum ipsum seu incarnatum Dei Verbum ac totius mysterii oeconomiam spectant.

3. Si qua porro est theologiae portio, quae curas nostras, studium ac sedulitatem postulet, primas profecto haec sibi vindicat, sive adversariorum numerum, impetus atque constantiam spectes, sive rei ipsius, de qua agitur gravitatem atque difficultatem. Deo propterea auspice, magna animorum alacritate et contentione ad propositum nobis fidei certamen descendendum est, ab eo auspicantibus, quod primo loco proposuimus.

PARS PRIOR

DE MESSIA, ADVERSUS HEBRAEOS

4. Quae ad Messiae doctrinam referuntur, revocari possunt ad ipsius promissionem et expectationem, ad ejusdem adventus epocham, munia et officia, ad personam denique in qua haec omnia effectum sortita esse conspiciuntur. De singulis propterea totidem capitibus ex ordine agemus.

CAPUT I.

DE MESSIAE PROMISSIONE ET EXPECTATIONE

5. Duplex distinguitur error circa hunc articulum; quorum alter eorum est, qui negant unquam fuisse a Deo Messiam promissum atque ab Hebraeis expectatum; alter vero est eorum, qui utroque dato, tum scilicet Messiae promissione tum expectatione, sub Messiae tamen nomine non peculiarem ac determinatam personam, sed quemlibet temporalem liberatorem designari autumant. Prius adstruunt illi omnes ex Germania praesertim (1), qui nuspiam in sacris litteris, multo vero minus in Pentateucho ejusmodi promissionem reperiri affirmant, Messiae autem expectationem non esse nisi consolatoriam quamdam

(1) Jam sub finem seculi elapsi, quo longe lateque cuncta innovandi cupido et receptae fidei fundamenta evertendi furor in Germania animos protestantium invaserat ac diffundi coeperat, hoc commentum ortum habuit, opinionem scilicet de venturo Messia non incidisse Hebraeis ante Davidem; tum vero sub hoc bellicosissimo rege, cum eorum nomen et potentia valde excrevisset, in spem eos venisse, fore ut totius terrarum orbis potirentur imperio; atque eos hunc regem, sub quo istud futurum esset, suum sibi constituisse Messiam, solo imaginationis aestu ductos. Scripsit integrum librum de hoc argumento Henricus Stephanus, qui editus est Norimbergae anno 1787. Imo eo res progressa est, ut Harlemi in Hollandia societas theologorum anno 1792 praemium proposuerit ei, qui melius solvisset problema: *Extentne prophetiae in V. T. ipsum Christum proprie concernentes*. Scriptum porro hoc super argumento societati obtulit Joan. Konynemburg, quo negavit ejusmodi existere prophetias, ac praemium tulit. Haec autem lucubratio postea typis edita est;

spem postremis judaicae Reipublicae temporibus invectam ex perperam intellectis obscurioribus quibusdam prophetarum locis. Ex hoc principio alter prodiit error, quem non ita pridem adstruxit Salvador; qui contendit, nullum peculiarem ac determinatum Messiam in lege promitti, sed generatim quemcumque temporalem salvatorem, qui populum Israëliticum a servitutis et oppressionis statu in libertatem vindicaverit atque tutaverit. Ex quo infert, tot jam advenisse Messias, quot populo suppetias tulerunt eumque liberarunt, non solum ex Hebraeorum gente, verum etiam ex exteris gentibus, licet idololatris; cujusmodi inter ceteros fuit Cyrus, qui in Scripturis *Christi* seu Messiae nomine donatur. Quo sensu vere dici posset, tum Messiam advenisse, tum adhuc esse venturum (1).

6. Ab his parum abludunt sansimoniani, qui fabulantur, per Messiam non significari nisi quemlibet politicae libertatis assertorem ac propagatorem, vel etiam humanae naturae moralem restauratorem; qui multiplex pariter esse potest, quandoque etiam femina (2).

7. Hos quidem omnes possemus jure contemnere, nisi iis arma suppeditassent rationalistae, qui fucatae cujusdam eruditionis apparatu totam *Messianismi*, ut vocant, seu *Christologiae Judaeorum* doctrinam labefactant. In istorum enim hypothesi non esset Messias nisi fundator aut conditor cujusdam idealis regni felicissimi, quasi aureae aetatis a prophetis varie descriptae et genti judaicae promissae, tum maxime illius verorum Dei cultorum societatis ad honeste beateque vivendum in terrarum orbe instituendae, et in vita futura continuandae novaque felicitate ornandae; cujus spei semina in V. T. libris sparsa reperiuntur (3).

cumque eam recensuisset Eichhorn, *Biblioth.* tom. VII, pag. 334, praemissa ejusdem historia et occasione, addit, rem hanc, de qua in Hollandia ejusmodi dubium viguerat, nulla in Germania excitaturam fuisse quaestionem, de qua nihil novi jam posset dici, quae plene discussa summa cum libertate jam a quinquennio hic defensa esset. Cfr. Joan. Nep. Alber e Sch. Piis, *Institut. Hermeneut. Scripturae Sacrae*, Pestini 1817, tom. I, Prolegomena, pag. 40 et seq. Idem paradoxum, de consolatrice spe concepta a Judaeis de Messia subsequentibus temporibus, jam pridem Voltaire effutierat in opere, cui titulus: *Fragmens sur divers sujets, par ordre alphabétique*, art. *Messie*, opp. edit. Genev. 1777, tom. XXXVIII.

(1) *Hist. des institutions de Moïse et du peuple hébreu*, par J. Salvador, Paris 1828, t. III, II part. liv. IV, *Des prophéties politiques de Moïse et des Messies.*

(2) Recolantur quae scripsimus, vol. II, *Tract. de Deo*, n. 237, not. 2. Cfr. Rosmini, op. cit. *Frammenti di una storia dell' empietà*, Mil. 1834, p. 165: *Una nuova forma*, inquit, *di questa antica deificazione della carne, parmi quella che usano i sansimoniani, quando dicono di andar cercando non pur la femmina libera, ma la femmina* Messia. *Il loro capo nell' udienza de' 28 Agosto 1832, dove fu condannato, egli e la sua setta, come rei di pubblica oltraggiata morale, non dubitò di dire: che egli credeva essere il precursore di questa femmina Messia, come s. Giovanni è stato per Gesù!!*

(3) Ita passim rationalistae et biblici neoterici. Cfr. Wegscheider, *Inst. theol. christ. dog.* § 120, n. (1); qui tamen perperam pro hac sententia citat Schoettgenium, qui e diametro ipsi adversatur, ut postea videbimus. B. Koppe in *Novo Test. graeco, perpetua annotatione illustrato*, Gotting. 1791, vol. VI, excursu I, ad Epp. ad Thessal. *De regno Christi in N. T. formulis* βασιλειας Θεου, etc., non aliam Hebraeis *regni Mes-*

8. Ut igitur ejusmodi commentis obviam eamus, et fundamentum praejaciamus eorum, quae in priori hujus tractatus parte disceptanda erunt, duo a nobis constituenda sunt : *primo* quidem ostendendum est, aliquem Messiam fuisse a Deo promissum et quovis tempore ab Hebraeis expectatum ; *secundo* promissum hunc Messiam peculiarem, unicum ac determinatum esse. Postremus enim error, qui versatur circa Messiae qualitatem, commodius disjicietur, cum recurret sermo de ejusdem muniis et officiis.

PROPOSITIO I.

Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebraeis expectatus

9. Aliquis enim Messias fuit a Deo in Lege (1) promissus atque ab Hebraeis quovis tempore expectatus, si 1. id perspicua ostendant Scripturarum, praesertim vero Pentateuchi oracula ; si 2. idipsum confirmetur ex perpetua ac numquam interrupta Hebraeorum tum antiquorum tum recentiorum traditione, nec non traditione omnium ferme populorum.

10. Jam vero ad Scripturarum oracula quod attinet, nota sunt quae Deus, Gen. III, 15, serpenti seu potius daemoni sub serpentis larva latenti comminatus est his verbis : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*. Quae verba merito passim πρωτευαγγέλιον vocantur ; illis siquidem primo Deus spopondit, per semen mulieris caput deceptoris, daemonis nempe, aliquando contritum iri ; hominem autem in libertatem asserendum ab illa servitute, in quam misere per peccatum se conjecerat. Ita oraculum istud universa intellexit antiquitas. Etenim Sap. II, 24 legitur, *invidia diaboli* mortem intrasse in orbem terrarum ; Christus pariter, Joan. VIII, 44, diabolo protoparentum lapsum adscribit ; clarissime vero Apoc. XII, 9 dicitur : *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem*. Hinc passim a Judaeis malorum daemoniorum princeps *serpens vetus* vocatur (2). Documenta, quae evincunt eamdem traditionem viguisse apud antiquos Asiae populos, suo loco dedimus (3). Nullum itaque dubium esse potest, quin in citato loco agatur de lapsu, ad quem protoparentes a daemone inducti sunt, ac propterea de eorumdem, imo de totius humani generis a peccati ac daemonis servitute, futura liberatione per promissum Salvatorem seu Messiam (4).

siae ideam inhaesisse, quam regni temporalis theocratici, modis omnibus evincere nititur ; et, quod magis mireris, pag. 108, hanc eamdem opinionem *Jesum ipsum* concepisse.

(1) Sub generali *Legis* nomine, ut notum est, veniunt quinque Moysis libri, atque hoc sensu adstruitur propositio.

(2) הַנָּחָשׁ הַקַּדְמוֹנִי. Loca e scriptis Judaeorum collegit Eisenmenger in op. inscripto : *Das entdeckte Judenthum*, seu *Judaismus detectus* : vol. I, p. 822.

(3) Tom. II, pag. 308, 380, not. I.

(4) Eruditam dissertationem de hoc argumento dedit Cornel. de Hase, inscriptam : *De protevangelio paradisiaco Diatribe*, in novem capita distributam, ubi hoc, ut vocat, *Oraculum oraculorum*, omni ex parte versat ac tuetur. Prostat in *Thesauro theologico-philologico sive Sylloge dissertationum* etc. Amstelod. 1701, vol. I, fol. pag. 67 et seqq. Cfr. etiam Sherlock ; *L'u-*

11. Nec destitit Deus sequentibus temporibus ab hujus promissionis fide identidem in hominum mentibus insculpenda, ut viva semper servaretur; imo quo propius accedebat implendae hujus promissionis tempus, eo clariora et illustriora edebat oracula, ut hac spe homines recrearet ac solaretur. Etenim, Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18, promisit Deus Abraham, in ejus semine omnes gentes benedicendas fore. Quas promissiones item, Gen. XXVI, 4 et XXVIII, 14, Isaac et Jacob renovavit. Agi autem in adductis locis de benedictione per promissum Salvatorem obtinenda, patet ex constanti Hebraeorum sensu ac traditione; juxta quam Apostolus, Gal. III, 8, eam de Messia exponit, dicens: *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenunciavit Abrahae: quia benedicentur in te omnes gentes;* et clarius etiam v. 14. Ex quibus verbis explodituir expositio neotericorum docentium verba promissionis Dei significare futuram propagationem cognitionis Dei inter gentes per Abrahae posteros. Idem aperte confirmatur ex celeberrimo Jacobaeo oraculo, nec non ex ceteris prophetarum vaticiniis, in quibus tempus, locus promissi Messiae nec non ejusdem Messiae proprietates, munia et officia distincte praenunciantur; quae inferius singillatim expendemus.

12. Atque hinc factum est, ut omnes Judaeorum sectae, pharisaeorum nempe, sadducaeorum, essenioram, herodianorum ex antiquis, atque ex recentioribus karaïtarum, qui traditiones respuunt (1), et rabbanitarum, qui eas una cum Scriptura recipiunt, unanimis et concors sententia fuerit circa Messiae articulum. Hinc factum pariter est, ut Samaritani, etsi longe ante captivitatem babylonicam a judaica tribu fuerint separati, nec alios libros praeter Pentateuchum, ut plerisque saltem eruditis placet (2), tamquam sacros admiserint, attamen et ipsi fi-

sage et les fins de la prophétie; trad. de l'angl. Paris 1754, tom. I, discours III, pag. 100, *Du fameux oracle de la Genèse*, III, 15; qui pariter copiose de hoc argumento disserit. Vid. Nicolaï, S. J. *Sul Genesi*, lez. XXVII, XXVIII. Perperam Ammon, *Bibl. Theol.* II, 49 et seqq. hoc vaticinium, *protevangelii* nomine insignitum, de universo hominum et serpentum genere rectius quam de uno ex mulieris posteritate intelligendum contendit. Quod commentum jamdiu everterat Petrus Cunaeus, *Diss.* III, *De Republ. Hebraeor.* in *Thesauro* Ugolini, tom. III, pag. 819, et pag. 829 et seq.

(1) De antiquis Judaeorum sectis scribit Flavius Josephus, *Antiquit.* lib. XVIII, cap. II. De recentioribus inter ceteros agit Joan. Bened. Carpzovius, in *Introductione in theologiam judaicam*, quam praefecit novae a se adornatae editioni *Pugionis fidei* Raym. Martini, Lips. 1687, capp. III, IV et V; in quibus ostendit, sectam *rabbanitarum* pharisaeorum esse propaginem, *karaïtarum* seu *karaeorum*, surculum esse sadducaeorum. Per Europam longe lateque diffusi sunt rabbanitae, qui praeter Mosis et prophetarum scripta traditiones orales, in opere thalmudico comprehensas, amplectuntur, quas velut fidei et vitae regulam pari pietatis affectu cum lege scripta suscipiendas atque observandas credunt. Karaei vero in Orientis potissimum regionibus cogniti sunt; legem oralem et traditiones thalmudicas omnes rejiciunt, nec aliud fidei fundamentum recipiunt quam Scripturam Mosis et Prophetarum. De Karaeis cfr. Diss. Jac. Triglandii et Diss. Levini Warneri, in *Thesauro* Ugolini, tom. XXII.

(2) Cfr. Joan. Morinus, *Exercitation. ecclesiast. in utrumque Samaritanorum Pentateuchum*, Paris. 1631, Exercitat. I, § 8; Jahn, *Archaeologia biblica*, Viennae 1814, § 326.

de in Messiam promissum nutrirentur, ut patet ex Joan. IV, 25-29 et 42. Hinc demum factum est, ut neque Christus neque apostoli disputare circa ejusmodi promissionem aut expectationem aliquando debuerint; cum omnibus ea aetate persuasum fuerit, tum promissum a Deo Messiam fuisse, tum ejusmodi promissionem omnium votorum objectum fuisse; ut ex levi Novi Testamenti inspectatione compertum fit.

13. Adeo vero pervulgata erat Judaeorum persuasio, ut percrebuerit per omnes regiones orientales; id testantur Suetonius et Tacitus. Prior enim scribit: *Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur* (1). Alter vero: *Pluribus persuasio inerat*, inquit, *antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judaea rerum potirentur* (2). Quare receptum erat ex antiqua traditione illud gentium omnium orientalium theologiae principium de mediatoris alicujus expectatione ad perturbatum ordinem inter Deum et genus humanum restituendum. *Quapropter*, inquit Plutarchus, *et antiquissima haec descendit ex theologis et legislatoribus tum ad poëtas tum ad philosophos opinio, quae a nullo certo auctore habet principium, persuasionem autem firmam et indelebilem, neque in sermonibus tantum, neque in traditionibus, sed in mysteriis et in sacrificiis et apud barbaros et apud graecos multis in locis pervulgatam*, etc. (3), nempe de *Mediatore* inter duo principia, quem Persae *Mitram* vocant. Cujus traditionis documenta apud Aegyptios, Chaldaeos, Zabianos seu Sabaeos, Graecos, Romanos, imo et inter Indos, Sinenses, Japones; Americanos ipsos aliosque populos extantia viri docti exhibent (4); adeo ut vero scribere potuerit doctus Prideaux, expectationem sive necessitatem cujusdam mediatoris inter Deum et homines fuisse usque ab initio, opinionem praevalentem *apud omnes populos* (5).

14. Quibus delibatis, sic instituimus

(1) Sueton. in *Vespas.* cap. 4, edit. Taur. 1824, opp. tom. II.

(2) *Hist.* lib. V, cap. 13.

(3) Διὸ καὶ παμπάλαιος αὐτὴ κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δύξα, τὴν ἀρχὴν ἀθέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν καὶ δυσεξάλειπτον, οὐκ ἐν λόγοις μόνον, οὐδὲ ἐν φήμαις, ἀλλὰ ἔν τε τελεταῖς ἔν τε θυσίαις, καὶ βαρβάροις καὶ Ἕλλησι πολλαχοῦ περιφερομένην, κ. τ. λ. *De Iside et Osiride*, opp. edit. fol. Paris 1624, tom. II, pag. 369. Deinde refert doctrinam de duobus principiis sibi invicem adversantibus ac de *mediatore* inter utrumque, quam adoptavit Zoroaster, et ex eo Persae, aliique orientales et occidentales populi.

(4) Cfr. *Mémoires de l' Académie des Inscript.* tom. XXXI, par Mr. l' Abbé Miguot, pag. 81 et suiv. et pag. 207 et suiv.; *Bibliothèque univers.* Genève 1822, tom. XX, littérature, art. *Religion. Tableau de l' état actuel du Christianisme sur le globe*, esquissé par Henri Zschokke. Quatr. extrait, *Amérique*, pag. 12. Hic tamen auctor, utpote fanaticus protestans, totus in eo est, ut protestantismum super catholicismum extollat. Hinc nullis mendaciis, calumniis et falsitatibus parcit ad finem sibi propositum obtinendum. Maurice's *Hist. of Hindostan*, vol. II, Book IV, omnium hanc fuisse Indorum persuasionem evidenter ostendit. Eamdem obtinuisse apud Sinenses evincit auctor vitae Confucii ex Siam-Kiao, et P. Intorcetta S. J. in vita Confucii. Eadem est theologia Japonum, Mexicanorum, etc. Cfr. etiam Ramsay, *Discours sur la mythologie*, Paris 1728, pag. 9 et suiv.

(5) *Hist. des Juifs*, part. I, liv. 3, tom. I, pag 393, Paris 1726.

argumentum : Hic agitur de quaestione facti, utrum scilicet Deus promiserit nec ne, in Lege praesertim, aliquem Salvatorem seu Messiam, et utrum Hebraei, quovis tempore eumdem expectaverint; jam vero ex allatis documentis utrumque certissime constat; constat igitur quod ostendendum assumpsimus.

DIFFICULTATES

15. I. Obj. 1. Expectatio et fides in Messiam non fuit nisi consolatrix quaedam spes seriori tantum aetate in vulgus Hebraeorum sparsa; atque 2. ex lectione Prophetarum divinando temere derivata; de qua nihil habetur in Decalogo, nihil in Levitico, ceterisque Libris Mosaicis, in quibus omnia hebraicae religionis summa capita continentur. 3. Nuspiam dicitur: *Credite in Messiam*. Ita quidem Voltaire (1) et ante ipsum Orobius (2). Quare 4. dicendum est, subdit Salvador (3), Salvatorem sive Messiarum ideam ortam esse ex divinis minis atque promissis; 5. quae cum non contineatur conceptis verbis in quinque libris fundamentalibus, nullo modo constituit fidei articulum respectu Hebraeorum; quidquid contra contendat Maimonides, qui vel eo nomine vapulat a Rabbi Josepho Albo, quod nimis amplificaverit numerum articulorum fundamentalium Legis Mosaicae, inter quos retulit expectationem Messiae. 6. Albo praeivit Hillel, ante Hierosolymorum excidium Synedrii praeses, qui contendit, Israëlem nullum habere, quem expectet Messiam. Ergo.

16. Resp. Ad 1. *Neg.* Cum ejusmodi assertio sit contra factum; alioquin enim nulla jam ratio dari posset unanimis illius conspirationis atque consensus in hoc fidei articulo admittendo sectarum omnium, et, quod caput est, Samaritanorum, qui quatuor circiter saeculis ante captivitatis Babylonicae tempora a Judae tribu schisma fecerunt, quique ex verisimiliori sententia non alios libros ut sacros admittebant praeter Pentateuchum. Eidem non accessisset totius fere orbis consensio, Indorum praesertim atque Sinensium, qui vel a primis imperii sui temporibus eam repetunt traditionem.

17. Atque hinc falsum esse eruitur, quod 2. adjiciebatur de spe comparata ex lectione prophetarum; tum quia ejusmodi assertio gratuita est sine tabulis ac sine testibus prolata, tum quia quae ex Pentateucho monumenta protulimus, et quae mox iterum subjiciemus, eam prorsus convellunt; tum denique quia universae Israëliticae gentis persuasioni ac traditioni aperte adversatur.

18. Mirum autem esse non debet, quod nulla occurrat Messiae mentio in Decalogo, cum in eo agendorum potius

(1) Loco jam citato.

(2) Apud Philippum a Limborch, *De Verit. relig. christ. amica collatio*, Goudae 1687. In primo enim scripto dato ad Limborchium Orobius statim incipit: « Cum fides in Messiam, Redemptorem futurum, non minus necessaria fuerit a mundi exordio quam in Deum creatorem; imo magis, quia non potest esse fides in Messiam, quin supponatur Deus; maxime in Deum absque Messia, quaeritur, quare Deus fidem in seipsum saepissime et clarissime Israëli commendaverit in universo V. T. et fidem in Messiam numquam commendaverit; in qua tamen consistebat tota salus? Quod si fecit, petitur, ut assignetur locus aliquis, in quo Deus mandaverit, aut dixerit expresse, quod fides in Messiam sit absolute necessaria ad salutem generis humani, adeo ut, qui non crediderit, damnandus esset, » etc.

(3) Loco cit.

regula tradatur quam credendorum. Quae animadversio aeque in Leviticum quadrat; hic enim liber totus in eo est, ut sacerdotes et levitas instituat circa exteriorem Mosaicae religionis cultum ac caeremonias.

19. Falsum denique est, in reliquis Moysis libris Messiae promissionem minime reperiri. Etenim praeter palmaria loca, quae adduximus ex Gen. III et XLIX, luculenta sunt Moysis verba, Deut. XVIII, 15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus; ipsum audies;* tum verba Dei ipsius, ibid. 18: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi; qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego ultor existam.* Quae quidem verba de Messia, non de prophetarum successione, ut ait Salvador post Orobium, esse intelligenda, non modo veteris synagogae rabbini (1), sed et universa judaica natio ostendunt. Ex hujus enim persuasione factum est, ut Petrus et Stephanus, ille Act. III, 22, iste cap. VII, 37, palam ac publice pro concione de Messia illa exposuerint, nullis repugnantibus Judaeis, quos alloquebantur. Nec vero alius, excepto Messia, propheta surrexit post Moysem in Israël, qui sive potestate, sive prophetandi vi, sive Dei familiaritate similis Moysi dici potuerit; prout Deut. XXXIV, 10, adnotatum est (2). Unde colligitur, Moysem de Messia fuisse locutum; quod Christus ipse testatus est, Joan. V, 46, Judaeis dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.*

20. Ad 3. *Dist.* Conceptis verbis, *C.* aequivalentibus *N.* ut patet ex modo dictis. Addo, obligationem credendi in Messiam oriri ex ipsa manifestatione seu revelatione promissi Messiae, quemadmodum oritur obligatio credendi in Deum ex ipsa ejus manifestatione, etsi nullibi scriptum in lege sit: *Credite in Deum*, ut adversus Orobium animadvertit Limborchius (3).

21. Ad 4. *Neg.* Orta siquidem est Messiae idea seu cognitio et expectatio ex promissione protoparentibus facta, Gen. III, ac saepius iterata Abrahae, Isaac, Jacob, Judae etc. juxta ea quae in probationibus adducta sunt. Divinae porro comminationes atque pollicitationes

(1) Cfr. Raym. Martini, O. P. *Pugio fidei, cum observat. Jos. Du Voisin*, edit. Carpzovii, pag. 161 et 474, praesertim vero 886, § 9 et seqq. Hac autem editione deinceps utar.

(2) Cfr. Eusebius, *Demonst. Evang.* lib. III, cap. 11, ubi multis prosequitur similitudinem, quae inter Mosem et Christum intercessit, ac praecipue potestatem ac munus legislatoris et redemptoris. In Catechismo judaico, quem ex editione Synagogae Amstelodamensis hebraice ad verbum recensitum edidit Carpzovius, *Introduct. ad Theologiam judaic.* cap. 9, et qui inscribitur ספר לקח טוב, *Liber doctrinae bonae*, art. 7. proponuntur quatuor res, quibus Moyses inter prophetas ceteros excelluisse dicitur; quas quilibet illic recolere poterit, pag. 48 et seq. Id ipsum praestat eleganter Rab. Abarbanel, apud Joan. Meyerum, *Tract. de temporibus sacris*, etc. in *Thesauro* Ugolini, tom. I, pag. 533. Cfr. M. G. Frid. Meinhart sub Frischmutho, *Dissertat. de propheta Mosi pari*, *Deut.* XVIII, 15, quae extat in *Thesauro theologico-philolog. sive Sylloge dissertationum ad selectiora et illustriora V. et N. T. loca*, Amstelodami 1701, vol. I, pag. 384 et seqq.

(3) Op. cit. Resp. ad primum quaesitum.

ad summum eam jamdiu animis praeconceptam aluerunt atque foverunt. Prophetae numquam destiterunt ab eodem Messia praenunciando, ut ex dicendis luculentius constabit. Talia sunt fundamenta ejusmodi expectationis, quae tam altas radices in universa Hebraeorum gente fixerat, ut numquam divelli potuerit. Haec praeterea exceptio falso principio laborat, nempe Messiae missionem non habuisse ex Judaeorum opinione nisi solum objectum temporale, cum tamen de contrario omnino constet (1).

22. Ad 5. *Neg.* Expectatio siquidem Messiae ceu totius Mosaicae religionis caput ab omnibus tum antiquioribus tum recentioribus Judaeis spectata fuit, nec nisi serius ab incredulis nonnullis in dubium ea revocata est; ita ut, quemadmodum animadvertimus, numquam Christus aut apostoli disceptare debuerint de ejusmodi articulo; sed, eo extra omnem dubitationis aleam ab omnibus prorsus tamquam principii loco constituto, controversia agitabatur de sola Messiae persona. Quare non temere ac perperam, sed totius synagogae sensum expressit Maimonides, dum art. XII. statuit, ab omnibus et singulis Judaeis firma fide credi oportere *in adventum Messiae* בְּבִיאַת הַמָּשִׁיחַ, ut in ipsorum libris symbolicis declaratur (2). Quin etiam in Thalmude, Tract. *Sanhedrin*, cap. *Chelek*, diserte legitur: *Omnes prophetae non vaticinati sunt nisi de diebus Messiae* (3); ut cetera jam commemorata praeteream. Hinc etiam colligitur, immerito ac per summam injuriam a Josepho Albo Maimonidem reprehendi.

23. Ad 6. *D.* Contendit Hillel, nullum jam habere Israëlem, quem expectet Messiam, postquam is advenerat, *C.* antequam advenisset *N.* Porro Hillel ex eorum numero erat, qui noluerunt Messiam in Christo Jesu agnoscere, in quem, ut infra ostendemus, omnes epochae a prophetis assignatae pro Messiae adventu conspirabant. His vero elapsis, de ulteriore Messiae adventu desperans, jure inferebat, nullum jam habere Israëlem quem expectaret Messiam (4). In-

(1) Hoc magis ex dicendis in decursu tractatus constabit. Interea cfr. Luc. III, 15; Joan. I, 19 et seqq.; IV, 25-29, et 42; VI, 14, et alibi; ex quibus luculentissime patet, Judaeos et Samaritanos tempore Christi nondum exuisse ideam Messiae spiritualis, thaumaturgi, prophetae etc. etsi utramque ideam spiritualis et temporalis regni conjungerent. Cfr. etiam Raym. Martini, part. III, cap. IV, § 4, et alib. Verum de hoc postea.

(2) Cfr. *Catechismus judaicus* cit. ubi inter articulos fundamentales fidei ponitur *Articulus duodecimus: Deum missurum esse Messiam, qui Redemptor futurus sit populi sui, et quem, etiamsi retardet adventum, expectare teneamur. Qui quidem Messias e semine David surculus Isai Bethlehemitae erit, idemque judicio stabiliet terram, et judicabit gentes multas*, etc. Hinc R. Moyses, filius Maimon, in suis *Hilcot*, id est, *Sententiis* in *Sophetin* sive *Judicibus*, tract. *De Regibus*, cap. XI, aperte pronunciat: *Quicumque non credit in Regem Messiam, vel qui non expectat adventum ejus, non solum est incredulus prophetis, sed etiam legi et Mosi doctori nostro.* Integrum textum exhibet Martini op. cit. part. III, dist. 3, cap. 9, § 3, pag. 766.

(3) כל הנביאים כולם לא נתנבאו אלא לימות המשיח: Alios textus cfr. apud Martin, pp. 347 et 674.

(4) En verba ipsius Hillelis, ex *Thalmude*, Tract. *Sanhedrin* seu *De Synedriis*, prout prostat cap. XI, edit. Cocceji, excerpt. XXXI, pag. 351; et excerpt. XXXVI, pag.

de autem novum potius exurgit argumentum ad evincendum, per id temporis omnes fuisse in expectatione Messiae.

24. II. Obj. 1. Opinio illa de Messia, id est, regni felicis conditore, quem hoc nomine in libris V. T. nondum appellatum invenimus, diviso in duo regna imperio Israëlitico, e spe meliorum temporum, Joël. III, 2, et seculi quasi aurei animis informata esse videtur; quamquam notiones et spes Messianae, improprie sic dictae, hoc est, futuram quamdam gentis Israëliticae conditionem felicissimam praesagientes, Patriarcharum aevo jam adscriptae reperiuntur, Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14, coll. Eccli. XLIV, 22 et 23. 2. Primus enim Davides populum dissidiis et factionibus perturbatum consociarat, et ad potentiam opulentiamque egregie evexerat. Sed aureum illud seculum, facta imperii in duo regna divisione, evanuit. Non igitur mirum erat, redintegrandi ejus spem in regia Davidis domo poni, sensimque aliquem ex ejus posteris felicis theocratiae instauratorem futurum *divinari* (1). 3. Quo proclivius deinde successu temporis summa respublica ad exitium ruere videbatur, eo propiorem spei hujus implendae conditionem fingebant (2); et, pro illa, quae Hebraeorum mentibus insederat, theocratiae notione, novum imperium, non civili solum et publico jure, sed morum quoque innocentia et religionis sanctitate fundatum iri existimabant . . . . Apud prophetas, qui vel proxime ante exilium babylonicum extiterunt, vel ei fuerunt aequales, vel post reditum ex eo vixerunt, itemque in libris apocryphis illam feliciorum temporum spem universe adumbratam videmus (3); 4. at in Danielis vaticiniis pressius definitam novisque augmentis cumulatam. In his enim imperium aliquod describitur *ideale theocraticum*, quo *symbolice* adumbratur ficta *filii hominis* (בַּר אֱנָשׁ) persona, Judaeis destinatum (4) ut quinta orbis terrarum monarchia (5), post multas calamitates eventura, eaque aeterna et immutabilis, et cum mortuorum resurrectione et judicio extremo conjuncta (6). Iste vero filius hominis, qui in nubibus apparens fingitur (7), pro symbolo totius monarchiae quintae, non pro Messia habendus est. Ita rationalistae (8). Ergo Messiae promissio et expectatio non est

359 : כלו כל הקצין : אין משיח לישראל : seu: *Expirarunt omnes termini : jam nullus Messias pro Israële*. Et hic deprehenditur mala fides Salvador, qui tamen magni facit auctoritatem Thalmudis. De Thalmude inter ceteros legi potest Du Voisin, *Praef. ad prooemium Pugionis fidei*.

(1) Mich. V, 1 et seqq.; Is. IX, 5, 6; VI, XI, coll. IV, 2; Ezech. XXXIV, 23 et seqq.; XXXVII, 21 et seqq.; Jerem. XXIII, 5; XXX, 9; XXXIII, 15; Osc. III, 5; Zacch. III, 8; VI, 12, ubi nomen צֶמַח de Messia dictum.

(2) Agg. IX, 6-9, 21-23; Zach. II, 9-17; III, 8-10; VI, 12 et 13: Mal. II, 17; III, 6; III, 13-18.

(3) Sophon. III, 9-20; Is. LX, LXVI; Agg. II, 5-9; Zach. XII-XIV; Mal. III, 1-6, 19-24; I. Mach. II, 57; Bar. IV, 21 et seqq. V; Eccli. XXXII, 18 et 19 et 33; XXXVI, 12-17; XLIV, 13; XLVII, 11; Tob. XIII, 7-18; XIV, 4-7; II. Mach. II, 18. Quinque hi postremi libri ii sunt, quos adversarius nomine apocryphorum commemorat.

(4) Dan. II, 44 et 45; VII, 27 et seqq

(5) Ib. II, 44; VII, 26.

(6) Ib. XII, 2.

(7) VII, 13 et 14.

(8) Cfr. Wegsch. § 120, not. b.

nisi vana spes idealis, orta ex melioris conditionis desiderio, ac prophetarum poeticis fictionibus fota (1).

25. Resp. *Neg. ant.* Quod consutum non est nisi ex ludicro imaginationis aestu absque ullo documento; cui facta luculentissima adversantur; quodque sacrae Scripturae evertunt, traditiones judaicae gentis et traditiones omnium populorum explodunt; ut partim ex allatis documentis constat, partim vero ex dicendis apertius constabit.

26. Ad 1. *Neg. suppositum*, gratis ab adversariis confictum, quodque se ipsum destruit, opinionem scilicet de Messia informatam esse e spe meliorum temporum. Ea enim informata est ex Dei revelatione, quae, Gen. III, homini lapso promisit reparatorem non temporalem, seu felicis regni et aurei seculi fundatorem in sensu adversariorum, sed spiritualem, qui nempe daemonis destrueret imperium, et veram religionem instauraret et redintegraret; prout illud oraculum, uti jam diximus, et universa intellexit antiquitas, et traditio nobis significavit. Nec aliam Messiae notionem ingerunt pollicitationes Abrahae ceterisque patriarchis factae in locis Gen. citatis. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*, per fidem in Messiam, ut exponit Apostolus, Gal. III. 8; quem rationalistae bono animo ferent, ut ipsis praeferamus in Sacrarum Litterarum expositione.

27. Ad 2. *Neg.* iterum, tum quia expectatio Messiae longe Davide anterior est, tum quia Davides ipse saepissime in Psalmis de Messia rebusque ab eo gerendis loquitur, Christo ipso testante, Matth. XXII, 42 et seqq. Luc. XXIV, 27, 44, testantibus insuper evangelistis et apostolis passim, fatentibus ipsis Judaeis, qui plures Psalmos de Messia semper intellexerunt (2). Si igitur ante Davidem Scriptura loquitur de promissione et expectation Messiae, si Davides ipse saepe de eodem Messia loquitur, evidens est non ex divisione Israëlitici imperii spem ortam de aliquo Messia ex Davidis posteris nasciturо, nec sensim coepisse Hebraeos *divinare*, ut profani homines loquuntur, felicis theocratiae futurum instauratorem, multo vero minus ipsum Davidem in vitam restitutum iri, juxta parsismi doctrinam (3).

(1) Ib. § 50, not. c.

(2) Cfr. Raym. Martini, op. cit. part. II, dist. 1, cap. 7, § 14 et seqq. part. III, dist. 3, cap. 15, § 1, et alibi passim.

(3) Sic enim Rosenmüller in *Scholiis in V. T.* part. IV, vol. II, Lips. 1810, ad Ezech. XXXIV, 23, indicatis ejusdem Ezech. XXXVII, 24 et Jerem. XXX, 9, Ose. III, 5, locis, in quibus Messias *Davides* appellatur, scribit: « Atque locis hisce significari illum ipsum veterem Davidem, quem sperarent futuro aliquo tempore regnum priscum, sed multo amplius atque augustius restauraturum, minime improbabile fuerit. Alere enim poterat ejusmodi spem opinio illa veteribus communis fere, de rerum omnium ἀποκαταστάσει, revolventibus sese et redituris aetatibus. Certe huic opinioni consentanea erat veterum Persarum expectatio de redituro ultima mundi aetate rege vetere Paschutan, Gustaspi filio, quo Gustaspo regnante atque favente suam doctrinam promulgaverat Zoroaster. Illum igitur Paschutan, qui et ipse olim doctrinae Zoroastrianae in provincia Vardjemguerdiana ministrum se praebuerat, credebant Persae extremis temporibus veterem ac puram religionis doctrinam priscumque Persicum regnum ita esse restituturum, ut omnium abundantia et prosperitas atque pax universa terrarum orbem sint beaturae ». Vid. *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse*, par Silvestre de Sacy, Paris 1793, in-4. p. 94 seqq. Verum enim vero quis ignorat, Zoroastrum plura transtulisse in libros suos ex libris Judaeorum?

28. Ad 3. *neg.* ex causa, quam adversarii autumant, factum esse, ut Judaei *fingerent* propiorem spei hujus implendae conditionem, sed eo ferventiori desiderio praestolabantur Messiae adventum, quo ad exitum suum properare videbant terminos epochae ipsius adventus. Alioquin multo magis debuissent Messiam expectare sub finem regni Israëlitici, aut regni Juda, adeo debilitati ab Assyriis et Chaldaeis, potissimum vero sub Antiocho Epiphane. Attamen nemo per id temporis vel suspicatus est de Messiae adventu. Contra vero sub Herode omnes tenebantur hac expectatione, ut suo loco ostendemus. Diversae autem hujus agendi rationis quaenam causa esse potuit in adversariorum hypothesi? Series igitur factorum stultum systema rationalistarum eliminat ac plane subruit.

29. Hoc autem amoto fundamento, ruunt quae vere *finxerunt* adversarii de notione theocratiae, de novo ac felicissimo imperio, de feliciori temporum spe a Prophetis et libris *apocryphis* (deuterocanonicis) adumbrata. Haec enim omnia, supposita Messiae promissione atque expectatione tamquam basi et fundamento, riteque intellecta, ut postea exponemus, bene cohaerent; promissione et expectatione sublatis, nulla amplius ratione subsistunt. Aliud quippe est, rei veritate posita, eam diversimode exponere et amplificare, vel etiam prout est perperam intelligere, quod plerisque carnalibus Judaeis contigit, sub finem praesertim ipsorum reipublicae, ut enucleatius declarabimus; aliud vero est, rem totam de suo, ac solo imaginationis ferventioris aestu sibi confingere. Hoc enim postremum nonnisi paucorum est, nec nisi ad tempus contingere potest; ac facile evanescit. Expectatio autem Hebraeorum perpetua fuit ac totius nationis, nulla secta excepta, ita ut adhuc perseveret (1).

30. Ad 4. *Neg.* Nec enim in citatis Danielis locis sermo est de imperio aliquo *ideali theocratico*, sed de *reali* regno Messiae, quod in aeternum, ut ibidem dicitur perstare debebit, consumptis monarchiis illis pristinis, quae viam quodammodo juxta divinae providentiae ordinem ipsi paraverant, ut ex historia compertum est. Quod si quasi *Filio hominis*, qui cum nubibus veniebat, ut legitur, Dan. VII, 13. et seqq. et qui usque ad thronum Altissimi pervenit, data sunt potestas et honor *et regnum*, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servire perhibentur; si potestas, quae ei confertur, est potestas aeterna, quae non auferetur et *regnum ejus* non corrumpetur, patet, plane distingui *Filium hominis* a monarchia, quae eidem traditur. Nec obstat quod in visionis istius expositione dicitur, v.

Doctrinam vero *palingenesis* et *apocatastasis* non esse nisi corruptionem doctrinae jamdiu apud Hebraeos receptae de futura corporum resurrectione, ut suo loco ex Job. XIX, 25 et seqq. liquet? Sane Ezechiel, Jeremias, multo magis Oseas ipsum Zoroastrum praeceserunt juxta saniores criticos. Cfr. Feller. *Dict. Hist.* art. *Zoroastre*. Porro cit. loca intellecta semper fuisse a Judaeis de Messia *filio* David, non autem de ipsa Davidis veteris persona, ut inflati ac vani ejusmodi homines autumant, ostendit Martini op. cit. part. III, dist. 3, cap. 3, § 15 et seqq. Cfr. item Sanctius S. J. *in Ezech.* in hunc locum.

(1) Hinc animadvertendum est, fictiones poeticas vatum graecorum et latinorum numquam integras nationes pervasisse, multo minus perpetuo et constanter perdurasse, secus ac in casu nostro accidit. Dummodo tamen proprio systemati inserviant, absurda quaeque devorant rationalistae, ceteros incredulos imitati.

18: *Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in seculum et seculum seculorum*. His enim verbis significantur omnes illi populi, tribus et linguae, qui ex v. 14 servient Filio hominis, id est, Messiae, quique ejus regnum seu ecclesiam constituent, prout contextus exigit; alioquin hic absurdus sensus exurgeret: Monarchia serviet monarchiae (1). Hinc de peculiari persona, non autem de symbolico emblemate, ut adversarii existimant, tota antiquitas, quae dicuntur de *Filio hominis* ac praecise de Christo, exposuit et explicavit (2).

31. Quae autem ibi, cap. VII, 9, de mortuorum resurrectione et judicio extremo dicuntur, ac de Filio hominis, qui, cap. VII, cum nubibus coeli apparens describitur (non vero *fingitur*, ut adversarii mentiuntur), Christo ipso interprete, de secundo ac glorioso ipsius adventu intelligi debent, ut suo loco exposuimus (3). Quem quidem adventum multae calamitates, eodem Christo testante, Matth. XXIV, praevenient. Haec autem omnia rationalistae permiscent atque confundunt contra apertam Christi et apostolorum doctrinam, ut sua systemata vere fictitia nobis obtrudant et christianam religionem e fundamentis subruant.

PROPOSITIO II.

Messias a Deo promissus atque ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est

32. Etenim Messias a Deo promissus atque a Judaeis expectatus singularis atque unicus est, si talem postulent tum Scripturae, tum universalis et constans sensus traditionalis ipsorum Judaeorum, tum denique peculiares notae et characteres, quibus idem Messias instructus perhibetur; atqui.

33. Jam vero, etsi Scripturae interdum Christi seu Messiae nomen aliis etiam hominibus attribuant, sacerdotibus praesertim ac regibus, cum tamen hic non de nomine, sed de re quaeramus, perpetuo loquuntur de peculiari aliquo promisso reparatore, quem κατ' ἐξοχήν, seu per antonomasiam Christum seu Messiam appellant. Sic, Gen. III, ille promittitur, qui conterat serpentis caput; item Gen. XII, XVIII, XXII, ille, in quo benedicendae sunt omnes gentes; demum Gen. XLIX sermo fit de eo, qui praenunciatur ut ille qui mittendus est, atque erit expectatio populorum, seu, ut in hebr. legitur, ille, cui obe-

(1) Cfr. Sanctius in hunc loc. Martini, part. II, cap. 7, § 7 et seqq. et cap. 13. Ex quibus constat quaenam fuerit constans Judaeorum hujus loci Danielis expositio.

(2) Ibid. Cfr. praeterea Schoettgenius, *Horae hebraicae*, Dresdae, 1742, tom. II, lib. II, pag. 263, ubi ex *Sohar* Gen. fol. 85, col. 338, refert in hunc loc. Dan.: *Hic est Rex Messias, de quo scriptum est*, etc. Tum id ipsum ostendit ex confessione Raschi, R. Aben Ezrae, R. Saadiae Gaon, R. Bechai, ex *Sanhedrin*, etc. Vid. etiam Joan. Ben. Carpzovii, *Diss. de Filio hominis ad Antiquum dierum delato*, ad cap. VII, 13 et 14 Dan. in *Thesauro theologico-philolog.* Amstelod. 1701, vol. I, pag. 887 et seqq.

(3) Tract. *De Deo creat.* part. III, n. 903 et seqq. tom. III.

dientia erit populorum. E Davidis familia origo trahenda ab eodem, ubique praedicitur; atque hinc factum est, ut Messias filius David passim in Sacris Litteris vocetur. Huc spectant epochae, quibus determinatur futurus ejusdem Messiae promissi adventus; cum nempe ablatum fuerit sceptrum a Juda, ut dicitur Gen. XLIX, vel cum ad finem vergerent LXX hebdomades, Dan. IX, et ante destructionem templi Zorobabelici, Agg. II et Malach. III. Quae quidem aliaque ejusmodi nequeunt nisi de singulari Messia intelligi.

34. Huc accedit perpetua et constans Judaeorum traditio de expectatione unius singularis Messiae, (de qua in prop. superiori); qua factum est, ut neque Judicum ac Samuelis aetate, neque Davidis aut Salomonis aliorumve, sive Judae sive Israel florentissimorum regum ac principum, neque demum Machabaeorum temporibus, quisquam Messiam apparuisse diceret; licet plures ex ipsis Judaicam gentem ab immanissimo jugo liberaverint. Contra vero Judaeorum fatiscente republica, omnes ex Scripturarum oraculis atque avita traditione edocti, Messiam praestolabantur. Etenim, Luc. III, 15, de Joanne Baptista legitur: *Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, num forte ipse esset Christus*. Eadem habentur Joan. I, 19 et seqq. ubi agitur de solemni sacerdotum ac levitarum legatione ad eumdem missa, ut eum interrogarent, num ipse esset Christus. Rursus ib. IV, 25 mulier Samaritana tamquam de re omnibus comperta ait: *Scio, quia Messias venit*. Demum Matth. II, 2, Magi ex gentilitate orti pro certo id sumentes, fidenter interrogant: *Ubi est, qui natus est rex Judaeorum?* Nec quispiam extitit inter principes sacerdotum et scribas populi, a quibus sciscitatus Herodes est, ubi Christus seu Messias nasceretur, qui haesitaret; sed, exponentes de eo Micheae vaticinium, in Bethlehem Judae Messiam oriturum pronunciant (1). Id ipsum habetur ex Flavio Josepho, *De bello judaico*, lib. IV, cap. V. et alibi (2).

35. Peculiares demum characteres et notae, quibus prophetae Messiam venturum instructum iri denunciant, munia item ac officia ab ipso obeunda, de quibus postea agemus, luce meridiana clarius ostendunt, in tota Scriptura non agi nisi de determinato ac singulari Messia. Isaias enim passim describit mites Messiae mores, comitatem, justitiam, praesertim vero cap. XI, 1 et seqq.; XLII, 3; LXI, 1. Sic tam ipse quam prophetae reliqui eum exhibent vocaturum et docturum gentes, aliaque ejusmodi perfecturum, ut ex dicendis enucleatius patebit.

36. Sive igitur Scripturas consulamus, sive perpetuam gentis Judaicae traditionem, sive characteres et notas Messiae proprias, constat, Messiam, a Deo promissum atque a Judaeis expectatum, unicum prorsus ac singularem esse, prout ostendere instituimus (3).

(1) Post adeo disertum s. Matthaei testimonium et auctoritatem Luc. II, 4 et seqq. quis unquam suspicatus esset, quempiam in dubium revocaturum, utrum Christus Jesus natus sit in Bethlehem? Attamen ex Biblicis rationalistis Kaifer, *Bibl. Theol.* pag. 230 et seqq. serio se demonstrasse confidit, Jesum in oppido Nazareth natum fuisse, atque, ut addit Wegscheider, *argumentis quidem haud spernendis*. Scilicet perquam opportune in istorum manus Scripturae venerunt.

(2) *Archaeol.* lib. XX, cap. V, § 1.

(3) Quaenam fuerit antiquis Judaeis in Messiam fides, diligenter excussit et expendit Petrus Cunaeus, *De republ. Hebraeor.* lib. III, cap. 9; qui cfr. in *Thesauro* Ugolini,

DIFFICULTATES

37. Obj. 1. Hebraei facile sibi in animum induxerunt, ex proprio coetu quempiam surrecturum esse de illorum virorum genere, quos Isaias describit, sapientia praeditos atque intelligentia, spiritu boni consilii et fortitudinis, 2. idoneos ipsorum prophetarum exemplo ad evertendas oppressorum machinationes, ad excutiendos animos, atque ad omnia adversa superanda, ut hac ratione populus subito quodam transitu ex malo ad bonum, ex servitute ad libertatem, ex abjectione ad honorem adduceretur. 3. Quare Messias seu liberator naturae limites non praetergreditur juxta hebraicam doctrinam. 4. Quid sane portendit Balaami vaticinium nisi stellam, quae orietur ex Jacob, ac radicem, quae surget ex Israel, ad populum firmandum, ut fortiter agat? 5. Post Josue unaquaeque oppressionis periodus suum peperit liberatorem sive Messiam. Cyrus, licet idololatra, in Scriptura vocatur *Salvator* et *Christus* ob id tantum, quod finem posuerit captivitati Babylonicae, ac alii quia media suppeditaverit ad rempublicam restituendam, Num. XXIV, 17 et 18; Jud. II, III, VI, XI etc.; Is. XLV. 6. Quoties demum post *magnam dispersionem* ementiti Messiae Hebraeorum imaginationem excitarunt, toties id consecuti sunt per sacras voces *legis* ac *libertatis*. Talis fuit impavidus Barcochebas, quem ceu legitimum Messiam recepissent, si, quod aggressus est, facinus feliciter explevisset; talis sec. XVII turbidus ac debilis Sabathai Sevi (1). Si quis igitur quaerat, utrum Messias advenerit, an vero adhuc venturus sit, responsio in promptu est, scilicet tum jamdiu eum advenisse, tum superventurum adhuc esse. Ergo.

38. Resp. ad 1. *Neg.* quod assumitur, Hebraeos scilicet nonnisi sequiori aevo ideam seu notionem Messiae ex Legis comminationibus et promissis sibi cudisse. Certissimum enim est, ejusmodi ideam seu potius promissionem Messiae ipsi mundo coaevam fuisse et Lege mosaica anteriorem; ut ex dictis apertum est. Moyses locis cit. eam supponit. Job, XIX, 25, professus est, suum se expectare *Redemptorem*, nempe Messiam, et quidem spiritualem atque divinum. Profecto gentes omnes longe inter se dissitae, quibus nulla fuit cum Hebraeorum gente communicatio, in Lege mosaica Messiae notionem reperire non potuerunt. Repugnat propterea Scripturis ac factis ipsis nova theoria ab adversario excogitata.

39. Ad 2. *Neg.* tum ob rationum momenta, quae adducta sunt, tum ob falsam adversarii assertionem, prophetas scilicet oppressorum machinationes evertisse, animos excussisse juxta auctoris sensum; fabulae enim ejusmodi assertiones sunt ab ipso confictae. Illud

tom. III, pag. 910 et seqq. cum not. Joan. Nicolaï; nec non Heideggerus, *Hist. Patriarch.* exercitat. CXI, pag. 96 et seqq. Major in *Theol. Judaic.* loc. VIII, *De Messia*.

(1) Ita Salvador, op. cit. tom. III, liv. IV, pag. 365. De quo Sabathai Sevi scribit in nota: « Il était né en Syrie, et il produisit une vive sensation chez les juifs de Constantinople et de tout l'Orient, même chez les occidentaux. Le sultan le fit jeter en prison, et lui offrit le turban ou d'être empalé; il n'hésita point, mais, malgré son zèle à paraître bon musulman, on lui donna bientôt la mort ».

quippe prophetarum fuit munus, populi praesertim Judaici vitia reprehendere, validos animos ad omnem virtutem excitare, ac Messiae adventum praenunciare, non quidem ut temporalis liberatoris, quemadmodum adversarius autumat, sed spiritualis, qui nempe peccata auferret, justitiam adduceret, gentes ad verum Dei cultum revocaret, aliaque praestaret ejusmodi, quae in liberatorem ab adversario confictum cadere nequaquam possunt (1).

40. Haud inficiamur tamen, serioribus temporibus Judaeorum animos generatim occupasse ideam etiam de liberatore temporali; quod ex Luc. XXIV, 21; Act. I, 6. aliisque locis N. T. constat. Verum, ne ullus errori detur locus, duo quae nequeunt commisceri secernamus oportet, nempe ideam primigeniam et originariam ab idea adscititia, et superinducta. Idea enim primigenia et originaria, quam exhibent Sacrae Litterae, est prorsus de Messia spirituali, ut ex citatis locis apparet; postea autem sensim, ut ita dicam, ac sine sensu adjecta alia est de liberatore temporali; non ita tamen, ut prior excluderetur; sed utraque Messiae spiritualis et temporalis conjuncta idea erat. Sane Messiae spiritualis, legislatoris, prophetae, thaumaturgi ideam semper obtinuisse apud Judaicam gentem abunde constat ex Luc. III, 15; Joan. I. 19; IV, 25; VI, 14; VII, 31, aliisque locis passim. Quod si in plerisque subsequentibus praesertim temporibus invaluit notio Messiae tamquam temporalis liberatoris, ideo id factum est, quod Judaei vaticinia, quae secundum Messiae adventum respiciunt, cum vaticiniis de primo ejusdem adventu confuderint, vel etiam quia carnali ac materiali sensu ea intellexerint, quae de spirituali ipsius Messiae gloria ejusque regno sive ecclesia, sub materialibus ac symbolicis imaginibus adumbrata, praenunciata erant (2).

41. Ad 3. *D.* Juxta doctrinam he-

(1) Cfr. Sherlok, *L' usage et les fins de la prophétie*, en six discours; vid. praesertim Discours III.

(2) Antiquiores Hebraeos puriorem ideam habuisse de Messiae persona ac munere evidenter constat ex iis, quae erudite scribit Schoettgenius, in *Horis hebraicis et talmudicis*, tom. II, lib. I, cap. I et 2, de nominibus Messiae; tum toto libro III, qui est de persona Messiae, innumeris prope eorum testimoniis in medium productis; nec non tom. I, diss. I, *De regno coelorum*, in qua §§ 6 et 7, ostendit, nomine *Regni coelorum* praeter cultum ecclesiae V. T. significari *Regnum Messiae* et *tempora Messiae* et oeconomiam illorum, una cum aliis circumstantiis eo pertinentibus, adducto testimonio ex Targum Michaeae IV, 7: *Et revelabitur ipsis regnum coelorum in monte Sion a nunc et usque in seculum*; et confirmat tom. II, lib. I, cap. 2, § 3 ex *Pesiktà* in *Jalkut Simeoni* II, fol. 178, 1, et *Scir Ascirim rabbà*, fol. 15, 2: *Quando tempus accedet;* Regnum coelorum *revelabitur*, הגיע זמנה שתגלה מלכות של שמים *tunc implebitur illud Zachar.* XIV, 9: *Illo tempore Deus erit Rex in universam terram*, aliisque multis, quae locis cit. recoli possunt. Quibus addi potest, hunc usum loquendi communem fuisse Christi aetate; alioquin Joan. Bapt., Christus, pharisaei et auditores ipsorum formulam hanc neque protulissent neque intellexissent; attamen passim usurparunt, ut patet ex Matth. III, 2; X, 7; Luc. XVII, 20 et alibi passim; adeo ut illi, qui ex Judaeis, signis temporum probe expensis, adventum Messiae proximum cum gaudio excipiebant, dicantur *expectare regnum Dei*, seu *Regnum coelorum*, Luc. XXIII, 51; cui phrasi similis est illa: *Expectare consolationem et redemptionem*, Luc. II,

braicam seriorum temporum, *Tr.* antiquitus receptam *N.* Veteres enim Hebraei non diversam sibi Messiae efformarunt notionem ab ea, quam Scripturae et traditio ipsis patefecerunt. Porro ejusmodi fontes constanter ingerunt ideam Messiae, qui naturae limites praetergrederetur; ut Ps. II, 7; Is. VII, 14; IX, 6. et seqq. XI, 1 et seqq. et alibi passim (1). Imo certo certius est,

25 et 38. Orta autem videtur haec formula, quae antiquioribus Judaeis et sanioribus post captivitatem in deliciis erat, ex Dan. VII, 13 et 14. Haec volui aliquanto fusius disputare, primo ut pateat luculenter, insedisse veteribus Hebraeis sententiam de Messia ejusque regno spirituali et divino; secundo ut malam fidem detegerem recentiorum biblicorum rationalistarum praesertim Koppe, *Nov. Test.* vol. VI, ad Epp. ad Thess. excurs. I, de Regno Christi asserentium, formulam מַלְכוּת הַשָּׁמַיִם *Regni coelorum* neque

in Targum neque omnino apud rabbinos de regno Messiae accipi, sed de peculiari Numinis supremi regimine, singularique Jehovae, qua sua gauderet civitas, tutela, cujus quasi ministri reges in civilibus, in sacris vero rebus sacerdotes essent.

(1) Cfr. W. Hengstenberg, *Christologie des alten Testaments*, etc. *Christologia veteris testamenti*, etc. Berolini 1829, part. I, sect. I, cap. 3, *De divinitate Messiae in V. T.* pag. 215 et seqq. ubi colligit textus, ex quibus constat, Messiam futurum praedicari ut Deum et filium Dei. Nos saltem eos hic summatim indicabimus: Ps. II, 7, Messias vocatur *Filius Dei* sensu proprio et non figurato, et v. 12, judicium de inimicis suis ipsi tribuitur, et rebelles ad ipsum confugere monentur; Ps. XLIV, 7. et 8, Messias vocatur *Deus;* Ps. CIX, 1: David ipsum vocat *Dominum suum:* v. 6, accipit a Deo proprium nomen אֲדֹנָי, et judicium

super hostes suos ipsi adscribitur; Is. IV, 2, Messias vocatur צֶמַח יְהוָה, *germen Dei*, scilicet Filius Jehovah. Atque haec quidem de divina ejus natura dicta sunt. Juxta humanam vero naturam ex antithesi vocatur פְּרִי הָאָרֶץ, *fructus terrae*, natus ex Judaea, vel oriundus ex domo Juda. Is. VII, 14, indicatur juxta humanam naturam per illud *nasci ex Virgine;* juxta divinam, per nomen *Emmanuel, nobiscum Deus*. Item Is. IX, 6, denotationes seu characteres divinae naturae cumulantur. Prius nomen פֶּלֶא *mirabile*, ut indicetur illum tum in suo *esse* tum in suis actionibus supra conditionem seu naturae cursum elevatum esse; deinde nomen אֵל גִּבּוֹר, *Deus fortis*, adjicitur; in antithesi denotatur ipsius humana natura et origo per verba *Filius natus est nobis*. Ib. XI, 10, paganae gentes modo religioso Messiam quaerere dicuntur. Michaeae V, 1, in antithesi ad temporalem Messiae ortum ex Bethlehem et ad nativitatem ex muliere, V, 2, annuntiatur ejus aeterna praeexistentia: *Ex te mihi egredietur . . . et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis;* et, v. 4, ipsi tribuitur fortitudo et majestas Jehovae. Os. III, 5: *Filii Israël . . . . . quaerent Dominum Deum suum et David regem suum*, id est Messiam. Ubi verbum בָּקַשׁ studium sese

Deo reconciliandi et ejus gratiam acquirendi significat. — Sed insigne praeterea est ad rem nostram quod legitur Mal. III, 1 et seqq. *Jehovah* ibi dicit, se legatum missurum, qui viam ante *se* sternat, et statim subditur, postquam hoc factum fuerit, Messiam appariturum. Igitur apparitio Jehovah et apparitio Messiae identificantur. Messias accipit nomen הָאָדוֹן, quod cum articulo praefixo nullibi nisi de uno Deo invenitur. Huic summo Deo, duci theo-

ut productis monumentis ostenderunt eruditi viri, in antiquiorum Hebraeorum mentibus firmam semper inhaesisse persuasionem, unicum mediatorem inter Deum et homines, auctorem revelationis omnis, cui nomen *Metatron* apposuerunt, nempe Messiam, identificari cum Deo ipso, ac proinde Deum esse, et supra naturae nostrae conditionem positum (1). Hujus doctrinae ac traditionis vestigium apparet Joan. VII, 27: *Hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit*. Imponit igitur Salvador lectoribus suis, dum adstruit, juxta doctrinam Hebraeorum Messiam minime praetergredi naturae limites.

42. Ad 4. *Neg.* Sed ex unanimi veterum imo et recentiorum etiam Judaeorum sententia Balaami vaticinium pro objecto habet, supremum illum regem venturum, Messiam nempe, cujus adventus fama jam inde a remotissimis seculis Orientem totum pervaserat, qui populos sit debellaturus, et, quo regnante, maxime rerum conversiones essent eventurae (2). Ex genere porro armorum ejus deprehenditur, qua ratione *omnes filios Seth*, seu ut habet Onkelos, *omnes homines*, sit Messias vastaturus: *percutiet terram*, inquit Isaias, XI, 4. *virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium*.

43. Ad 5. *D.* Unaquaeque oppressionis periodus suum peperit liberatorem

cratiae, regi Israëlitarum, templum ut sua proprietas semper adscribitur. At juxta Malachiam, templum est proprietas Messiae. Istum igitur Deum esse, et cum Jehovah per unitatem naturae identificari aperte eruitur. Insuper, v. 2 et seqq. officium divinum, alioquin soli Jehovah adscriptum, nempe judicium de improbis, ipsi Messiae tribuitur. Cfr. etiam Dan. VII, 13 et 14; Zach. XII, 10, XIII, 7. Praecipua ex his vaticiniis suo loco expendemus.

(1) Ibid. loc. cit. pag. 238 et seqq. quibus patet, ex antiquiorum Judaeorum doctrina, eaque communi, hunc Metatron non raro identificari cum Schechina, habitatione nempe Dei in mundo, identificari cum Deo ipso, a quo tamen distinguitur, persona scilicet; non esse Metatron creatum, sed emanatum; vocatur Metatron emanationis et creationis, qui apparuit Moysi in rubo; cum summo Deo unitate essentiae conjunctus perhibetur, ut Dominus ipse et legatus Dei, princeps mundi, et visibilis manifestator Dei. Aliaque ejusmodi ex Thalmude, ex lib. Sohar et rabbinorum innumeris testimoniis ostendit. Haec ipsa documenta praeter Sommerum, Glaesenerum, Raym. Martini exhibet Schoettgenius, op. cit. tom. II, *De Messia*, lib. III, thesi II et seqq.; adeo ut mirum sit, incredulum Judaeum Salvador potuisse firmiter adeo asserere, ex Judaeorum doctrina non debuisse Messiam naturae limites praetergredi. Qua assertione aperte se vel ignorantem vel mendacem prodit.

(2) Cfr. de hoc vaticinio, praeter prooemium De Voisin in *Pug. fid.* edit. cit. pag. 81, *Dissert.* Willemeri *De stella ex Jacob oriunda*, in Num. XXIV, 17, quae reperitur in *Thesauro theol. philolog.* cit. Perperam De Wette, *Kritik der Israelit. Gesch.* seu *Critica historiae Israeliticae*, pag. 363 et seqq. illud confictum in gratiam Hebraeorum autumat, et Bleck in *Dem bibl. exeget. Repertor.* seu in *Repertorio biblico exegetico*, post debellatos a Saulo Ammonitas, Zabaeos et Philisthaeos assutum censet. Nec Rosenmülleri conatus efficient, totum hoc oraculum Baleami imposturam et fictionem esse. Cfr. Bartolocci *Bibliotheca magna rabbinica*, Romae, 1675, part. I, pag. 655 et seqq. Cfr. etiam Joan. Frid. Miegii Dissert. *De stella et sceptro Baleamico* in *Novo thesauro dissert.* Lugduni Batav. 1732, fol. tom. I, pag. 423 et seqq.

sive Messiam, improprie dictum seu late sumptum, *C.* proprie dictum, de quo loquimur *N.* Id ipsum dicatur de Cyro aliisque omnibus, quibus communis fuit haec denominatio, regibus ac sacerdotibus, qui analogice *Christi* vocabantur seu Messiae ac Salvatores. Alioquin, cum judices interdum *Dii* in Scripturis vocentur, sequeretur, vel nullum esse proprie dictum, vel illos homines totidem Deos esse.

44. Ad 6. *D.* Spiritu vertiginis atque anticipatis judiciis abrepti, *C.* juxta germanum Scripturae sensum per traditionem antiquissimam expositum *N.* Verum de hoc postea.

45. Ex his responsio fluit ad conclusionem ex falsis principiis, seu potius ex gratuito ac singulari systemate adversarii deductam. Si enim nonnisi unus ac determinatus Messias a Deo in Scripturis promittitur; si nonnisi unus ac determinatus ab universa Judaeorum gente expectatus est; si nonnisi de unico, singulari ac determinato mediatore seu Messia omnium antiquarum gentium traditiones loquuntur, patet eo denique controversiam adduci, ut quaeramus, utrum venerit nec ne. Istud vero in sequenti capite excutere aggredimur.

CAPUT II.

DE EPOCHA ET OFFICIIS PROMISSI MESSIAE

46. Nonnulli Judaei, diuturni quo detinentur exilii atque dilati Messiae adventus pertaesi, in desperationem acti, contendunt, nullam a prophetis futuri Messiae peculiarem epocham statutam ac determinatam fuisse. Alii vero, etsi fateantur, hujus adventus epocham reipsa determinatam esse, attamen dilatum esse contendunt Messiae adventum ob demerita ac peccata, quibus Hebraei se commaculaverunt, aut in dies coinquinantur. Alii demum censent quidem epocham adventus Messiae esse determinatam, non solum conditionate, sed absolute; contendunt tamen, nondum completam hanc epocham esse. Nostrum igitur erit, duce praesertim Cl. Joan. Bernardo Derossi (1), propositionibus insequentibus haec omnia effugia praecludere, ac simul ostendere, ex officiis seu muniis a Messia juxta prophetas obeundis, eum jamdiu advenisse, ut non sit in aliud tempus expectandus.

PROPOSITIO I.

Epocha adventus promissi Messiae ex Sacris Litteris certa ac determinata est

47. Haec propositio est adversus Chaldaeum Paraphrasten, R. Joseph aben-Jachia, Maimonidem, aliosque paucos, contendentes, nihil certi circa tempus futuri Messiae adventus constitui posse, imo neque posse in hanc epocham inquiri absque erroris periculo; nec quidquam uspiam de ejusmodi epocha revelatum a Deo esse (2).

48. A vero autem prorsus abludere ejusmodi assertionem, constat 1. ex Jacobaeo vaticinio, quo venturus praedicitur Messias, cum ablatum fuerit sceptrum a Juda; ex prophetia Danielis, qua sub finem septuagesimae hebdomadis ab edicto reaedificationis Urbis occisum iri Messiam praenunciatur; nec non ex Aggaei et Malachiae oraculis, quibus significatur stantibus adhuc Urbe

(1) *Della vana aspettazione degli Ebrei*, etc. Parma 1773.

(2) Apud eumd. cap. 1, § 2.

ac templo Messiam venturum esse. Constat 2. ex antiqua Judaeorum traditione et agendi ratione. Etenim juxta Elianam scholam anno ab orbe condito quatermillesimo Messias adventurus erat, prout refertur in Thalmude, in quo *dies regis Messiae* ad hunc annum assignantur. Sane Messiam per id temporis magna animorum contentione exoptatum fuisse atque expectatum, adventus Magorum in Solymorum urbem, civitatis totius commotio, infantium caedes, occisio eorum qui essent de familia David ex parte Romanorum, ne Judaei Messiae praetextu novi aliquid machinarentur (1), desperatio Hillelis, tumultus hac de causa excitati (2), plures veteratores qui sibi eadem aetate Messiae nomen ac dignitatem vindicarunt, facinus ipsum Barcochebae, fama in omnem partem vulgata de egressuro tunc temporis e Judaea qui rerum potiretur, applicatio vaticiniorum a Josepho per assentationem Vespasiano facta (3), haec aliaque non pauca facta publica ac testatissima totidem sunt argumenta ineluctabilia, quae invictissime ostendunt, certam ac determinatam epocham Judaeos ex traditione habuisse. Constat 3. ex ingenua praecipuorum rabbinorum confessione, qui, tum ex Scripturis tum ex traditione edocti, id demum ultro dederunt (4). Constat 4. ex ipsa rei de qua agitur natura. Si enim Messias, ut ex dictis patet, fuit in Lege Masaica promissus; si Messias objectum fuit desideriorum patriarcharum et prophetarum; si prophetae, prout ostendemus, futuri Messiae locum nativitatis, originem, facta omnia vaticinati sunt, qui fieri potuit, ut sola epocha ipsius adventus reticeretur, qua Judaei excitari ac permoveri debebant ad ipsum excipiendum?

49. Sive igitur Sacras Litteras consulamus, sive perpetuam et constantem Judaeorum traditionem, sive rabbinorum confessionem et agendi rationem, sive denique rei ipsius inspiciamus naturam, certam omnino ac determinatam esse epocham adventus Messiae apertissime evincitur.

(1) Cfr. Euseb. *Histor. eccl.* lib. III, cap. 12 et cap. 19, edit. Vales.

(2) Joseph, *Archaeol.* lib. XX, cap. 8, § 6; *De Bello jud.* lib. II, cap. 13, § 4 et 5; ib. lib. VI, cap. 5, § 3. edit. Haverc.

(3) *De Bello Jud.* lib. III, cap. 8, § 9, et lib. IV, cap. 10, § 7.

(4) Cfr. Th. Goodwini Diss. quam inscripsit: *Moses et Aaron*, cum not. Hottingeri, § 22, in *Thes. Ugolini*, tom. III, pag. 35. Cfr. Derossi, op. cit. cap. 1, § 6. Sane in Thalm. in tract. *Sanhedrin*, fol. 97 vetustissima traditio legitur his verbis: *Traditio domus Eliae: Sex mille annis durat mundus. Bis mille annis inanitas et vastitas. Bis item mille annis lex. Denique bis mille annis dies Messiae.* Hinc alii, cum viderint elapsas omnes epochas sive biblicas sive traditionales adventus Messiae, animum desponderunt, negantes Messiam esse promissum; ut R. Albo in lib. *Ikkarim*; alii ejus adventum in seculum et mundum futurum rejecerunt, ut R. Manasses ben-Israel, lib. II, cap. 3, *De Resurr. mortuor.*; alii diris et execrationibus devoverunt illos, qui tempora adventus Messiae supputarent, et terminos ejus inquirerent, dicentes: תפח רוחן של מחשבי קצין *Rumpatur spiritus eorum, qui tempora* (adventus Messiae) *supputant.* Alii alias nugas commenti sunt; quae videri possunt apud Jo. Buxtorfium, *De synagoga judaica*, cap. 50, Basil. 1661; extat etiam in *Thesauro Ugolini*, tom. IV, pag. 1153 et seq., et apud Schickardum, *Jus regium Judaeorum*, ibid. tom. XXIV, pag. 793. et seqq.

DIFFICULTATES

50. Obj. 1. Haud pauci ex doctioribus rabbinis inter septem eas res, quas hominibus prorsus ignotas recensent, tempus etiam includunt restitutionis regni Davidici seu Messiae. 2. Quod non absque fundamento ab ipsis fieri, argumento est Angeli Danielem, XII, 9, alloquentis responsio; cum enim Daniel ab Angelo sciscitatus esset, quando Messias esset venturus, respondit Angelus: *Clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus*. Quibus verbis non obscure insinuavit dies Messiae absconditos hominibus esse. Ergo.

51. Resp. ad *1. D.* Post Christi adventum, seu ut ipsi loquuntur, post magnam dispersionem, *Tr.* ante id temporis *N.* Nil mirum, si recentiores nonnulli rabbini, anticipatis judiciis ducti, incertum esse contenderint tempus promissi Messiae, cum Messiam agnoscere noluerint epocha a Scriptura ac traditione praefinita. Sic enim arbitrati sunt, se posse utcumque declinare omnem vim argumentorum, quibus a christianis premebantur. At paucorum certe ea opinio, seu potius effugium est, si cum universali judaicae gentis sensu et traditione, ac praecipuorum rabbinorum sententia comparetur. Ut aliquid pauci isti, quos impugnamus, proficerent, deberent ostendere, talem pariter Judaeorum animis insedisse sententiam ante Christi adventum; quod profecto numquam praestabunt, cum omnia illius aetatis documenta contrarium prorsus evincant.

52. Ad 2. *Neg.* Danielem sciscitatum esse ab Angelo tempus futuri Messiae, cum istud ei jam revelatum fuerit cap. IX; nec propterea Angeli responsio ad hoc tempus refertur. Allegatis proinde verbis significatur, obscura esse debere, quae in eodem capite continentur, donec compleantur, quae ibidem praedicta sunt. Dissentiunt porro interpretes, de quanam re hic praecise agatur, et alii in alias abeunt sententias (1). Ex ignota proinde re nihil extundi potest, quod infirmare vel minimum possit, quae aperta Scripturarum testimonia de hac ipsa epocha produnt.

PROPOSITIO II.

Epocha adventus Messiae in Scripturis determinata retardari nequit

53. Eos haec thesis perstringit, qui, Scripturarum ac traditionis auctoritate pressi, admittunt quidem, determinatam a Deo ac patefactam promissi Messiae epocham esse; contendunt tamen, ut monuimus, ob Judaici populi scelera dilatam esse atque in dies differri divinam promissionem. Desipere autem hujus sententiae patronos, quisque intelliget, qui vel leviter perpendat:

54. 1. Messiae promissionem constanter in Scripturis absolute proponi, numquam vero conditionate; adeo ut nuspiam vel leve ejusmodi conditionis vestigium appareat.

55. 2. Messiam non ad solos Hebraeos, sed ad omnes prorsus populos seu homines mitti. Nemo propterea sanus sibi persuaserit, ob peculiaris Judaici populi scelera retardari, quod ad commune omnium bonum promissum est.

56. 3. Ejusmodi conditionem aperte omnino a Deo excludi, quoties ipse profitetur tempus adventus promissi Messiae *decisum* ac *determinatum* esse, ut

(1) Cfr. Sanctius, Cornel. a lapide in hunc loc., Critici sacri, Rosenmüller, etc.

Dan. IX (1); quoties gratuitam affirmat esse Messiae promissionem, seu cum *propter se* et *propter gloriam nominis sui* se populum suum redempturum promittit, ut Is. LII, 3 et seqq.; Ezech. XXXVI, 22 et alibi passim; item quoties declarat, se missurum Messiam ad tollenda hominum peccata, delendam iniquitatem, etc. ut Is. LIII et Dan. IX; ut alia quamplurima praeteream, quae evidentissime quamcumque meritorum aut demeritorum nostrorum conditionem excludunt.

57. 4. Posita semel hac conditione, jam sequi, nihil certi circa tempus Messiae adventus superesse, perperam proinde in Scripturis frequenter adeo tempus istud significatum fuisse. Numquam enim exitum suum divinae pollicitationes habiturae essent; cum neque in judaica natione, nec in alia qualibet scelerum futurus sit finis, spectata hominum infirmitate ac malitia.

58. 5. Novam atque ab antiquae synagogae sensu prorsus alienam esse sententiam hanc, quae nonnisi ad eludendas christianorum objectiones excogitata fuit post Hierosolymorum ac templi eversionem, quaeque a doctioribus ipsis rabbinis acerrime impugnatur (2). Profecto, si Messiae adventus ab hominum meritis penderet, tot sanctissimorum patriarcharum, prophetarum, aliorumque piorum hebraicae gentis hominum, qui in veteri synagoga floruerunt, merita plus apud Deum valere debuissent, ut promissiones solveret suas, quam recentiorum Judaeorum flagitia valeant ad illas retardandas. Praeterea cum judaica gens ideo dire affligatur, gravissimasque ac diuturnas vexationes patiatur propter Messiae spem, pro cujus adventu enixas adeo ad Deum preces perpetuo fundit, concipi nequit, quomodo Deus his non flectatur, et haec omnia conferre nihil valeant ad Messiae promissi adventum acceleran-dum. Quamquam nec illud omittendum est, diuturnam adeo dilationem haud parum conferre ad animum despondendum, atque in desperationem conjiciendum (3).

59. His igitur perpensis, concludi omnino debet, ita praefinitam adventus Messiae epocham a Deo esse, ut retardari ob Judaeorum peccata non possit.

DIFFICULTATES

60. Obj. 1. Scriptura universa referta est vaticiniis conditionatis; quae etsi absolute enuncientur, eventus tamen patefecit, implicitam illa conditionem con-

(1) Talem esse vim hebraicae vocis נֶחְתָּךְ *nechtach*, Daniel. IX, 24, *definita*, *decisa decreta*, etc. omnes admittunt, ut ex dicendis luculentius patebit.

(2) Cfr. Derossi, op. cit. cap. 2, § 4 et seqq. ubi plura documenta invenies tum ex Thalmude tum ex celebrioribus rabbinis antiquis et recentioribus, ex quibus patet, receptum apud Hebraeos esse Messiae adventum retardari non posse, atque ab hominum meritis vel demeritis nulla ratione pendere. Et sane absurdum est, hominum peccata praepedire adventum Messiae, qui peccatis hominum tollendis venturus erat, ut rursum Hebraei fatentur. Cfr. *Diss. philolog. de Ara exteriori* Joan. Jacobi Crameri, in *Thesauro* Ugolini, tom. X, pag. 340. et seqq.

(3) Cfr. Derossi, loc. cit.; Schickardus, *Jus regium*, theorema XX, in *Thes.* Ugol. tom. XXIV, pag. 800 et seq. cum not. 55. Carpzovii, ib. pag. 820; Lightfoot, *in Evang. Matth. Horae hebrai. et Thalmud.* in cap. 2, v. 1, ubi plurium Ghemaristarum verba profert, qui fatentur jamdiu natum esse Messiam juxta statutam in Scripturis epocham, opp. edit. Ultraj. 1699, in fol. vol. II, p. 257 et seqq.

tinere; quidni igitur idem dicamus de vaticiniis, quae Messiam spectant? 2. Quid? Quod non desint prophetiae, quae conditionem ejusmodi exprimant? Etenim, Deut. XXX, 10, redemptio Israel promittitur: *Si tamen* (ut ibidem dicitur) *audieris vocem Domini Dei tui .... et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.* 3. Quod jam pridem advertit Pesichtà in haec verba, et post ipsam thalmudistae in Ghemarà Babylonica, qui unanimiter affirmant, ex poenitentiae defectu atque ob multa Hebraeorum scelera transactos jamdiu esse terminos adventui Messiae constitutos a celebri traditione scholae Elianae; quos secuti sunt plures ex recentioribus rabbinis. Ergo.

61. Resp. ad 1. *D.* Quae tamen vel ex substrata materia vel ex adjunctis aut conditione alibi expressa deprehenduntur esse conditionata, *C.*; secus, *N.* Haud inficiamur ejusmodi vaticinia conditionata, quae tamen absolute enuncientur, in Scripturis reperiri. Talia sunt ut plurimum quae *comminatoria* dicuntur, quandoque vero etiam promissoria, quae tamen alicubi conditionem adnexam habent. Verum plura pariter sunt absoluta, quod nemo in dubium vocabit; ad horum porro classem spectare vaticinia, quae Messiae adventum respiciunt, omnia argumenta, quae adducta sunt, luculenter ostendunt.

62. Ad 2. *N.* Ad prob. autem ex Deut. allatam, *D.* Et eo loco sermo est de felicitate vel punitione Israëlitarum pro diversa ipsorum agendi ratione in legis observatione, et quidem temporali, *C.* sermo est de Messia vel Messiae adventu *N.* Ipsa ejusdem capitis integra series id abunde ostendit. Resipiscentibus siquidem Judaeis pollicetur Deus, se eos reducturum ab extremis mundi partibus, ac de cunctis gentibus, inter quas ejecti fuerint, in terram patrum suorum; se soluturum ipsorum captivitatem, ac conversurum in hostium capita calamitates, quibus afflicti fuerint, si tamen sincera erit ipsorum poenitentia; prout reipsa toties factum esse Scripturae ipsae testantur (1)

63. Ad 3. *D.* At sero nimis, seu post elapsos terminos a prophetis significatos pro Messiae adventu, *C.* vetus synagoga et ante elapsam epocham *N.* Huc denuo recurrunt, quae superius animadvertimus de veteris synagogae sensu ac traditione (2).

PROPOSITIO III.

Advenisse Messiam a Deo promissum atque a Judaeis expectatum, jamdiu elapsae epochae, prophetarum oraculis determinatae, luculentissime ostendunt

64. Hujus propositionis veritatem evincunt epochae omnes jamdiu completae, quae Messiam respiciunt. Ut suis tamen finibus contineatur propositio, nec justo longior evadat, potiora vaticinia expendenda seligemus, in quibus prae-

(1) Satis est, vel leviter percurrere libros Judicum, Regum, etc. imo universam historiam hebraicae gentis, ut oculis veluti ipsis peculiaris haec divina providentia conspiciatur.

(2) Nec omittendum, in eadem Ghemarà Babylonica aliam traditionem referri, quae omnino contradicit illi, quae nobis objicitur; etenim cap. XI legitur: *Scriptum est:* Propter nomen meum faciam. *Dicit Rabbi Alexander: R. Jose ben Levi objecit: Scriptum est:* In tempore suo; *et scriptum est:* Accelerabo; *si meriti fuerint*, accelerabo; *si non meriti fuerint*, in tempore suo. Cfr. apud Ugolini tom. XXV, pag. 966.

fatae epochae apertissime constituuntur. Talia sunt oraculum Jacobaeum, vaticinium Danielis, nec non prophetiae Aggaei ac Malachiae; quae si seorsim sumpta rem conficiunt, simul proposita eam omnino demonstrant. Ne propterea ejusmodi vaticinia alia ab aliis separemus, singillatim, ad omnem confusionem vitandam, atque ad consulendum perspicuitati, ea distinctis paragraphis perpendemus.

§ I.

Jacobaeum vaticinium expenditur

65. Splendidissimum Jacobi vaticinium exhibetur, Gen. XLIX, 8 et seqq. Cum enim Jacob jam jam moriturus ad se vocasset filios suos, benediceretque singulis *benedictionibus propriis*, atque annunciaret, quae ipsis obventura essent in diebus novissimis, cum pervenisset ad Judam, sic ei fausta ominatus est: *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad praedam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena; quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Seu, ut hebraice legitur: *Non recedet sceptrum a Juda, et legislator de inter pedes ejus, donec veniat Sciloh et ei obedientia populorum* (1).

66. Tria hic a nobis praestanda sunt, ut propositum adversus Judaeos teneamus. Ostendendum est, celebre hoc oraculum 1. ad Messiam pertinere; 2. epocham ejus adventus determinare; 3. jamdiu fuisse completum.

67. Ad primum vero quod attinet, facile res conficitur tum ex vi ipsa vocis *Sciloh*, tum ex iis, quae huic *Sciloh* tribuuntur. Quaecumque tandem sit hujusce vocis radix, de qua valde inter se philologi disputant, certum est, ea non alium significari praeter Messiam. Etenim, si ea est a שָׁלָה (*scialà*) *tranquillus aut quietus fuit*, ut aliqui contendunt, Messias sic denominatus fuit, eo quod ipse esset orbi tranquillitatem ac pacem conciliaturus, omnemque felicitatem allaturus; quare inter cetera nomina, quibus, Is. IX, 6, Messias insignitur, et istud recensetur: *princeps pacis*. Huic interpretationi consentit codex Samaritanus, in quo legitur: *Donec veniat Pacificus* (2). Si vero, ut aliis placet, vocem hanc derivemus a radice שִׁיל vel שָׁלַל (*scil* vel *scialal*), tunc idem est *Sciloh* ac *filius ejus*, id est, ille, qui κατ' ἐξοχήν, antonomastice filius Judae dici potest, nempe Messias. Si demum magis cum aliis placet legere שְׁלֹה (*Scelloh*), pro שִׁלּוֹ, tantumdem valeret ejusmodi vox ac *quod ei*, seu *cujus est*, subintellige regnum aut sceptrum illud, de quo hic loquitur Jacob, juxta id, quod legitur, Ezech. XXI, 32: *Donec veniat is, cui judicium* (3), seu summa judicandi et imperandi potestas. Quo sensu accepisse videntur hanc vocem veteres plerique interpretes; LXX enim habent: *Donec veniat quae ipsi*

(1) לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְהַת עַמִּים.

(2) Cfr. *Biblia polyglotta Waltoniana*, tom. I, pag. 221.

(3) עַד־בֹּא אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט

reposita sunt (1), vel ut alii legunt: *Cui repositum est* (2); quae tamen potius Aquilae et Symmachi est interpretatio. Istorum interpretum sensus hic est: *Donec veniat regnum, quod repositum est ei*, scilicet Messiae. Hunc sensum clarius expressit Onkelos, scribens: *Donec veniat Messias, cujus est regnum;* idem fere habet Thargum Hierosolymitanum. Interpres Syrus vertit: *Is cujus illud est* (3), et Saadias, interpres Arabs: *Is cui est* (4). Quidquid porro sit de verisimiliori etymologia hujus vocis, compertum est, omnes interpretes *raro consensu*, ut fatetur ipsemet Rosenmüller, in eo convenire, ut per vocem *Sciloh* vel ipsemet designetur Messias vel aliqua ipsius proprietas. Haec vero omnia confirmantur ex vetustiorum Hebraeorum confessione. Veteres enim Hebraei hoc nomen *Sciloh* inter nomina Messiae retulerunt, ut in Thalmude in *Sanhedrin*, *Perek Chelek*, in *Berescit Rabba* et alibi (5). Certe in Thalmude Babylonico, cit. tract. *Sanhedrin* sive *De judiciis*, cap. XI, haec leguntur: *R. Jochanan dicit pro Messia: Quale est nomen ejus? Discipuli R. Sila dixerunt: Siloh est nomen ejus; dictum est enim, Gen. XLIX, 10: Donec veniat Siloh* (6).

68. Id ipsum praeterea evincitur ex iis, quae huic *Sciloh* tribuuntur, subditur enim, ibid.: *Et ipse erit expectatio gentium*, seu: *Et ei obedientia populorum;* quae verba Onkelos ita reddit: *Et ei obtemperabunt populi;* Jarchi autem vertit: *Et ei congregatio populorum*, ad eum nempe multi populi confluent, ut dicitur Is. II, 2. Uterque Arabs: *Et ad eum congregabunt se gentes* (7); LXX habent: *Ipse expectatio gentium* (8), quos et s. Hieronymus secutus est: *Et ipse erit expectatio gentium;* quibus consonat Syrus: *Et eum expectabunt populi*, ex radice קָוָה (*kavah*) deducentes יִקְהַת (*ikkeath*) cui in conjugatione pihel *expectandi* est notio. Ecquis porro praeter Messiam dici potest expectatio gentium, vel ille cui gentes omnes obtemperare atque obedire debebunt, ad quem populi confluent? Eo vel magis quod hic Jacob indicare quodammodo videatur promissionem, tum Abrahae, tum Isaac, tum sibi denique a Deo factam, quod in eorum semine ac suo benedicendae essent omnes gentes? Quod et prophetae postea declararunt, Isaias praesertim loc. cit. et XI, 10; XLIX; 6 et seqq.; LI, 5 et seqq.; LXV, 1; LXVI, 19; et Hebraei ipsi profitentur, imo contendunt (9). Sive igitur vim ipsius nomi-

(1) Ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Vid. p. 68, edit. Lamb. Bos. Franeq. 1709.

(2) Ὃ ἀπόκειται. Ita *MS.* Oxon. ibid. in not.

(3) Vid. *Biblia Polyglotta Waltoniana*, tom. I, pag. 221.

(4) Ibidem. Hanc lectionem mordicus tuetur Jahn, *Append. hermeneut.* fasc. II, pag. 183 et seqq.; sed ejus adstipulator, quod sciam, nemo inventus est.

(5) Apud Raym. Mart. op. cit. part. II, cap. 4.

(6) Cfr. apud. Ugolini tom. cit. pag. 970.

(7) وَإِلَيْهِ تَجْتَمِعُ الشُّعُوبُ

(8) Αὐτὸς προσδοκία τῶν ἐθνῶν. Cfr. Rosenmüller ad hunc loc. edit. 3, Lips. 1821.

(9) Ita tamen, ut tamquam rex temporalis ipsis imperet; si quidem nunc Judaei nihil nisi carnale de Messia sapiunt. Cfr. Orobius in *Tertio ad Limborchium scripto*, n. 4. et 5. Haec persuasio Judaeorum maximum ipsis obstaculum est, ne Messiae dignitatem in Christo Jesu agnoscant.

nis spectemus, sive ea quae personae hoc nomine designatae tribuuntur, patet hoc oraculum non posse nisi de Messia exponi.

69. Alterum vero quod attinet, nempe per hoc oraculum epocham seu terminum Messiae adventus significari seu exprimi, illud constat 1. ex ipsis vocibus עַד־כִּי, quae semper vertuntur *donec, usque, usque dum*, etc. ut lexicographi omnes tradunt (1), et sensus ipse et contextus exigit, utque ex omnibus versionibus, et antiquis ipsis Judaeorum paraphrastis evincitur (2). Constat 2. e scopo Jacobi praenunciantis, numquam e Judae pedibus seu e medio ejus supremam potestatem ablatum iri, donec ille veniat, ad quem tandem sit devolvenda, Messiam nempe, ut ostendimus. Quibus verbis voluit Judae caeterisque fratribus signum dare, ex quo illum, qui mittendus erat, cognoscerent; jam vero, si nullum terminum praestituisset, nullum ejusmodi signum dedisset. Constat 3. ex communi omnium antiquorum sensu et interpretatione (3); qui omnes viderunt, hic significari terminum imperii seu potestatis populi judaici per transitionem ad regnum Messianum.

70. Tertium denique quod ostendendum assumpsimus, jamdiu scilicet hoc vaticinium esse completum, ita conficimus: Jacobus praedicit, non esse auferendum a Juda sceptrum, seu non recessuram esse ab ejus tribu supremam potestatem, summum principatum ac legislatorem, donec veniat Messias; atqui jamdiu e Juda defecit haec suprema potestas seu dominium ac principatus; ergo jamdiu vaticinium istud completum est, seu, quod idem est, jamdiu venit Messias.

71. In primis vero nomine *sceptri* שֵׁבֶט *(sceveth)* designari *supremam potestatem, imperium, imperatoriam dignitatem* patet 1. ex Num. XXIV, 17; Is. XIV, 5; Zachar. X, 11. Ubi sedulo notandum, eamdem plane phrasin occurrere: *Et sceptrum Aegypti recedet* (4). 2. Patet id ipsum ex antiquis versionibus; a LXX enim et Theodotione vertitur illa vox *sceveth, princeps*, ἄρχων, a Symmacho *potestas* ἐξουσία; 3. ex Paraphrastis Chaldaeis, e quibus Onkelos posuit *exercens dominium* (5), reliqui duo Jonathan nempe et Jerusalmi, *reges* (6); 4. ex altero hemistichio seu membro, ubi *sceveth* respondet מְחֹקֵק (*mechokek*), quod proprie eum, *qui aliquid statuit, decrevit*, νομοθέτην, legislatorem denotat; quemadmodum de Moyse, Num. XXI, 19, dicitur; et in universum de *primoribus, praefectis* populi exercitusve usur-

(1) Cfr. inter ceteros Winer ad vocem עַד, ubi non solum cum ceteris vertit *usque dum*; sed praeterea confutat Glassium et de Wette, qui contendunt, עַד et עַד־אֲשֶׁר (quod a fortiori valet de עַד־כִּי), ubi de futura re agatur, ita collocatum esse, ut non certum temporis terminum, sed tempus etiam, quod excurrat, significent.

(2) Cfr. *Bibl. Polyglotta Waltoniana.*

(3) Cfr. Mazzocchi, *Spicilegium biblicum*, Neapoli 1762, tom. 1, diss. 8, part. 1, sect. 3.

(4) וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר

(5) עֲבִיד שׁוּלְטָן

(6) מַלְכַיָּא

patur ; ut, Judic. V, 14, et Ps. LIX, 9, Judas vocatur *princeps, antesignanus* מְחֹקֵק (*mechokek*).

72. Jam vero supremam hanc potestatem de Juda ac de tota Hebraeorum gente jampridem ablatam esse ac penitus defecisse, publica facti res est, in orbis luce posita et omnium oculis usurpata. Ex quo enim tempore Hierosolymorum civitas eversa est sub Vespasiano ac Tito, suis pulsi sedibus Judaei extorres a Palaestinae solo facti sunt, ac per varias gentes toto orbe disjecti aliorum imperio ubique parent ac serviunt, omni sceptri jure, ditione, imperio, potestate ubique destituti.

73. Cum igitur, ut ex dictis liquet Jacobaeum vaticinium de Messia sit, cum praeterea epocha per ipsum figatur ac determinetur illius adventus, quando scilicet ablatum fuerit sceptrum a Juda, cum denique sceptrum istud jamdiu a Juda ablatum fuerit, jure concludimus ex eodem vaticinio jamdiu Messiam advenisse.

DIFFICULTATES

74. I. Obj. 1. Incertum in primis est, utrum vaticinium Jacobi ad Messiam referatur, an potius ad Moysem, aut Davidem, vel Jeroboamum, qui per Ahiam Silonitem renunciatus fuit rex Israël, aut ad Nabuchodonosor, a quo ablatum est sceptrum de Juda, cuique omnes gentes paruerunt, de quo dicitur, Ezech. XXI, 27: *Donec veniat is, cui judicium ;* quare illi a propheta non obscure jacobaeum vaticinium applicatur. 2. Potest praeterea vox *Sciloh* significare *quietem*, ita ut oraculi verba sic reddi debeant: *Usque dum venerit Siluntem*, juxta expositionem R. Lipmani (1), quam argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis confirmare conatus est G. A. Teller, in notis criticis et exegeticis in hoc caput (2); et sane phrasis וַיָּבֹא שִׁלֹה, *et venit Siloh*, occurrit I Reg. IV, 12. Quare juxta Teller his verbis respexit Jacob tempus illud, quo populus peregrinaturus erat per deserta Arabiae, in quo itinere Judas in castris primum locum semper occupaturus esset (Num. II, 3—9), et praeiturus antesignanus reliquis tribubus (Num. X, 14) donec Siluntem perventum esset, ubi quum ceterae tribus a Juda discesserint, vel statim ac Rubenitae et Gaditae occuparint terrae portionem suam, vel paulo post, Judas principatum suum relicturus esset. Hanc opinionem sequitur Zirkel (3) ex eadem significatione vocis *sciloh*, nempe *quietis*, quam illi Israëlitae, devictis hostibus *Siluntem*, id est, *ad quietem* venire licet. « Pater *inquit*, duce Juda posteros suos reduci ad loca sibi suisque familiaria, Bethel, Sichem, cetera, vehementer desiderat, ut, quibus in locis Palestinae possidendae promissionem acceperant, in iis quoque ejus possessionem auspicarentur, Silunte quasi termino belli et laborum et symbolo quietis constituta, et gaudium ac tranquillitatem exhibente, quam ipso nomine promittit, est enim שִׁילֹה a verbo שָׁלַה cessavit, quievit ».

(1) In libro *Nitzachon* ac Hackspanio edito, pag. 27.

(2) Pag. 130. 1766. quem secuti sunt Mendelsohn, Eichhorn, Ammon, Rosenmüller in duabus primis edition. Kelle, *Die heil. Schriften*, etc. seu *Script. Sacrae*, praeter Zirkel, Justi, etc. de quibus in textu.

(3) *Dissert. super benedictione Judae*, Gen. XLIX, 8 ad 12, Wirceburg 1786. Juxta hunc auctorem hic erit sensus verborum Jacob : Dux sit Judas usque ad plenam Palestinae possessionem, usque dum devictis ho-

stibus, assecuti sunt. Placet haec eadem expositio Justio, citata verba declaranti: *Usque dum veniat quies, et populi ei obediant. Judas enim*, ut ipse loquitur, *ut victor repraesentatur, qui arma ac potestatis insigne* (*baston del comando*) *non prius deponet, quam omnes hostes sibi subjecerit, et rebelles ad quietem compulerit* (1). Hanc denique explicationem probavit Gesenius (2); ita ut communis jam dici possit. Jam vero, hac semel expositione constituta, patet, ne verbum quidem haberi in vaticinio Jacobaeo quod Messiam respiciat. Ergo.

75. Resp. ad 1. *Neg.* sive verba Jacobi in se ipsis spectemus, sive ex traditionis sensu expendamus. Attributa enim, quibus insignitur *sciloh*, de quo loquitur Jacob, talia sunt, ut nemini aptari possint praeter summam violentiam et contra exegeseos leges nisi soli Messiae; quod ex probationibus adductis constat. Traditio porro quamcumque dubitationem tollit circa germanum sensum hujus oraculi. Nemo enim ex antiquis dubitavit unquam Jacobum de Messia locutum esse, ut ex versionibus, paraphrasibus, testimoniis singularibus, expectatione universali sub finem Judaicae reipublicae abunde evincitur. Nemo praeterea est ex tota antiquitate, qui vel ad Moysem, vel Saulem, Davidem, Salomonem, Jeroboam, aut Nabuchodonosor vaticinium istud retulerit; imo numquam vividior fuit expectatio Messiae quam post solutam captivitatem. Prophetae vero, qui post memoratos principes floruere, multo clarius, quam ii omnes qui praecesserunt, Messiae proximum adventum vaticinati sunt. Nemo denique est ex illis regibus, cui adjuncta ejusdem vaticinii conveniant, cum nemo istorum dici possit *expectatio gentium*, neminive fuerit praestita *obedientia populorum* in sensu oraculi, seu relate ad promissiones factas Abraham, Isaac et Jacob de benedictione, quam omnes gentes consecuturae erant in horum patriarcharum semine; ut praeteream, longe post praedictorum regum obitum perseverasse sceptrum in tribu Juda. Hinc solutio patet ejus, quod objiciebatur ex Ezechiele, qui loc. cit. non loquitur nisi de vindicta, quam sumpturus erat Nabuchodonosor de imperio Sedeciae ac Solymorum civitate, ut ostendit contextus ac substrata materia; nec minimam propterea relationem habent Ezechielis verba ad vaticinium Jacobi.

76. Ad 2. *Neg.* verba Jacobi admittere posse interpretationem R. Lipmani, Telleri, Zirkelii, Justii aliorumve; cum Jacob, ut ex serie orationis patet, non de urbe, sed de persona seu individuo loquatur, et ei tribuat, quae ad urbem referri nullatenus possunt. Obstat praeterea, quod semper prae oculis habendum est, sensus traditionalis antiquae synagogae, quae *frigidam* illam interpretationem, ut eam merito vocat Rosenmüller, numquam agnovit. Violentae ejusmodi interpretationes, quas argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis perperam obtrudunt ut plurimum exegetae protestantes, ostendunt, aleae plenam rem esse discedere velle a sensu traditionali antiquitatis, qui firmam basin verae ac germanae exegeseos constituere debet; alioquin quisque pro lubito ac ingenio posset nova excogitare, eaque arripere ac probare, non quae solida ac vera sint, sed quae nova ac ingeniosa magis, etsi a veritate prorsus

(1) Apud Hengstenberg, *Christologia V. T.* Berol. 1829, part. 1, sect. 1, pag. 76.

(2) In novissima edit. *Parvi vocabul.* part. 2.

abhorreant. Adde demum longe verosimilius urbem Sciloh Jacobi tempore nondum extitisse (1).

77. II. Obj. Dato etiam quod Jacob loquutus sit de Messia, nihil tamen inde extundi potest pro re christiana, quum Jacob nullam epocham specialem ipsius adventus determinaverit. Etenim, ut animadvertit R. Aben-Ezra (2): *Non est sensus verborum* עַד־כִּי (*ad-ki*) *seu donec, usque etc. sceptrum esse recessurum, cum venerit Sciloh; sed haec locutio similis est illi: Non deerit huic panis, donec veniat tempus, quo ei erunt agri vineaeque multae* (*id est, quando veniet tempus ejusmodi, multo minus ei panis deerit*); *item Gen. XXVIII, 15: Non deseram te, usque dum fecero, quod locutus sum tibi*, quod nempe velim te reducere in hanc terram, id est, multo minus te reductum in terram deseram; similiter igitur dicitur: *Non recedet sceptrum a Jehudah, donec veniat Sciloh, id est, numquam auferetur, seu numquam recedet sceptrum a Jehudah, multo minus, quum venerit Sciloh*. Quae quidem expositio arridet christianis ipsis; siquidem Basnagius (3) observat, עַד non solum significare *donec, usque*, sed etiam *perpetuo*, ut apud Moysem: *Dominus regnabit in saeculum*, וְעַד (*vead*) *et perpetuo*; et apud Isaiam: עֲדֵי עַד *perpetuo*. Ex quibus concludit; *Sic igitur vertenda sunt verba morientis prophetae: Sceptrum legislatorve de Judae sanguine cretus ab eo non recedet in perpetuum, quia veniet Sciloh*. 2. Verum et hoc praetermitto, quis ignorat, vocem *sceveth* interdum virgam afflictionis ac tribulationis significare, juxta illud Ps. II, 9: *Reges eos in virga ferrea*; et Is. X, 5? Tanta propterea est sensus Jacobi: *Non recedet virga afflictionis a Juda, donec veniat Sciloh* (4). Constat igitur nullum deter-

(1) Etenim in Pentateucho nullibi occurrit; primo legitur Jos. XVIII, 1, ubi Josue populum a castris Galgalae conducit in Sciloh, et erigit tabernaculum. Verisimiliter hic locus non erat, perinde ac Galgala, nisi locus castrorum, qui processu temporis coalescente multitudine hominum, in oppidum sive urbem excrevit. Hoc jam indicat nomen *quies*; postquam relata est populi collectio in Sciloh, expresse additur: *Et fuit eis terra subjecta*, et, cap. XXI, 42. coll. XXII, 4, dicitur, Dominum dedisse pacem et quietem a vicinis; cfr. Bachiene, *Palaestina*, II, 3, pag. 409. Insuper, data etiam ejus existentia tempore Jacobi, attamen mentio loci hujus ignoti adeo subitanea omnino videtur aliena. Accedit etiam illud, quod in tali expositione tota Jacob benedictio constitisset in eo, quod Judas futurus esset in capite turbae. Jam vero ad ducatum proprie dictum Moses ex alia tribu a Deo solemniter vocatus est. Nec Josue ex tribu Judae erat. Profecto promissio facta tribui Judae per solam praecedentiam in itinere non completur, nec cum eo quid commune habet, ut praetercam in tali expositione in ultimo membro gratuito suppleri adverbium loci *illic*, *ibi*, etc. Cfr. Hengstenberg. op. et loc. cit.

(2) Cfr. *Pentaphyllum rabbinicum in Gen.* XLIX, stud. Loscani, pag. 22.

(3) *Annal. politico-ecclesiast.* Roterod. 1706, tom. I, ad annum 40, ante Dominum, n. 18 et seqq. Neque ab hac interpretatione valde abluduit Hengstenberg. loc. cit. pag. 71, juxta quem hic sensus esset verborum Jacob: Juda, prout tribus est, non peribit, et ejus phylarchia non cessabit, donec ipsa per magnum restauratorem, cui non soli Judaei, sed omnes terrae populi obedient, ad majorem honorem et gloriam evecta fuerit. Incommoda hujus expositionis ex mox dicendis patefient.

(4) Hunc eumdem sensum tenuit auctor

minatum terminum Messiae adventui a Jacob praestitutum esse.

78. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob., *Neg.* 1. Quia et haec expositio nova est et sensui traditionali contraria ac versionibus omnibus antiquis; 2. quia adversatur scopo morientis Jacob, dandi scilicet signum, ex quo dignoscere Hebraei possent adventum Messiae; alioquin nullum omnino dedisset; 3. quia exploditur facto ipso; jamdiu enim cessasset regnum Judae, etsi non venisset Messias; ideoque falsitatis argueretur vaticinium Jacobi; 4. quia particula עַד (*ad*) non solitarie ponitur, sed jungitur cum alia כִּי (*ki*); porro ne unum quidem exemplum suppetit in tota Scriptura, ejusmodi praepositionem ita conjunctam significare *in aeternum, perpetuo*, prout supponi debet in data interpretatione; contra vero plura suppetunt exempla, in quibus ea praepositione terminus significatur (1).

79. Ex his concidunt pariter expositiones R. Bechai et Basnagii, quae iisdem premuntur difficultatibus, et ex regula ipsa accentuum exploduntur (2).

anonymus veteris *Nitzachon*, quem post alium ab Hackspanio vulgatum, cujus auctor extitit Lipmanus, edidit ex *MS.* bibliothecae Argentoratensis, Wagenseil in illa collectione, quam inscripsit: *Tela ignea satanae*, Altdorfii Noric. 1681. Itaque sic iste, pag. 29, exposuit sensum vaticinii Jacobaei: *Non cessabunt exilium tribus Judae et errores Jesu, donec veniat Sciloh, hoc est Messias, et ei erit obedientia populorum.* Adversus hanc vocis *sceveth* interpretationem scripsit integram dissertationem doctus P. Michaël Angelus Carmeli e Min. Obs. quae legitur in calce tomi II, inscripti: *Storia di vari costumi sacri e profani dagli antichi fino a noi pervenuti*, pag. 225. et seqq.

(1) Sic Gen. XXVI, 13: *Eundo et crescendo, usque dum,* עַד כִּי *(ad ki) crevit magnopere*; et cap. XLI, 49: *Et congregavit Joseph frumentum . . . multum valde, donec* עַד כִּי *cessavit numerare.*

(2) Nemo qui plane hospes ac peregrinus in hebraica lingua non sit, ignorat accentum *athnach*, qui hoc in loco voces עַד כִּי praecedit, hemistichium prius a posteriore omnino sejungere quoad sensum. Itaque contra accentuum canones Basnagius discerpit עַד a כִּי, ut suam novam obtrudat interpretationem. Praeterea in locis Genes. indicatis eaedem particulae occurrunt atque II Reg. XXIII, 10 et II Paral. XXVI, 15, at nullibi praeterea. Idem porro in omnibus locis sensus est.

Expositio autem Hengstenbergii pariter in eo peccat, quod pro certo sumat, per עַד־כִּי simul juncta continuationem, non autem terminum significari; quod ex dictis falsum est; 2. quod omnis epochae determinatio pro Messiae adventu tollatur; omnem enim vim adversus Hebraeos oraculum amittit ad eos perstringendos ut patet ex interpretatione R. Aben-Esra, quam ipse laudat et approbat; 3. neque spernenda est animadversio Deylingii, quam sibi Hengstenberg opponit ex *Obs. sacr.* II, pag. 83: « Patriarcha loquitur de sceptro temporali; Messiae autem sceptrum et regnum, quod in terrarum orbe constitutum habet, spirituale est et mysticum; igitur Messiae regnum spectari nequit ut continuatio regni et sceptri Judae »; vel si placet, ut inferius declarabimus, spectari debet cessatio sceptri temporalis Judae respectu sceptri et regni Messiani, ut cessatio in ordine ad alterius regni substitutionem. Illud interea statui necessario debet, signum aliquod exhiberi Jacobaeo vaticinio, ex quo dignosci posset, epocham a moriente Jacobo designatam pro Messiae adventu transactam esse. Hoc autem signum non haberetur si, עַד־כִּי continuationem significaret.

80. Ad 2. *D.* Vox *sceveth* interdum virgam afflictionis significare potest cum epitheto afflictionem significante, *C.*; per se in usu biblico, aut saltem in casu nostro, *N.* Talem enim hujus vocis significationem excludit alterum Jacobaei vaticinii hemistichium, in quo voci *sceveth* sive *sceptro* opponitur vox *legislator* sive *dux*, prout jam animadvertimus: eam praeterea excludunt cetera vaticinii adjuncta, quibus deprehenditur Jacob omnia fausta ominari Judae; explodit denique historia, ex qua constat, per decem saltem secula florentissimam stetisse judaicam rempublicam, nec quempiam suspicatum quidem esse jugo afflictionis Judaeos premi, prout contingere debuisset juxta novum istud rabbinorum effugium.

81. III. Obj. Esto, Jacobaeum vaticinium tum pertinere ad Messiam, tum definiri per illud epocham ipsius adventus; at illud nondum completum esse, plura suadent. Ac 1. nondum ablatum est sceptrum a Juda, siquidem florentissima adhuc vigent Judaeorum regna in America, Asia, Aethiopia, aliisque orientalibus plagis. Sane R. Benjamin Tudelensis in historia seu relatione itineris sui, sec. XII conscripta, plura retulit de quodam Ἀιχμαλωτάρχῳ, seu captivitatis principe, e tribu Juda oriundo, in Asia imperante; apud quem infinitas esse Judaeorum copias affirmat, suis legibus utentes, rerum omnium ubertate affluentes, et beatissima loca longe lateque occupantes (1). 2. Verum etsi ablatum reipsa esset sceptrum a Juda, nihil exinde ad rem suam constabiliendam adversarii proficerent, nisi simul ostenderent, Judaeos jus ad amissum sceptrum non amplius retinere, quod Romani per summam injuriam iis abstulerunt, quemadmodum jus istud in ipsis perseveravit, quamvis in captivitatem Babylonicam adducti fuissent. Quare vel jus istud sufficit ad hoc, ut dici possit sceptrum conservari, et in hac hypothesi apud Judaeos adhuc sceptrum conservatur; vel non sufficit, et in hac altera hypothesi sceptrum defecisset a Juda quinque et amplius saeculis ante eversionem hebraicae reipublicae, quod nemo dicet. 3. Hinc, ut scite observat Salvador (2), antiqua Hebraeorum respublica juxta praedictiones, Levit. XXVI, 40 et 41; Deut. XXX et XXXII, 43, in pristinum statum restitui debet; sub respectu vero politico ac naturali, status Orientis adhuc provisorius est; omnia portendunt proximam Judaeorum regenerationem, quae fructus erit magnae populorum confoederationis, qua pax et felicitas Hebraeorum in dies augebitur, mediante aliorum felicitate et pace; ac filii Israël denuo tunc poterunt fecundam terram patrum suorum incolere, quae sterilis effecta est sub passibus Islamitarum; poterunt excitare templum Jehovah, legisque palatium restituere. Ergo.

82. Resp. *Neg. antec.* ad 1. prob. *D.* Plura adhuc vigent florentissima Judaeorum regna in fecundissima rabbinorum imaginatione, *C.* in hujus terrae regionibus *N.* Mirum profecto est, hujusmodi fabulas adhuc venditare rabbinos in tanta geographiae luce, qua fit, ut vix aliquis sit terrae angulus, qui probe non cognoscatur. Mittimus pariter, quae de flumine sabbatico mira ipsi fabulantur (3), ne tempus in ejusmodi commentis serio refellendis projicere videamur.

83. In eumdem censum referri pa-

(1) Apud Derossi, op. cit. cap. 3, § 2.
(2) Op. cit. tom. III, liv. IV, pag. 362.
(3) Cfr. quae de hoc fabuloso flumine refert ex auctoribus Hebraeis, praesertim vero ex prolixa epistola, quam scripsit Eldad Haddani anno Domini 1283 ad Hebraeos in Hi-

riter debent, quae ex eadem officina protulit Benjamin Tudelensis ad suos ludificandos. Illud addimus ad tollendas omnes ejusmodi tricas, foedus a Deo cum hebraica natione initum, ac promissiones divinas ipsi factas alligatas esse Palaestinae solo, ut ex Pentateucho constat, in eoque proinde compleri debere.

84. Ad 2. *Neg.* Nec enim de *jure* quaestio est, sed *de facto*, de quo solum loquitur Jacob; alioquin inutile prorsus fuisset ipsius vaticinium, cum nullum exinde signum Judaei habuissent, quo epocham promissi et expectati Messiae cognoscere possent. Hinc vetus synagoga non de jure, sed de facto seu possessione sceptri, hoc oraculum semper intellexit.

85. Ex his porro responsio patet ad propositum dilemma: nempe non sufficere jus, ut nondum adimpletum censeri possit jacobaeum oraculum, sed praeterea requiri actualem sceptri possessionem. Nihil vero officit veritati vaticinii intervallum captivitatis babylonicae, tum quia breve omnino illud fuit, ratione habita tot saeculorum, quot sive ante sive post captivitatem illam effluxerunt, triginta scilicet plus minus annorum, ut ostendit Tirinus (1); tum quia a prophetis jamdiu certiores facti fuerant Judaei de proxima ejusdem solutione ac reditu, ab Isaia praesertim ac Jeremia (2), atque ex iteratis promissionibus in ipsa captivitate a Daniele et Ezechiele prolatis (3). Et haec quidem in hypothesi, quod nomine *sceptri* significetur regalis successio; ceterum inferius ostendemus longe verisimilius per sceptrum non designari nisi supremam potestatem ac totius judaicae gentis collectionem, quo sensu nec captivitatis babylonicae periodo omnino cessasse potestatem istam compertum fiet.

86. Ad 3. *Neg.* Cum enim, juxta dicta, de facto agatur, et vere constet Palaestinam jam ab octodecim ferme saeculis vacuam Judaeis esse, quidquid sit de praesenti ejusdem statu, atque de spe futurae Judaeorum regenerationis, de proxima vel remota populorum confoederatione, de ejusdem fructu aliisque ejusmodi, quae sibi adversarius laeta ac ridenti phantasia cum suis omnibus fingit; illud semper verum erit, tum ablatum sceptrum a Juda esse, tum proinde adimpletum Jacobi vaticinium, et, quod consequens est, Messiam jamdiu advenisse. Quo vero

spaniis, Cl. Bartolocci Ord. Cist. in *Biblioth. rabbinica*, tom. I, pag. 100 et seqq. Josephus, *De bello Jud.* lib. VII, cap. 5. edit. Havercampi, portentosa pariter de hoc flumine narrat, quodque visum a Tito fabulatur, iter faciente a Beryto in Syriae urbes.

(1) Cfr. *Chronicum sacrum*, cap. 35, conclus. 3, quae ita se habet: « Verisimilius videtur ab anno 11. Sedeciae, quo excisum est templum et urbs Jerosolymitana, usque ad annum 1 monarchiae Cyri, non fluxisse 70 vel 60 vel 52 annos . . . . sed solum 30 annos »; quam deinde conclusionem plurimis argumentis confirmat. In hac sententia exordium 70 annorum servitutis a Jeremia praenunciatae sumi deberet ab anno 13 regni Josiae. Nam ab anno 1 Cyri, quo soluta est captivitas, retrogrediendo ad annum excidii templi et urbis, non recensentur nisi anni 30; ab excidio urbis ad annum 13. Josiae habentur anni 40, qui una cum illis efficiunt annos 70. Sed consulatur idem auctor loc. cit. *Commentarii in Vet. et Nov. Test.* tom. I.

(2) Cfr. Is. XIV, 1; XL, 1; XLVIII, 20; Jerem. II, 15; XVI, 15; XXIV, 5; XXV, 12; XXIX, 10; XXX; XXXI, 9; XXXII, 37; XXXVI, 27.

(3) Ezech. XI, 17; Dan. IX, 2, 25.

sensu accipi debeant objecta Scripturarum loca ex Levitico et Deuteronomio, idoneo loco dicemus.templique restitutionem. Adhuc autem oranti adstitit Gabriel angelus, qui et veniam promittit per adventurum Messiam, et Urbis ac templi reaedificationem, populi reditum ad terram patrum suorum, ubi pro septuaginta annorum exilio septuplo diutius usurus esset adepta libertate. Porro quoniam textus hebraicus in nonnullis discrepat a vulgatae nostrae lectione, praecipuas varietates notabimus. Sic igitur Danielem affatur Angelus cap. IX.

§ II.

Expenditur vaticinium Danielis

87. Daniel, in captivitate positus, affligebat se coram Domino, peccatorum populi sui veniam impetraturus et liberationem ab eadem captivitate, Urbis

JUXTA VULGATAM	TEXTUS HEBRAICI PRAECIPUE DISCREPANTIAE
24. *Septuaginta hebdomades* abbreviatae sunt *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur* Sanctus Sanctorum	decisae, resectae, *vel* decretae *aut* statutae sunt (1)
25. *Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum.*	Sanctissimum (2).
26. *Et post hebdomades sexaginta duas* occidetur Christus; *et non erit* ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis	extirpabitur, excidetur Unctus (*seu Christus*), et non ei (3). Urbem et sanctuarium destruet populus principis venturi, et finietur in inundatione, et usque

(1) Alexandrini habent: Συνετμήθησαν, *breviatae sunt:* alii apud Origenem in *Hexaplis* vertunt: Ἐκρίθησαν, *decretae sunt;* alii, ut Hengstenberg, contendunt, significationem חָתַךְ proprie esse *resecare*, ex chaldaico et rabbinico חָתַךְ. Verum in idem fere ejusmodi significationes recidunt, et utramque exprimit vulgata per *abbreviatae sunt*. Scopus enim Angeli est, temporis terminum exacte limitare. Cfr. Hengstenberg, op. cit. tom. II, part. 1 et 2, pag. 413 et seqq. Berolini 1832.

(2) Vel, ut aliis placet, *Sanctitas Sanctitatum*, קֹדֶשׁ קָדָשִׁים

(3) נִכְרַת, *excisus fuit*, absque additamento, indicat sine ulla exceptione mortis

ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio

27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium*, et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (1).

ad finem est bellum, decretum ruinarum (2).

et super extremitatem (*culmen*) abominationum vastator, et quidem usque completum et resectum stillabit, *seu* fundetur super vastatum (3).

88. His praemissis, tria hic pariter ostendere debemus, tum vaticinium Danielis ad Messiam pertinere, tum epocham ipsius adventus determinatam in eo esse, tum denique jamdiu elapsam ejusmodi epocham.

89. Primum vero evincimus ex ipsis oraculi verbis et adjunctis ejus omnibus, atque ex antiquiorum rabbinorum ac veteris synagogae sensu. Jam vero ad Danielis verba quod attinet ac vaticinii ejus adjuncta, ille promittitur venturus, qui praevaricationem consummet, finem peccato imponat, deleat iniquitatem,

atque adducat justitiam sempiternam. Atqui haec munera propria esse venturi Messiae, seu plenissime haec per Messiam praestanda esse, prophetae omnes unanimiter tradunt, Isaias praesertim LXI, 1; Zacharias III, 8; Malachias III et IV, ita ut s. Petrus, Act. X, 43, de Christo dicere non dubitaverit: *Huic* OMNES *prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Rursum ille promittitur venturus, qui vocatur *Sanctus Sanctorum*, vel si mavis, *Sanctum Sanctorum*,

violentae genus, ut Zach. XIII, 8, ubi opponitur טֶבַח נֶגֶד; prius per gladium, posterius per famem et pestem inferri perniciem denotat. Cfr. III Reg. IX, 6. De impiis Ps. XXXVI, 9; Prov. II, 22.

(1) Cfr. Hengstenb. loc. cit. 473 et in seqq. Sed verius ad litteram est; *Decretum vastatae*, id est, *res vastatae*, sive *ruinae*; exhibet propheta hoc loco eamdem syntaxin ac superius: *Hebdomades septuaginta decisum est*, seu *decisae sunt*; hinc sensus est: *Decretae ruinae*.

(2) Ibidem.

(3) שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמֶּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע וּלְהָתֵם חַטָּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֹן וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים: וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל מִן־מֹצָא

דָּבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַם עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד שָׁבֻעִים שִׁבְעָה וְשִׁבְעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ וּבְצוֹק הָעִתִּים: וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ וְאֵין לוֹ וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית עַם נָגִיד הַבָּא וְקִצּוֹ בַשֶּׁטֶף וְעַד קֵץ מִלְחָמָה נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת: וְהִגְבִּיר בְּרִית לָרַבִּים שָׁבוּעַ אֶחָד וַחֲצִי הַשָּׁבוּעַ יַשְׁבִּית זֶבַח וּמִנְחָה וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם וְעַד־כָּלָה וְנֶחֱרָצָה תִּתַּךְ עַל־שׁוֹמֵם:

Sanctitas Sanctitatum sive *Sanctissimum*, et in quo visio sive prophetia implenda praenunciatur. Porro, si per *Sanctum Sanctorum* intelligitur persona, prout non solum latina vulgata versio, sed versio praeterea alexandrina, sive LXX, et Theodotionis indicant (1), hoc sensu nullum dubium superesse potest, designari Messiam, qui solus per excellentiam Sanctus dici potest, et revera dicitur, Ps. XV, 10, et Is. XII, 6. Quod si, ut aliis magis arridet, *Sanctum Sanctorum* in neutro genere sumitur, ita ut non personam sed rem denotet, sententia in idem recidit; hoc enim sensu templum mysticum significatur, quod spiritualiter inungi debebit, et templo materia opponitur, quod juxta prophetam destruetur; ac propterea significatur Messias, qui juxta prophetas sedes Dei esse debebat, ut Zach. VI, 12; Ps. XIV, 1; Ps. XXI, 4, imo et Emmanuel, sive *Nobiscum Deus*, Is. VII, 14. In ipso vero completae seu sigillatae sunt visio et prophetia, utpote qui solus prophetiarum terminus et finis est. Ille demum promittitur, qui appellatur *Messias* et *princeps* sive *dux* (2), qui praeterea

(1) LXX vertunt: Καὶ τοῦ χρῖσαι ἅγιον ἁγίων, ex communi interpretatione: *Et ungatur Sanctus Sanctorum;* in graeco enim est in accusativo; eadem ratione vertit Theodotion, ut patet ex Origenis *Hexaplis*, tom. II, pag. 336, edit. Maur. Hinc evidens est, hos interpretes *Sanctum Sanctorum* de persona intellexisse. Sed non soli interpretes christiani, et antiquiores Hebraei modo recensiti, sed ipsi Hebraei sequiores haec verba non modo personam aliquam, sed ipsissimum Messiam significare fassi sunt, prout fuse ostendit Raym. Martini, part. 2, cap. 3, § 16; adductis testimoniis ex *Bérescit rabbà*, Rab. Mosce Haddarschan; ex lib. *Sanhedrin* in distinct. *Chelek*, R. Alexandri R. Mosce Nachmanidis Gerundensis, aliorumque. Nos brevitatis gratia unius Mosis filii Nachman auctoritatem proferemus, qui, haec verba explanans, ait: *Sanctuarium sanctuariorum* (vel Sanctus Sanctorum) *est Messias sanctificatus, de filiis David.* Alia praeterea testimonia ex Judaeorum libris refert Schoettgenius, *Horae hebr.* tom. II, pag. 263 et seq. Attamen non desunt, qui contendant, non posse verba קֹדֶשׁ קָדָשִׁים sumi de persona, nisi sensu translato. Ac primo quidem ea non posse intelligi de persona, ex eo sese arbitrantur colligere, quod voces illae numquam de personis in Scripturis usurpentur, etsi 43 vicibus occurrant; debere autem intelligi sensu figurato duplici ratione ostendere nituntur: 1. quia omnia loca in quibus sermo est de unctione materiali et externa, evincunt ejusmodi unctionem externam non esse nisi symbolum interioris sanctitatis, ut Exod. XXX, 22 et seq.; XL, 9 et seq. collat. Zach. IV, ubi oleum est symbolum Spiritus Dei; 2. quia plura loca occurrunt, in quibus unctio mere metaphorice sumitur, ut Ps. XLIV, 8, 9; Is. LXI, 1; III Reg. XIX, 15 et seq. In N. T. dona Spiritus S. vocantur χρίσματα, I Joan. II, 20, 27. Cfr. Act. IV, 27; X, 38; II Cor. I, 21. Unde concludunt, קדש קדשים idem valere ac *Novum templum Dei*, *Ecclesiam N. T.* ac propterea ejus caput et institutorem, nempe Messiam. Quapropter Messiae unctio nihil significat aliud quam effusionem donorum Spiritus S. ipsi collatam, ut suo munere fungeretur, prout legitur Is. XI, 1, et in baptismo, saltem quoad externam missionem, locum habuit. Cfr. Hengstenberg, loc. cit. pag. 444 et seqq.; cfr. etiam Scholl in *Comment. de* LXX. *hebd. Daniel*, Francof. ad Moenum 1831.

(2) Perperam Bertholdt in *Daniele* cum reliquis non-messianis interpretibus conatur evincere per משיח נגיד, quod est *Messias Princeps*, principem extraneum designari. Etenim 1 bona (v. 24) praedicta ubique in prophetis de tempore Messiano dicuntur; si igitur ubi sermo est de rege, qui circa exi-

pactum Dei cum hominibus confirmare debeat. Jam vero, etsi in Scripturis interdum aliis etiam *Christi* ac *Ducis* nomen tribuatur, attamen nemo est praeter Messiam, qui per excellentiam *Christus* et *Dux* nuncupetur, solus Messias est, qui saepissime ab Isaia dicitur datus *in foedus populi*, praesertim vero XLII, 6 et XLIX, 8; quem propterea Malachias, III, 1, *Angelum testamenti* seu *foederis* appellavit. Tam igitur Danielis verba quam adjuncta omnia ipsius oraculi talia sunt, ut sive seorsum spectata, sive simul sumpta, nonnisi ad Messiam referri possint.

90. Id ipsum mirifice constat ex veteris synagogae, et antiquiorum rabbinorum sensu et sententia. De synagogae sententia praeter Rabbi Manassem, qui fassus est contribules suos Danielis oraculum ad Messiam referre, et affirmavit praeterea ejusdem sententiae fuisse Judaeos omnes, qui sub Tito et Vespasiano arma in Romanos sumpserunt, testis est ipse Josephus, qui huc refert Danielis vaticinium, ex recepta sua aetate sententia (1). Hinc non alia de causa juxta rabbinos prohibitus fuit Jonathan ben Uziel vulgare suam paraphrasin in *Cheduvim*, sive Hagiographos, inter quos

tum LXIX hebdomadae venturus erat, patet eum paulo ante effusionem bonorum illorum venire debuisse, nec proinde his verbis quidquam significari praeter illorum bonorum auctorem. 2. Nexus causalis inter personam et distributionem bonorum indicatur per vocabulum משיח, relate ad למשיח et קדיש קדשים. Porro per *Sanctissimum* significari Messiam ipsum pluribus ostendimus. 3. Quemadmodum נגיד non excludit relationem ad Messiam, cum de illo pariter dicatur Is. LV, 4, sicut שר, Is. IX, 6; מושל, Mich. V, 1; נשיא, Ezech. XXXIV, 24, ita nec משיח, quod se habet ad נגיד sicut speciale ad generale, et aperte Messiam respicit. Inservit namque ad hoc, ut per נגיד designatur princeps theocraticus; cfr. I Reg. X, 1. Numquam paganus rex ita vocatur, qua talis. De Cyro solum, Is. XLV, 1, משיח legitur, tum ob specialissimas relationes ejus ad theocratiam, tum ob dona a Deo ipsi collata ad Judaeorum salutem, tum ob initia cognitionis veri Dei, ex suo decreto (cfr. II Paralip., cap. ult.; Esdr. I, 2,) tum ob typicam relationem ad Christum Messiam. Imo ut rex theocraticus considerari potest, et pro tali sumitur Is. XLV, 1. 4. Ex contextu, in quo opponitur משיח נגיד : τῷ הבא נגיד נגיד utrique commune, ast משיח *theocraticus*, הבא *extraneus*. Atqui a tempore Danielis nemo rex theocraticus juxta Ezech. XXI, 32; ergo unus Messias designatur. 3. Tandem *terminus ad quem* hujus vaticinii estne Christi nativitas, an ejus publica manifestatio? Hoc posterius communius. Cfr. Petav. *Doctr. temp.* lib. XII, cap. 33, pag. 264, tom. II. Jam vero hebdomades LXIX, ut inferius ostendemus, desinunt in Christum. Post LXX hebdomadas opus salutis debet esse completum; usque ad Messiam hebdomadae LXIX, qui media LXX hebdomada extirpabitur. Ergo remanent anni tres cum dimidio. Hinc illud עד־משיח tantumdem valet ac: *Usque ad publicam manifestationem Messiae*. Sane vel ipse Bertholdt, pag. 563, haec verba ad Christum proxime referri fatetur, scribens, « Si non necessarium absolute, attamen valde naturale est, ad haec verba משיח נגיד cogitare de Messia Jesu et de ipsius morte in cruce ». Cfr. Hengstenberg, loc. cit. pag. 460 et seqq.

(1) *Archaeol.* lib. X, cap. II, § 7, p. 544, scribit: Δανιήλος καὶ περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται. Id est, *Daniel et de Romanorum imperio scripsit, et magnam ab illis vastitatem illatum iri*, nempe rebus nostris. Sed clarius, *De bello jud.*, lib. IV, cap. 6, § 2, p. 292, ubi de Zelotis

recensetur Daniel, quam propter perspicuam determinationem epochae Messiae, prout animadvertit Rasci (1). Rursum Messias juxta eosdem, in *Berescit rabbà*, in cap. XIV Genes. pag. 264, debet adducere *justitiam saeculorum*, quinimo ipsemet Messias est justitia sempiterna et Sanctus Sanctorum, ut fatetur Nachmanides, Moses Geronensis ac Moses Haddarschan (2), imo R. Mordachai in suo *Scemen Amischà Aftarà* I, fol. 12, fatetur Messiam illum esse, ad cujus adventum perducunt LXX Danielis hebdomadae (3). Sive igitur veteris synagogae sensum, sive praecipuorum antiquorum rabbinorum confessionem spectemus, constat Danielis prophetiam ad Messiam spectare.

91. Quod autem secundo loco posuimus, in eo scilicet vaticinio determinatam esse Messiae epocham, evincitur 1. ex relatione harum LXX hebdomadarum cum LXX annis, quibus Jeremias captivitatem babylonicam praenunciavit, ut constat ex ipso contextu, Dan. IX, 2. Jam vero nemo dicet, Jeremiam posuisse annos LXX pro tempore indeterminato; eadem igitur ratione patet, Danielem non potuisse LXX annorum hebdomadas ponere pro tempore indeterminato. 2. Ex characteribus intrinsecis ipsius prophetiae, quae prae se fert chronologicam determinationem. Quorsum enim tempus, quod LXX hebdomadarum periodo concluditur, in septem hebdomadas, sexaginta duas et unam dividitur, eamque rursum bifidam, nisi de tempore determinato vates ageret? 3. Ex eo quod duo termini aperte significentur, *terminus* nempe *a quo* illarum decursus incipere debet, *exitus sermonis*, seu *verbi* sive *decreti* reaedificationis urbis, et *terminus ad quem*, seu quo eaedem hebdomadae desinunt, scilicet ante urbis ac templi excidium. 4. Ex analogia cum ceteris ejusdem prophetae vaticiniis, etenim cetera tempora pro futuris eventibus a Daniele determinantur, ut cap. IV et XII. 5. Demum ex veterum Judaeorum consensu, ut ex modo dictis patet. Ergo.

92. Restat igitur, ut ostendamus, vaticinium istud jamdiu esse completum, quod ex praejactis fundamentis

ait: Τὴν κατὰ τῆς πατρίδος προφητείαν τέλους ἠξίωσαν· ἦν γὰρ δή τίς παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν, ἔνθα τότε τὴν πόλιν ἁλώσεσθαι, καὶ καταφλεγήσεσθαι τὰ ἅγια νόμῳ πολέμου, στάσις ἐὰν κατασκήψῃ, καὶ χεῖρες οἰκείας προμιάνωσι τὸ τοῦ Θεοῦ τέμενος· οἷς οὐκ ἀπιστήσαντες οἱ ζηλωταὶ διακόνους ἑαυτοὺς ἐπέδοσαν. « Effecerunt, ut prophetia, quae adversus patriam fuerat concepta, exitum (suum) sortiretur. Vetus enim virorum sermo quidam erat, tum urbem captum iri, et (loca) sancta conflagratura jure belli, ubi seditio invaserit, et indigenarum manu, polluerint sacratum Deo locum. Quibus licet fidem non detraherent Zelotae, ipsi tamen se earum rerum ministros praebuerunt ». Ad quem locum Hudsonus, consentiente Relando, fatetur, παλαιὸν illum λόγον ἀνδρῶν esse traditionalem quamdam expositionem vaticinii Danielis IX, 26.

(1) *Seder holam* in *Jalckut Simeoni* II, fol. 79, 4: *R. Jose dixit*; « Septuaginta hebdomades post devastationem templi primi intercedunt usque ad devastationem templi secundi. Meghillah, fol. 3, 1: Quare prohibitum fuit Jonathae filio Uziel edere Targum in Hagiographa? *Resp.*: Quia in eo continetur terminus adventus Messiae. *Rasci ibid.*: Terminus Messiae habetur in libro Danielis ». Reliqua testimonia cfr. apud Schoettgenium, op. et loc. cit. pag. 264 et seqq.

(2) Ibidem.

(3) Apud Derossi, op. cit. pag. 98, ubi cfr. textus R. Manasses, ex lib. *De termino vitae*, pag. 175.

facile adstruitur. Ex Danielis prophetia ab exitu sermonis reaedificationis urbis usque ad ejus destructionem hebdomades LXX annorum effluere debebant, id est, anni 490; atque intra idem spatium tum adventurus erat Messias, tum inungi ac morti tradi debebat, abolenda item erant V. L. sacrificia, complenda visio, delenda iniquitas, et justitia sempiterna adducenda. Atqui ab octodecim saeculis tam urbs quam templum eversa sunt, et abolita sacrificia judaica, seu transactus est *terminus, ad quem* protendebatur epocha a Daniele determinata; ergo et ea completa sunt, quae intra illud temporis spatium eventura erant; nempe tum venit, tum inunctus est Messias, morti traditus est, completa est visio et prophetia, deleta est iniquitas et adducta justitia sempiterna; seu, quod idem est, ex Danielis vaticinio constat, jamdiu elapsam esse epocham futuri Messiae, ideoque Messiam jamdiu advenisse.

DIFFICULTATES

93. I. Obj. Falsum, aut saltem incertum est, num in hoc Danielis vaticinio sermo sit de Messia. Etenim 1. incertum est, utrum Daniel de uno eodemque Christo, an de duplici loquatur (1); 2. incertum, utrum loquatur de Cyro an de Antiocho Epiphane, ut contendit Marshamus, vel de Alexandro M., ut cum Bertholdt vult Rosenmüller, aut de Seleuco IV Philopatore fratre et immediato antecessore Antiochi Epiphanis, qui veneno sublatus est, aut etiam de Seleuco II. 3. Marshami porro expositionem, in quam quoad rei substantiam ceterorum recentiorum expositiones conveniunt, plura sunt, quae probabilem efficiant, imo veriorem. Scopus prophetae, qui solum anxius erat de futura populi sui nec non Urbis et templi conditione ac sorte; calculus chronologicus, qui nos ad ea tempora perducit; inauguratio Sancti Sanctorum seu templi, quae sub Juda Machabaeo contigit; templi desolatio, quae perduravit usque ad finem belli; confirmatio pacti cum multis hebdomada una, quae facta est tum per constantiam fidelium Judaeorum, tum per adhaesionem ad Judam Machabaeum; defectio hostiae sive victimae et farti in medio postremae hebdomadis, quae per id temporis adamussim locum habuit; demum deletio peccati et iniquitatis, seu cessatio poenae peccatis Judaeorum debitae, quae quidem poena passim in Scripturis *peccatum* dicitur (2); nec non adductio justitiae sempiternae, nempe legalis, quatenus Judaei numquam posthac idololatriae crimine se commacularunt, vel adductio felicitatis, qua fruituri deinceps erant Judaei, excusso servitutis jugo. 4. Cum igitur tum chronologia tum adjuncta omnia in tempora Machabaeorum mirifice conspirent, mirum esse non debet, si vel ipsi catholici interpretes Harduinus et Calmet in eamdem expositionem, ad rei summam quod attinet, ultro concesserint (3).

(1) Ita censent interpretes non messiani, qui huc referuntur. Winer in *Parvo Dict.* ex tripode pronuncia: מָשִׁיחַ *de Messia nusquam legitur in V. T.*

(2) Cfr. Calmet in diss. *De septuaginta septimanis Danielis*, quam praemisit suo commentario in hunc prophetam. Is porro existimat per illa verba: *Finem accipiet peccatum*, etc. alludi ad Jerem. L, 18 et seq. ubi sermo est de solutione captivitatis.

(3) Harduinus, *Chronologia V. T.* Paris. 1709; Calmet, diss. cit.

5. Quin potius non immerito Bertholdt ac Rosenmüller aliique cum ipsis hac conspiratione intulerunt, Pseudo-Danielem quempiam, cum vidisset elapsum jam tempus a Jeremia praefixum, et prophetiarum de promisso feliciori rerum statu non adimpletam esse, sibi proposuisse veteris prophetae honori ita consulere, ut septuaginta illos annos non simpliciter tales, sed totidem annorum hebdomadas intelligendas esse doceret, et omnia vaticinii hujus dicta eventis praeteritis accommodaret (1), ut poëtae facere solent. Ergo.

94. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. probat. *Neg.* Etsi enim Christus seu Messias hic apposite non determinetur, ex contextu tamen et ex oppositione ad extraneum regem, de quonam sermo sit, facile patet. Etenim ad finem LXII hebdomadis venturus (nempe, ut declaravimus, quoad publicam sui manifestationem) dicitur *Messias dux*, seu *princeps* (מָשִׁיחַ נָגִיד). Quis ergo alius Messias nisi jam commemoratus excidetur post septem et sexaginta duas hebdomadas? Insuper mors Messiae ponitur in nexu causali cum excidio urbis et templi, prout ejus adventus (v. 25) nectitur cum collatione bonorum (v. 24). Quis porro non videat benedictionem et maledictionem, quum in idem spatium temporis incidant, ab eodem auctore repetendam esse? Eo magis quod mors violenta Messiae, tum Ps. XXI, 17, tum Is. LIII, 5, et Zach. XII, 10, etc. praenuncietur. Falsum igitur est, incertum esse, utrum de uno an de duplici Christo in Danielis prophetia sit sermo (2).

95. Ad 2. *Neg.* Si enim, ut ex modo dictis liquet, Angelus in hoc vaticinio loquitur de uno eodemque Messia qui perhibetur venturus et occidendus, cum nemo ex his morte violenta occubuerit, et quidem illata a populo suo, hoc ipso constat, nec de Cyro, nec de Antiocho Epiphane, aut Alexandro M. vaticinium intelligi posse. Multo vero minus in quemlibet istorum quadrant reliqua vaticinii adjuncta superius commemorata, aut chronologia, ut ex dicendis patebit. Id ipsum dicatur de Seleuco II ac Seleuco IV, quae omnia ex arbitrio, seu gratuito, et absque fundamento, non dicam solido, sed ne vel levissimo quidem constituuntur.

96. Ad 3. *Neg.* Etenim 1. ipsi non favet scopus prophetae; quia, etsi Daniel ad orandum se contulerit ex lectione prophetiarum Jeremiae, nuspiam tamen legitur, illum orasse ad restitutionem obtinendam eo praecise anno, quem Jeremias praesignaverat. Oratio ejus versatur circa populi, urbis et templi restitutionem, nulla temporis alicubi facta mentione. Igitur falsum est, quaestionem versari solummodo circa exteriorem restitutionem, ac responsionem esse solummodo de Messia. Oratio praecipue versatur circa remissionem peccatorum obtinendam (v. 19 et seqq.). Quum vero haec plenissime juxta omnes prophetas per Messiam praestanda esset, in illa igitur prece jam includebatur oratio pro adventu Messiae ejusque regni. Responsio autem insuper agit de populo, Urbe ac templo, quae connexa erant cum ipso Messia ejusque fatis, de quibus Angelus postea disserit. Responsum igitur divinum optime congruit sensui et orationi Danielis (3).

(1) Ita Rosenmüller in *Daniel.* cap. 9, pag. 322, Lips. 1832.

(2) Cfr. Hengstenberg, op. cit. pag. 472. et seq.

(3) Jahn, *Appendix hermeneuticae*, fasc. 1, pag. 125 et seq. Viennae 1813, contendit post Dathe, minime legendum esse שִׁבְעִים שָׁבֻעִים *septuaginta hebdoma-*

97. 2. Non calculus chronologicus eidem favet. Nam, si terminus, *a quo* fluere incipiunt LXX Danielis hebdomades, sumi debet a decreto reaedificationis urbis, ut patet ex Angeli verbis, hic incidit in annum XX regni Artaxerxis Longimani (Nehem. II, 1 et seqq.) Porro ab anno XX Artaxerxis, numerando annos 483, incidimus in annum 782 Urbis conditae, sive XV Tiberii Caesaris, id est ad publicam Christi apparitionem (Luc. III, 1 et seqq.), ideoque longe excedimus regnum Antiochi Epiphanis et alterius cujuscumque ex iis principibus, qui ab adversariis assignantur (1), velut terminus *in quem* desinit vaticinium.

98. Nec favet 3. inauguratio Templi; *a*) quia non agitur in vaticinio, ut sumunt adversarii, de *inauguratione*, sed de *unctione;* porro certum est ex constanti Judaeorum traditione, numquam templum secundum inunctum fuisse, prout legitur de tabernaculo Exod. XXX, 22 et seq., neque sub Zorobabel, neque sub Juda Machabaeo (2);

des, sed שִׁבְעִים *septuaginta*, *septuaginta anni*, etc. ac si Angelus vehementiori asseveratione cohaerenter ad fervidas Danielis preces ei dixerit: *Septuaginta, ita prorsus, septuaginta anni decurrunt;* seu *deproperant*, id est, vergunt ad finem, etc. ellipsin *anni* שָׁנִים ex versu secundo supplendo. Verum plura sunt, quae arbitrariam hanc Jahnii lectionem evertunt: 1. omnes codices, nullo excepto, legunt שָׁבֻעִים *hebdomades*, imo Kennicotius tresdecim recenset, qui plene habent שָׁבוּעִים, DeRossi quinque alios addidit, qui integram lectionem retinent; cfr. De Rossi, *Variae lectiones V. T.* vol. IV, pag. 145, Parmae 1788; 2. veteres omnes versiones in eadem lectione consentiunt; cfr. Bibl. Waltoniana, in hunc locum; 3. antiquiores Hebraei aeque ac recentiores eamdem lectionem tenent.

(1) Cfr. Petavius, *De doctrina templ.* lib. XII, cap. 32, vol. II; pag. 262 et seq. edit. Antverp. 1703.

(2) Qui ea, quae enumerantur v. 24, referunt ad tempus, quod immediate subsecutum est captivitatis babylonicae solutionem, ut Michaëlis et Jahn, haec verba transferunt ad inaugurationem templi reaedificati a Zorobabel et Josua; qui vero referunt ad tempus post oppressionem per Antiochum Epiphanem, haec dicta transferunt ad novam inaugurationem templi a Syris profanati. Utrique debent sumere τὸ לִמְשֹׁחַ in sensu improprio *inaugurari*, cum in neutro casu templum inunctum fuerit, et ex concordi Judaeorum traditione secundo templo defuerit sacrum oleum. Sed obstat ejusmodi expositionibus, 1. quod קדש קדשים numquam de templo materiali dicatur (hoc enim semper cum articulo הקדשים קדש effertur, II Paralip. III, 8; Exod. XXVI, 33; III Reg. VI, 16), sed de aliis rebus sacratissimis, uti altari, sacrificiis, supellectili, etc. Vid. *Concordant. Buxtorfii*, et cfr. Ez. XLI, 4, cum XLIII, 12; XLIV, 13 (I Paral. XXIII, 13, debet explicari cum Clerico: *Quidquid sacrosanctum erat*). 2. Externa inauguratio templi materialis non quadrat contextui, in quo promittuntur dona Dei spiritualia, quae referuntur ad extirpationem peccatorum et messianum characterem habent; hinc debet in propheta, finem religiosae oppressionis et initium regni Messiani connectente, aliquid sublimius perspicere. 3. Si de nova inauguratione sermo esset, non intelligitur, quae sit causa, cur verba, quae non totum templum, sed solum *Sancta Sanctorum* exprimant, propheta usurpaverit. Hoc persensit Bertholdt, pag. 651, atque, ut ab ea difficultate sese expediret, in exemplum adduxit quod legitur II Mach. V, 15, sed perperam; quia, etsi קדש

b) quia, ut animadvertimus, hic non agitur de templo materiali, sed de persona, ut evincunt veteres versiones et rabbinorum antiquiorum expositio et contextus; *c*) quia in adversariorum hypothesi ex vaticinio haec unctio contigisset post annum 490; et v. 27 hoc tempore praedicitur *destruendum*, non autem inaugurandum esse templum; *d*) quia non congruit chronologia, ut ex dictis patet.

99. Non suffragatur 4. templi desolatio, qualem adversarii autumant; etenim *a*) sub Syris nulla contigit templi urbisque vastatio, sed templi *profanatio* tantum facta est; Daniel autem loquitur de *vastatione* proprie dicta (*inundatio* בשטף, *in inundatione*, imagine deducta ab expeditione bellica terram inundante); *b*) loquitur praeterea de vastatione, quae sub finem v. 25. praedicitur, fore ut sit decreta et irrevocabilis; hinc, sicut per Dei decretum irrevocabile urbs ac templum ruinis sepulta fore praedicuntur v. 26, sic v. 27 praenunciatur per decretum aeque irrevocabile perpetuis ruinis utraque fore sepeliendа; *c*) quia ex dictis falso ac gratis assumunt adversarii, templi desolationem usque ad finem belli tantum, seu septuagesimae hebdomadis fore duraturam, cum agatur de vastatione perpetua (1).

100. Neque cohaeret, 5. quod subditur de pacto cum Deo inito, vel per constantiam fidelium Judaeorum, vel per adhaesionem Judae Machabaeo; ex articulo enim praefixo voci *multis*, indicatur illos *multos*, de quibus agitur, determinatos esse ex genere aliquo, scilicet illi sunt, qui erant objectum divinarum promissionum, fideles nempe ex Judaeis, ut patet ex occasione hujus visionis (2); agitur propterea de foedere ineundo per Messiam ibi promissum, cum populo fideli (3).

101. Sed non magis proficiunt adversarii, ex eo quod 6. addunt, de hostiae seu victimae ac sacrificiorum defectione; siquidem tempore Antiochi non contigit haec defectio nisi partialis; in vaticinio autem agitur de defectione totali ac perpetua, quae connectitur cum templi ac urbis vastatione (4), et connectitur praeterea cum morte Messiae, cujus

קדשים per se sit relativum, de templo tamen usurpatum, solum indicat *Sancta Sanctorum*. Cfr. Hengstenberg, *Christol.* loc. cit. pag. 439 et seqq.

(1) In illo *stillabit* seu *fundetur*, *pluet*, v. 27, habetur pro typo fundamentali destructio Sodomae et Gomorrhae נתך usurpatur de pluvia II Reg. XXI, 10; Exod. IX, 33; de supernaturali, Gen. XIX, 24; hinc ad impios transfertur imago haec, Ps. XI, 6; Ezech. XXXVIII, 22; II Paral. XXXIV, 21; Jerem. VII, 20, etc. Haec expressio semper totalem ruinam indicat; hinc impossibile est eam aptari tempori Machabaeorum. Cfr. Iahn, *Append.* fasc. I, pag. 164; Hengstenberg, pag. 153 et seqq.

(2) Cfr. Compeg. Vitringa, *Observationum sacrarum lib.* III, Franequerae 1691, tom. II, pag. 257 et seq.

(3) Nempe cum illis, qui sunt objectum divinarum promissionum.

(4) Cfr. superius dicta. Hic praeterea animadvertendum, ejusmodi sacrificiorum ablationem sub duplici respectu spectari posse, prout scilicet est beneficium, ac prout poena est. Quatenus est beneficium cessavit cultus leviticus, utpote figura, quae locum cederet figurato; quatenus ut poena spectatur, est punitio partis infidelis populi, qui mortem intulit Messiae. Messiae porro mortem ablationis sacrificii causam esse, ex contextu patet, perinde ac destructionis templi. Quod si ablatio sacrificiorum sive cultus levitici est effectus mortis Messiae, plane consequitur non agi *de nudo facto*, sed *de abrogatione legitima*. Jam foe-

quidem mortis consectarium ponitur sacrificiorum defectio.

102. Demum causam adversariorum non sustentat quod postremo loco ponitur de peccatorum poena, justitia legali, aut felicitate seu libertate obtinenda; agitur enim de peccatis ipsis ac de justitia proprie dicta tamquam munere seu dono afferendo ab ipso Messiae, qui est totius vaticinii primarium objectum, a quo peccata vere erant delenda, et inducenda justitia, quae sequitur peccatorum remissionem, juxta illud Is. LIII, 10, 11. *Peccata* חַטָּאוֹת, praeterea conferuntur cum *iniquitate* et cum *culpa* עָוֹן, quae est significatio fundamentalis hujus vocis; contextus etiam aperte est de peccatorum seu culparum venia; ideo enim tot hic accumulantur vocabula, ut tota peccatorum humani generis colluvies comprehenderetur, ut a nonnullis adnotatum est (1); justitia pariter adferenda dicitur *aeterna*, id est, perennis, perpetua. Itaque exploditur violenta interpretatio sive de poena peccatorum, sive de justitia legali, aut de libertate recuperanda, cum potius ex vaticinio denuncientur infidelis populi extrema desolatio ac punitio, et abrogatio totius legalis justitiae (2).

dus antiquum per mortem Filii Dei abrogatum est; ergo et cultus sacrificii ejusdem foederis Jehovah, quoad *suum esse*; parum interest, quamdiu adhuc perduraverit quoad actionem externam. Idem dic de externa eversione urbis et templi; ex repudio enim et morte Messiae neque urbs amplius sancta, neque templum amplius domus Dei, sed abominatio evaserat. Cfr. Zach. XI; vid. Hengstenb. op. cit. pag. 492 et seqq.

(1) Sane, quae annunciantur in tribus prioribus membris, accurate referuntur ad peccatorum confessionem a Daniele factam v. 5 hujus capitis, in qua non agitur de peccatorum poena, aut tantum de peccatis typicis, sed agitur de peccatis proprie dictis; ait enim: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus et declinavimus a mandatis tuis et judiciis*. Ergo nisi dicere velimus Angelum, v. 22, Danieli annunciasse aliquid ipsius petitioni contrarium, fatendum est non de peccatorum poena, sed de peccatis ipsis hic agi; ac propterea hoc salutis nuntio mitigatur horror de futuro urbis et templi excidio.

(2) Ideo haec justitia *aeterna* vocatur, quia ex aeterno Dei decreto originem habet, et quia durationem aeternam habere debet, per oppositionem ad transitoria dona justitiae et gratiae foederis antiqui et ad omnes res creatas et mutationi obnoxias. Haec expositio fundatur in vetustis traslatoribus, LXX, Theodotione, Vulgato, Syro et antiquioribus interpretibus, si quosdam excipias, ut R. Barachiam in *Berescit rabbà*, ad v. 14, dicentem: *Iste est rex Messias, de quo scriptum est Dan.* IX: *Et ad adducendam justitiam seculorum vel sempiternam*; apud Ray. Martini, pag. 285, edit. cit. Verum horum expositio facile cum priori componitur, cum agatur de aeterno ipsius auctore. J. D. Michaëlis, et post eum recentiores aliqui exponunt haec vaticinii verba hac ratione: *Ad reddendam innocentiam pristinorum temporum*; at frustra, 1. quia sermo non est de justitia *subjectiva*, seu subjectiva probitate, sed de justitia *objectiva*, quatenus donum Dei est, perinde ac ablatio et venia peccatorum, de qua superioribus verbis agitur, quae pariter *objectiva* est; cfr. Ps. CXXXI, 9; quia 2. extollitur a Daniele II, 44; VII, 18, 27, aeternitas Messiani regni ejusque donorum; 3. quia falsum est, עוֹלָם originarie longiorem dumtaxat indeterminatam durationem, non vero *aeternitatem* denotare, ut pluribus ostendit Hengstenberg, loc. cit. pag. 427 et seqq. Atque ex his corruunt aliae interpretationes eorum, qui per justitiam aeternam contendunt significari *antiquam*; tum eorum, qui subjectivum atque hyperbolicum sensum his verbis

103. Ad 4. *Neg.* consequentiam ex falsis praemissis deductam; quod si Harduinus et Calmet, non excludendo tamen relationem vaticinii ad Messiam, ex parte concesserunt in expositionem Marshami, imprudenter ac levibus momentis inducti ita se gesserunt, ac iisdem argumentis refelluntur, quibus Marshami aliorumque anti-messianorum expositio excluditur.

104. Ad 5. Resp. Imo pessime conjecturam hanc suam intulerunt Bertholdt ac Rosenmüller: 1. quia non verentur, etsi christianos se profiteantur, mendacii arguere Christum ipsum, qui, Matth. XXIV, 15, non solum Danieli adscribit vaticinium de futura templi desolatione, sed praeterea illud adducit tamquam veraciter reale, et quoad illa, quae urbem et templum spectant, adhuc implendum, dicens: *Cum videritis abominationem desolationis*, QUAE DICTA EST A DANIELE PROPHETA (non a *pseudo-Daniele*), *stantem in loco sancto, qui legit, intelligat*. Eadem leguntur, Marc. XIII, 14; Luc. XXI, 20; 2. quia suppositilius hic auctor, in adversariorum hypothesi, falsitatis pariter arguisset Jeremiam, eique aperte illusisset; 3. quia nemini fucum facere potuisset, cum universa gens oraculum Jeremiae semper intellexerit de septuaginta captivitatis annis (1); 4. quia est contra factum; auctor enim noster, tam cap. I, 21, quam IX, 2, supponit praedictionem LXX annorum, ac se praebet ejusdem redemptionis temporis spectatorem, utpote qui affirmet se primo Cyri anno vixisse; 5. quia induxisset Danielem in historia, et chronologia imperitissimum et sibi repugnantem (2). 6. Intelligi nequit, quomodo hic fictitius Daniel potius posuerit ut terminum sui vaticinii perpetuam desolationem quam adeptam libertatem per Machabaeos, cum supponatur hic auctor scripsisse post ejusmodi epocham. 7. Ut alia praeteream, evertitur absurda istorum hypothesis ex concordi traditionis hebraicae testimonio. Cfr. I Mach. VIII et XI, Flavius Josephus, *De bello judaico*, lib. VI., cap. V, IX. His adde expectationem generalem Messiae tempore Christi, tum ex hoc vaticinio tum ex vaticinio capitis II, de quarto regno, provenientem. Hinc neque posteriores expositores judaei ausi unquam sunt huic testimonio, sibi adeo infausto, in di-

inesse autumant, cum nulla causa ipsius afferri possit; tum denique eorum, qui cum Bertholdt volunt exprimi antiquam *libertatem* a jugo politico et religioso. Omnes enim ejusmodi recentiorum interpretationes distortae sunt atque ex erronea hypothesi ortae circa relationem totius hujus versus. Naturalis et obvius sensus neque Michaëlis neque Jahnio arridet, qui versum istum referunt ad tempus immediate exilium babylonicum subsequens, neque Bertholdto, qui refert ad epocham post oppressionem Antiochi Epiphanis. Apte huic versui respondet Ps. LXVIII, 28.

(1) Cfr. II Paralip. XXXVI, 21.

(2) Etenim tempus a Cyro ad mortem Antiochi Epiphanis tunc esset annorum 441 (LXIII hebd. ann.), quum tamen fluxerint anni 372; quare haberetur error calculi circiter 69 annorum. Augetur adhuc hic error ex assertione illorum interpretum, ex. gr. Bertholdt, pag. 716 quod scilicet auctor noverit post Cyrum tantum quatuor reges Persarum, et Cyrum ab Alexandro victum esse asserat. Persica igitur periodus 147 annis brevior esset, et isti 147 una cum illis 69 annis adjici deberent aerae Seleucidarum. Haec proinde constaret annis 380, inter octo reges una cum ipso Antiocho Epiphane distribuendis. Hic porro error talis est, ut ignorantiam supinam prorsus supponat, cum tamen Daniel peritissimum se ostendat in historia et chronologia.

sputationibus cum Christianis renuntiare, vel ejus relationem ad Messiam et judaici populi per Romanos eversionem denegare (1). Concludendum proinde restat, ejusmodi rationalistarum ac biblicorum hypothesin monumentum ineluctabile esse incredulitatis et impietatis, in quam ipsi ex principio protestantico prolapsi sunt.

104. II. Obj. Supposita etiam authentia illorum vaticiniorum, tamen illa loca minime licet ita sumere, quasi certa et accurata in illis temporis determinatio seu definitio circa initium et complementum regni messiani assignaretur. Nam 1. si Redemptor Angelis ipsis in coelo, imo sibimet talem futuri cognitionem quoad tempus et horam denegat, Matth. XXIV, 36; Marc. XIII, 22, et etiam post suam resurrectionem, Act. I, 6, 7, minime supponere possumus hanc concessam fuisse alii prophetae, ipsique longe anteriori, ita ut potuerit innotescere populo suo illud tempus juxta chronologiam exactum, sive in usitata, sive in quavis mystica temporis mensura; quatenus scilicet ista spectatur prout determinata (2). Sane 2. incredibile est, Deum voluisse ut a chronologia fides penderet (3). Concludendum igitur, nullatenus determinatam esse ac definitam a Danielis vaticinio epocham adventus futuri Messiae.

105. Resp. *N. Antec.* Ad 1. probat. *D.* Denegat Redemptor Angelis ipsis cognitionem gloriosae suae manifestationis in die judicii, seu secundi ipsius adventus, *C.* cognitionem denegat primi sui in terram adventus *N.* Porro in citatis locis unice de secundo adventu Christi in terras glorioso sermo est, ac de extremo judicii die, qui utique etiamnum Angelos latet et homines, cum Deus illum nemini revelare voluerit. At ex hoc minime sequitur, Deum non revelasse tempus primi Messiae adventus; contrarium enim constat ex facto; non solum enim Daniel, sed et Jacob ac prophetae alii promissi Messiae adventus epocham praenunciarunt. Ita autem prorsus fieri debuisse, ratio ipsa suadet; cum enim humilis et privatus esse deberet ejusmodi adventus, de eo praemonendi erant homines, ne deciperentur; quae ratio profecto non militat pro gloriosa ejusdem manifestatione, quae in omnium oculos incurret.

106. Quod vero adjiciunt, Redemptorem sibimet denegasse futuri cognitionem, alias disjecimus, animadvertentes Christum non potuisse hunc diem ignorare, cum omnia signa indicaverit, quae ipsum praecedent; eo vel magis quod ipse, ut ostendemus, Deus sit. Hinc necessario inferendum est, ipsum locutum esse de illius dici manifestatione, cum dixit: *Nemo scit neque Filius* (4).

107. Ad 2. *N.* Alioquin jam nulla prophetia esset, quae chronologiam seu tempus futuri alicujus eventus determinaret, quod falsum esse patet, tum ex omnibus illis vaticiniis, in quibus tempus summa praecisione determinatur ac definitur tam in Veteri quam in Novo Testamento (5), tum ex omnibus pro-

(1) Cfr. Schoettgenius, *De Messia*, lib. II, pag. 264.

(2) Ita Bleek, *Die theol. Zeitschrift*, seu *Ephemerid. theolog.* III, pag. 234.

(3) Sic Coccejus apud Hengstenberg., loc. cit. pag. 522.

(4) Cfr. Tract. *De Trinit.* n. 196. Sed de hoc inferius iterum.

(5) Cfr. Gen. XV, 13; Is. VII, 8; XVI, 14; XXI, 16; XXIII, 15, etc. Jerem. XXV, 11; XXVIII, 16, etc. ut alia innumera prope loca omittam, in quibus tempus praefixum vaticiniorum determinatur.

phetiis, in quibus accidentales ac contingentes circumstantiae adducuntur. In quo enim differunt a ceteris accidentalibus ac contingentibus adjunctis chronologicae notae? Vel igitur omnia ejusmodi vaticinia rejicienda erunt, vel admittendum, nihil obesse, quominus Deus, in cujus potestate sunt tempora et momenta, efficere possit, ut fides nostra a temporis non minus quam a reliquis eventuum notis pendeat.

108. III. Obj. Dato etiam quod Daniel tum de Messia vaticinetur, tum epocham ejusmodi adventus determinatam assignet, nondum tamen liquido constat, an ejusmodi epocha elapsa sit. Ecquis enim 1. certo constituat, Danielem de annorum hebdomadis potius quam de hebdomadis aut dierum aut septenniorum aut jubilaeorum disseruisse, cum nihil ipse posuerit, unde certo constituere possimus, de una potius quam de alia hebdomadum specie eum fuisse locutum? Nihil praeterea vetat 2. quominus septuaginta illas hebdomadas ita accipiamus, ut tres periodos a se invicem distinctas et diruptas efficiant, quae sibi minime immediate succedant; sane septem priores hebdomadas a sexaginta duabus aliis dividi, ostendit accentus *Athnach* in textu hebraico interpositus (1); postremam pariter a reliquis sexaginta novem divulsam esse, tum ex se patet, cum nulla alioquin ratio foret peculiaris ipsius distinctionis, tum ex non paucis illis interpretibus, qui harum hebdomadum adimplementum referunt ad finem judaicae reipublicae. His praemissis, cum incertum sit, utrum longius an brevius sit intervallum, quod intra quamlibet istarum periodorum intercedit, evidens est, nihil certi statui posse circa elapsam vel non elapsam epocham a Daniele praenunciatam. Hinc 3. nec desunt ecclesiae patres, qui ejusmodi epochae adimplementum referant ad mundi finem. Ergo.

109. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. Dicimus, naturam harum hebdomadarum multiplici ratione certo definiri posse. Ac 1. non intelligendas esse de hebdomadis dierum, substrata ipsa materia admonet; sexdecim enim mensium spatium rerum illarum amplitudini, quae tum v. 24. tum seqq. praenunciantur, haudquaquam sufficeret; volens praeterea Daniel, X, 2, 3, hebdomadas dierum exprimere, vocem *dierum* semel iterumque adjecit, quo non obscure indicat hoc loco alias hebdomadas intelligendas esse. 2. Neque intelligi posse de hebdomadis septenniorum vel jubilaeorum hoc vaticinium, ejusdem rerum gerendarum argumentum suadet; protraherentur enim res praenunciatae ad 3430 annorum spatium, si de hebdomadibus septenniorum, et ad annos 24,500, si de hebdomadibus jubilaeorum sermo esset, cum tamen urbis ac templi excidium subsecuturum LXX hebdomadibus praenuncietur, quod jamdiu adimpletum oculis nostris cernimus. 3. Restat igitur, ut de solis hebdomadis annorum Danielem locutum esse necessario statuamus, quarum septuaginta efficiunt annos quadringentos et nonaginta. Ejusmodi hebdomadum usus in Scripturis non infrequens est; commemorantur enim Levit. XXV, 8; Gen. XXIX, 27, 28, et alibi passim (2). Sed neque iguotae

(1) Ita Rosenmüller in cap. IX, Dan. pag. 315 et seq. et ante ipsum Marsham.

(2) Cfr. Levit. XXVI, 34, 35, 43, et II Paralip. XXXVI, 21, ubi septimus annus magnum Sabbatum vel Sabbatum simpliciter vocatur. Quum igitur, ut innuimus, causa praecipua, cur Angelus septuaginta hebdomadas seu Sabbata memoret, sit relatio ad annos LXX

antiquis populis hebdomades annorum fuerunt, si quidem Marcus Varro, auctore A. Gellio, *Noct. Attic.* lib. III, cap. X, in primo librorum, qui inscribuntur *Hebdomades*, scribit, *se jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse*. Motivum praecipuum, cur Daniel usurpavit LXX annorum hebdomadas, desumitur ex relatione ad LXX annos Jeremiae, ita ut singulis eversionis annis responderent totidem annorum hebdomades, usque ad novum ac postremum Urbis excidium, quod post expletionem LXX hebdomadum reipsa contigit.

110. Ad 2. *N.* Responsum enim divinum, ut ex dictis constat, spatium integrum LXX hebdomadum annorum complexum est, seu annos 490, intra quod omnia complenda essent, quae summatim in v. 24 recensuit; distinctio propterea trium periodorum refertur ad eventuum praedictorum diversitatem significandam, non autem ad jam praefinitum tempus protrahendum.

111. Neque obest accentus *Athnach* interpositus inter septem priores hebdomadas et reliquas LXII, cui adeo insistit Marsham, et quem reliqui interpretes non messiani, praecipue vero Bertholdt et Rosenmüller, secuti sunt. Hi enim pro certo sumunt, Athnach ibi tantum usurpari, ubi nos majorem interpunctionem adhibemus, quod tamen falsum est. Non raro enim, quando sedes maximae interpunctionis per se patet, etiam in incisis adhibetur Athnach, ubi nos minore interpunctione utimur, ut impediatur quominus, quod separandum est, uniatur et conjungatur (1); jam vero hoc in loco maximi momenti erat duo temporum spatia rite separare, ne arbitraria videretur distinctio.

Jeremiae, praenunciavit septuagies septies annis reversos Judaeos ab exilio babylonico, amplius commoraturos in terra patrum suorum, quam in exilio defluxerint. Nullum profecto solatium Angelus Danieli attulisset, si pro 70 annis eversionis alios 70 usque ad novum excidium decurrendos praedixisset. Addatur, 70 ductos per 7 constituisse sacrum numerum. Septem praeterea hebdomadas annorum durabat cyclus, sub cujus finem civilis restitutio in integrum fiebat; postrema propterea LXX hebdomadum annorum spectari debet, ut summum omnium sabbatorum et tempus integrae restitutionis spiritualis, ad quam lex referebatur, et praedicitur a Daniele futura v. 24. Atque hinc ratio redditur, quare potius Angelus septuaginta hebdomadas quam annos 490 nominaverit. Cfr. Hengstenberg, loc. cit. pag. 408 et seqq. Animadvertendum praeterea est adversus nonnullos veteres, Julium Africanum, Theodoretum, et recentiores Huetium, Pererium, etc. hic non agi de annis lunaribus 354 dierum, sed de solaribus, dierum nempe 365. Etenim, praeterquam quod propheta, quum non monuerit, se de annis lunaribus loqui, obscuritatem ingessisset, ostendit praeterea Prideaux, *Hist. des Juifs.* part. I, lib. V, tempore Danielis nullibi annos lunares in usu fuisse. Sane, cum idem Dan. XII, 7, praedixisset afflictionem populi duraturam per *tempus* et *tempus* et *dimidium temporis*, id est, per tres annos et dimidium, deinde, v. 11, idem spatium alia computatione per dies 1290 numerat. In quo numero licet 12 dies praedictorum annorum solarium quantitatem superent, tamen exigua haec discrepantia conferri nequit cum defectu dierum 51, in hypothesi annorum lunarium. Cfr. Nicolai, *Diss.* XVI, *in Daniel.*

(1) Cfr. בספרים, v. 2, ubi deberet Athnach reperiri sub הישנים; Ps. XXXVI, 8, sub אלהים pro אדם; Ps. LXXXIV, 3; Prov. VI, 26.

112. Eadem responsio aptari debet postremae hebdomadi, etsi accentus ille hic non occurrat. Porro interprètes illi, qui contendunt hanc unam hebdomadam connecti ac conjungi minime debere cum reliquis LXIX, perinde ac illi qui vellent dimidiam hebdomadam a cyclo LXX hebdomadum divellendam, decepti sunt ex opinione, quod eversio hierosolymitana, per Romanos inducenda, necessario intra has chronologicas determinationes hujus nostrae prophetiae includi debeat, quae opinio jam Scaligerum ad maximas angustias redegit (1); hoc tamen in vaticinio non dicitur, imo eversio post completum LXX hebdomadarum cyclum eventura aperte praenunciatur; et articulus הַשָּׁבוּעַ perspicue ostendit, cujus hebdomadae illa media pars sit.

113. Ad 3. *D.* Nonnulli patres referunt adimplementum vaticinii Danielis ad finem mundi in sensu, ut fertur, inclusivo communis expositionis, *C.* in sensu exclusivo *N.* Nempe isti patres cum spectaverint Solymorum eversionem velut figuram extremae mundi cladis, hinc vaticinium Danielis ad illam etiam retulerunt; non excluserunt tamen objectum praecipuum et immediatum, Messiam nempe, ac punitionem infidelium Judaeorum ob necem eidem illatam (2).

§ III.

Expenduntur vaticinia Aggaei et Malachiae

114. Haec duo vaticinia conjungimus, tum quia lucem sibi invicem afferunt, tum quia de eodem argumento sunt. Cum enim summa affecti essent moestitia Judaei seniores, ex captivitate babylonica reduces, quibus templi Salomonici magnificentia probe erat perspecta, nec possent fletum cohibere zorobabelicum intuentes, Deus per Aggaeum eos solatur pollicendo longe majorem futuram hujus secundi templi gloriam ex praesentia futuri Messiae, quam prioris templi gloria fuerit.

115. Sic autem Judaeos ex Dei nomine Aggaeus affatur, cap. II, 4. et seqq.: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? . . . Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus . . . Meum est argentum et meum est aurum . . . Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; . . . et in loco isto dabo pacem.*

116. Per Malachiam vero, cap. III, 1 et seqq. ita Deus Judaeos de divina providentia querulos, ut inferius enucleatius exponemus, alloquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

117. Ex collectione vero horum va-

(1) Cfr. Vitringa, *Hypothesis hist. et chronol.* 1, pag. 104.

(2) Cfr. s. Iren. *Cont. haeres.* lib. v, cap. 25, § 4 et seqq. edit. Massueti; Origen. *Comment. in Matth.* tom. III, pag. 858 et seqq. opp. edit. Maur. Vid. de hoc argumento praeter auctores citatos Jacobus Ayrolus S. J., *Liber* LXX *hebdomad. resi-*

ticiniorum eidem methodo insistendo, quam in reliquis enucleandis sectati sumus, operosum non erit ostendere, tum ad Messiam ea spectare, tum epocham in iisdem determinari adventus ejusdem Messiae, tum denique hanc ipsam epocham jamdiu elapsam esse.

118. Primum autem sic conficimus: ex productis vaticiniis major futura erat gloria domus sive templi posterioris quam prioris, quia ad ipsum venturus erat Desideratus cunctis gentibus, Dominator quem Judaei expectabant, quique Angelus Testamenti seu Foederis dicitur, ac venturus erat ad templum *suum*, et ad cujus adventum commovendi erant coeli ac terra, mare et arida, ac brevi quidem venturus erat. Jam vero hic non est, nec esse potest, nisi Messias, cui soli expositi characteres competere possunt, ut per se patet, atque ex confessione celebriorum ipsorum rabbinorum; ex antiquioribus eminet R. Sira, qui floruit ante secundi templi eversionem, in *Thalmude*, tract. *Sanhedrin* cap. XI; ex recentioribus autem non pauci in *Devarim rabbà*, sect. I, fol. 250, tum Rasci in cit. *Sanhedr.* fol. 95, Akibà et R. Manasses, in *Conciliatore*, part. III, pag. 184. (1).

119. Alterum constat ex termino, qui saltem negative praefigitur huic adventui, nempe, stante adhuc secundo templo, ad quod praesentia sua cohonestandum promissus Messias venturus erat ex utriusque prophetae vaticinio, ita ut non prius destruendum esset, quam ad ipsum venisset desideratus cunctis gentibus.

120. Cum vero ab octodecim seculis flammis consumptum sit Zorobabelicum templum, pronum est colligere jamdiu transactam esse epocham ab Aggaeo et Malachia praedictam, ac propterea, quod consequens est, jamdiu advenisse Messiam.

DIFFICULTATES

121. I. Obj. Vaticinium Aggaei nulla ratione ad Messiam referri potest. Repetit enim propheta secundi templi gloriam, non ex Messiae praesentia, sed ex divitiarum affluentia. Hac enim de causa flebant seniores Juda, quod cernerent templum a Zorobabele excitatum nimis distare a magnificentia et divitiis templi Salomonici; quod magis perspicue eruitur ex verbis sequentibus: *Meum est aurum et meum est argentum*, ac si diceret: *Mihi est argentum, et mihi est aurum*, inquit Jehova; *argento et auro, quo instructissimum fuit prius templum, possum et hoc ornare, et ornabo suo tempore; nam mei juris sunt haec omnia. Quare non est, cur de ornando templo nunc extructo sitis solliciti*. Nec alium sensum patiuntur reliqua vaticinii adjuncta; etenim verba illa, *adhuc modicum*, seu, ut hebraice dicitur, *adhuc una* (scilicet *vice*), *et ego commovebo coelum*, etc. sic explanari debent: per ingentem universitatis rerum mutationem efficiam, ut commotis illis moveantur omnes gentes, et venient *desiderium*, id est, desideria (חֶמְדָּה, collectivum singulare), seu res desideratissimae atque pretiosissimae omnium gentium. Praedicit igitur Aggaeus, futurum esse, ut donis pretiosissimis, ab omnibus gentibus Hierosoly-

gnatus, seu vaticinium Danielis illustratum, Romae 1714; Huetius, *Demonst. evang.* propos. IX, cap. 8; Tournemine, *Dissert. chronolog.* XVI, ad calcem comment. Menochii, etc.

(1) Cfr. Derossi op. cit. cap. 3, § 12 et seqq. Raym. Martini, pag. 376 et seqq. et 380 et seqq. edit. cit.

mas comportandis, templum Jehovae nudum adhuc atque inornatum plus nanciscatur magnificentiae et ornamenti et splendoris, quam olim habuerit, et templum hoc secundum *replebo gloria*, ornatissimum et splendidissimum illud reddam (1). Sive igitur scopum prophetae, sive nativum verborum sensum et adjuncta omnia spectemus, patet hoc vaticinium ad Messiam non pertinere.

122. Resp. *Neg. antec.* Ad prob. *Negamus* pariter, quod adversarii assumunt, ex sola divitiarum affluentia, non autem ex Messiae praesentia repetere prophetam majorem secundi templi gloriam: 1. quia haec expositio non -messiana exploditur veteris synagogae sensu, ut ex adductis constat; 2. quia falsum foret vaticinium: tametsi enim valde contulerint ad ornandum templum reges Persae, praesertim vero Herodes (2), in immensum tamen semper secundi templi gloria, spectata divitiarum copia, a templo Salomonico destitit (3); 3. quia, fatentibus Hebraeis, quinque illa decora secundo templo abfuerunt, quibus primum instructum fuit, Urim scilicet et Thummim, seu rationale judicii, arca, ignis et praesentia Dei in propitiatorio, et Spiritus Sanctus (4); 4. quia absurdum est fingere, tam magnifico apparatu voluisse Deum herodianam molitionem praenunciare, nullo habito respectu ad gloriam quam eidem allatura olim erat Messiae praesentia, cum tamen Apostolus, Heb. XII, 26, ad Christum referat hoc vaticinium, juxta sensum traditionalem synagogae. 5. Denique ex ipsa adversariorum agendi ratione ipsorum hypothesis evertitur. Etenim ipse Rosenmüller, quem impugnamus, non diffitetur, Aggaeum, seu ut ipse loquitur, *vatem, quae hic praedicit temporibus messianis eventura sperasse;* et, in cap. III, 1, Malachiae, immemor eorum, quae scripserat in scholiis ad Aggaeum, haec scribit: *Veniet ad templum suum, nempe secundum, quod per Messiae adventum gloriosius primo templo futurum esse* PRAEDIXERAT ETIAM AGGAEUS. Tanta veritatis vis est, ut vel ab invitis testimonium extorqueat!

123. Ex his facile corruunt cetera, quae ad elevandam hujus vaticinii vim congesta sunt, tum scilicet Rosenmülleri paraphrasis, tum expositio R. Kimchi, dum autumat ita reddendum prophetici hujus loci sensum: *Omnes populi, quos commovebo, e terris suis advenient cum desiderio* (nam subaudit praefixum בְּ) *omnium gentium, id est, adferent res omnes desideratas et pretiosas, quae in terris ipsorum reperiuntur, velut vasa aurea et argentea, vestimenta et gemmas;* in quem sensum Isaias, LX, 6, florentem populi hebraici

(1) Ita Rosenmüller, *Schol. in V. T.* in hunc locum.

(2) Cfr. Flav. Jos. *Archaeol.* lib. XV, cap. IX, pag. 777, edit. Havercamp.

(3) Cfr. I Paralip. XXII, 14, XXIX, 3 et seqq.; II Par. III, IV; cfr. etiam Joan. Frischmuthi, *De gloria templi secundi*, ad cap. II, 7-10 Haggaei in *Thesauro theologico-philologico* cit., pag. 994 et seqq.

(4) Cfr. Raym. Martini, op. cit. pag. 381, ubi inter cetera refert testimonium ex Thalmud, in lib. *Joma*, dist. *Schibbat: Dixit R. Acha:* « quid est quod scriptum est Aggaei 1, 8: et complacebo in ea, וְאֶכָּבֵד, et honorabo eam? Quid sibi vult, quod deinde deest littera ה? Hae sunt quinque res, quae fuerunt inter primum sanctuarium et ultimum (secundum); sunt autem hae: Arca cum propitiatorio, et Cherub, et ignis et divinitas, et Spiritus Sanctus, et Urim et Thummim ». Reliqua in eamdem rem testimonia ibi recole.

statum saeculo aureo describens, inter alia haec dicit: *Convertetur ad te copia maris, opes gentium ad te venient; et camelorum agmina obruent, dromades madianitici, et ephani, omnes ex Sabaea venient, aurum et thus afferentes, et Jovae laudes praedicabunt.* Siquidem vaticinio facta minime respondissent. Reliquum proinde est, ut per hoc desiderium gentium Messiam ipsum cum vetustioribus Hebraeis intelligamus. Nedum vero obstet huic expositioni vaticinii scopus, eidem maxime cohaeret. Contextus enim ostendit, prophetam solari voluisse Judaeos ob defectum auri et argenti, quem ipsi in secundo templo deprehendebant, quasi diceret: Quid solliciti estis de auro et argento? meum est aurum et argentum, quae mihi praesto sunt, quoties mihi libuerit; sed gloria secundae hujus domus non ex magnificentia auri et argenti, sed ex eo, quod in eam venturus sit Desideratus cunctis gentibus, est repetenda, atque ex hac parte longe priori domui praestabit (1). Quod clarius etiam significatur per Malachiae vaticinium.

124. II. Obj. Quominus Malachiae vaticinium de Messia intelligamus, vetat contextus; subdit enim immediate

(1) Quum adversarii potissimum vim ponant in verbis illis v. 8: וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם, *et venient desiderium cunctarum gentium*, placet hic adducere solutionem viri minime suspecti. Dr. Scheibel, in *Observat. crit. et exeget. ad vaticinia Haggaei*, Wratislaviae 1822, pag. 27, haec habet: בָּאוּ חֶמְדַּת *Venient desideria. Ita verterunt interpretes antiquiores; recentiores:* Venient pretiosa, *scilicet vasa, et laudant loca* II *Chron.* XXXII, 27; *Jerem.* XXV, 34; *Hos.* XIII, 15; *Nah.* II, 10; II *Chron.* XXXVI, 10. *Sed in locis Chronicorum* (Paralipom.), *Jeremiae, Hoseae, Nahumi legimus:* כְּלִי חֶמְדָּה, *non solum* חֶמְדָּה, *et ejusmodi diversa dicendi ratio, quae quibusdam interpretibus V. T. levioris momenti videtur, in omnibus ceteris linguis et auctoribus accurate distinguitur. Contra* חֶמְדָּה *sine singulari additamento nil aliud significari quam* desiderium, *discas e Ps.* CVI, (in Vulg. CV) 24; *Jerem.* XII, 10; *I Sam.* (I Reg.) IX, 20; VIII, 10. *Aliam vero causam interpretationis de pretiosis vasis volunt reperire in verbis versus sequentis* לִי הַכֶּסֶף וְלִי הַזָּהָב, *Propheta autem post verba* בָּאוּ חֶמְדַּת *non statim adjungit* לִי הַכֶּסֶף וְלִי הַזָּהָב, *sed antea* (v. 7) וּמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד *quod ad adventum Messiae, et ad divitias illo tempore in templo coacervandas simul pertinere videtur. Messiam autem apud poetas* (scil. prophetas) *Hebraeorum futurum esse* solatium, desiderium, laetitiam totius terrae, *ideoque paganorum, ex locis Is.* XLIX, 10; XI, 4; XLII; 3; XLI, 17; LXI, 1, *constat. Pluralis vero* בָּאוּ *cum singulari connexus constructio est non infrequens.* Cfr. Glassius, lib. III, tract. 3, can. 54. Huic addimus Grotium, qui in hunc locum: « Magna, *inquit*, erit secundi templi gloria, quod in ea conspiciatur rex ille piorum omnium, et in ipso templo miracula edet. Vide Matth. XXI, 12. Messiam appariturum in templo secundo credidere Judaei omnes, qui ante excidium vixere. Ex eo tempore commiuiscuntur interpretationes novas, violentas, varias ad haec loca clarissima ». Cfr. etiam Sanctius, in *Prophet. min.*; Ackermann, *Prophetae minores, perpet. annot. illustr.* Viennae 1830.

post adducta verba: *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum; et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum*, etc.; haec autem componi nequeunt cum miti Messiae indole, qualem describit Isaias, XLII, 1 et seqq. Ergo.

125. Resp. *N.* Evanescit enim haec difficultas, si ratio habeatur contextus et scopi prophetiae. Etenim sub finem capitis praecedentis inducuntur Judaei querimonias de divina providentia jactantes: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: omnis, qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est Deus judicii?* Hinc cap. III incipit Dominus: *Ecce ego*, etc. ac prosequitur: *et quis stabit*, etc. vaticinans, nullum querulorum hujus generis, qui Messiam victorem gentium desiderabant, substiturum, cum ipse advenerit; huic enim interrogationi negativa subest sententia. Deinde subjicit causam, exhibens scilicet Judaeos, et in primis sacerdotes et levitas participes ejusdem blasphemae querelae, ut massam auri et argenti multa scoria mixtam, et ut pannos vel vestes sordibus infectas, quae purgandae sunt. Porro quemadmodum conflatores vehementissimo igne scoriam ab auro et argento, et fullones herba *salsuginosa* sordes a vestibus separant, ita Messias venturus, acerbis suppliciis et calamitatibus immissis, improbos hujusmodi querulos et blasphemos, Messiam victorem desiderantes, a probis separabit et delebit (1). Haec vero non erant efficienda ab ipso Messia, sed Romanorum armis ex exercitibus, seu, ut loquitur Daniel, a populo ducis venturi. Ita quaecumque sive Malachias sive alii prophetae de ultione ab infidelibus Judaeis repetenda dixere, optime componuntur cum miti Messiae charactere nempe personali, qualis ab Isaia describitur (2).

PROPOSITIO IV.

Officia ac munia a promisso Messia juxta prophetas obeunda, eumdem advenisse luculenter ostendunt

126. Munia ac officia a promisso Messia juxta prophetas obeunda praecipua sunt abrogatio veteris cultus et sacerdotii ac novi substitutio, gentium ad veri Dei cognitionem et amorem vocatio, ac judaici populi rejectio atque dispersio. Si igitur ostenderimus, tum

(1) Cfr. Jahn, *Append. Hermeneut.* fascic. 1, pag. 57 et seqq. Explicatio Malach. II, 3, etc.

(2) *Vaticinii*, inquit Jahn, loc. cit. pag. 65, *sensus est:* « Ille, quem desideratis, Messias omnino venturus est; sed non erit, quem exoptatis, bellator, qui ethnicorum imperium evertat, et gentes vobis subjiciat, sed judex divina dignitate indutus, qui improbos Judaeos et in primis duces ceterorum, posteros Levi, atrocissimis poenis perdet, nihilominus non penitus exterminabimini. Praecedet autem legatus seu propheta, austeritate vitae et severitate reprehensionum Eliae similis, ut animos Judaeorum disponat, seu eum sensum ipsis inspiret, quo majores eorum Abraham, Isaac, Jacob, etc. animati erant, quo conatu irrito, regio prorsus vastabitur ». Cfr. etiam Sanctius in hunc locum, Ackermann, Hengstenberg, op. cit. Veteres Judaeos utrumque vaticinium, Aggaei nempe et Malachiae, de Messia interpretatos esse, ostendit adductis ipsorum testimoniis Schoettgenius, op. cit. pag. 217 et 224 et seqq.

duo haec munia juxta prophetas a futuro Messia fore adimplenda, tum jam diu adimpleta fuisse, propositum obtinebimus. Porro utrumque certissime constat.

127. Ac *primo* quidem veterem cultum, et proinde sacerdotium, adveniente Messia, fore abrogandum, novumque eidem sufficiendum, apertum est ex Malach. I, 10 et seqq. dicente: *Non est enim mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus*. Quibus verbis Deus denunciat abrogationem veterum sacrificiorum, quae ex legis praescripto in templo offerebantur, ut eis sufficiat aliud sacrificium; ideoque 1. loquitur de sacrificio externo et proprie dicto sive abrogando sive sufficiendo; 2. loquitur de subrogatione novi istius externi sacrificii offerendi in omni loco, ad discrimen veterum sacrificiorum, quae uni loco seu templo affixa erant; 3. loquitur de sacrificio tamquam praecipuo religionis charactere, quo non minus cognoscetur a gentibus, se coli in universo terrarum orbe quam olim cognoscebatur per sacrificiorum exteriorum immolationem, a Judaeis in hierosolymitano templo coli; 4. de ejus generis sacrificio substituendo loquitur, quod non jam in cruenta hostiarum immolatione consisteret, sed in oblatione munda, seu (ut postulat usus hebraicae vocis מִנְחָה (*minchah*), ex Levit. II, 1 et seqq.) *ferto*, sive *dono*, quod frumenti farina conficitur, et quidem טְהוֹרָה (*thehorah*) *puro* seu *mundo*, ac propterea independente ab offerentium pravitate, propter quam rejecturum se profitetur legalia sacrificia (1). Cum vero sacrificia partem essentialem exterioris cultus seu publicae religionis constituant, consequitur, non posse sacrificia immutari, quin immutetur cultus ipse. Insuper immutato sacrificio, immutetur necesse est et sacerdotium, ob intimam utriusque relationem. Ergo per prophetam Malachiam cultus mosaicus et mosaicum sacerdotium abroganda erant, ut novo cultui universali ac novo sacerdotio locum darent. Id autem adveniente Messia, imo per Messiam ipsum perficiendum fore, habemus ex Danielis vaticinio paulo ante exposito, in quo praedicitur sacrificiorum cessatio in medio hebdomadis septuagesimae, imo et templi ipsius destructio, populi judaici dispersio in poenam rejecti Messiae ac necis ipsi illatae; cum igitur ab octodecim seculis sacrificia legalia cessaverint una cum mosaico sacerdotio, ac nova religio, novus cultus, novum sacrificium per universum orbem obtineant, mani-

(1) Cfr. *Bible de Vence*, cinq. édit. Paris 1832, tom. XVII, préface sur Malach. pag. 496 et seqq. Hengstenberg, ex anticipatis judiciis suae sectae in *Christologia V. T. et commentar. in Messiana vaticinia*, part. III, Berolin. 1835, pag. 414, scribit: *In* מִנְחָה *est allusio ad opus operatum multo remotior; et quod est in ea externum, facilius tamquam mera forma vel tamquam cortex ideae concipitur*. Ceterum hic auctor valde moderatum se praebet; et, si huc illuc nonnulla excipias, in quibus, ut suis morem gerat, catholica principia carpit; ejus opus valde bonum est, et causam christianam adversus rationalistas et socinianos optime tuetur.

festum est, Messiam jamdiu advenisse, ac per ipsum tum veterem cultum abrogatum, tum novum suffectum esse (1).

128. *Secundo*. Gentes pariter ad veri Dei cognitionem per Messiam adducendas fuisse, ubique sacrae litterae enunciant. Huc enim referuntur quae factae sunt veteribus patriarchis Abraham, Isaac et Jacob promissiones, quod in eorum semine benedicendae forent gentes omnes; huc spectant quae de Messia vaticinatus est Jacob, dum dixit: *Et ipse erit expectatio gentium*, seu: *Et ei obedientia populorum*, aut *aggregatio populorum*, vel etiam ut exponit paraphrastes chaldaeus Onkelos: *Et ei obedient populi*, ac Jonathas Ben-Uziel, alter chaldaeus interpres: *Et propter eum diffluent populi*, seu denique, ut vertit Thargum hierosolymit.: *Et ei subjicietur omne regnum terrae* (2). Hinc, Psal. II, Messiae pollicetur Deus: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*. Sed luculentissime et graphice gentium reminiscentia et ad Deum verum conversio praenunciatur, Ps. XXI, 28 et seq.; *Reminiscentur* (3) *et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium. Quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium*. Haec ipsa repetit Isaias, cap. II, 2 et seqq.: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum gentes, et ibunt populi multi, et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem;* et rursum, cap. LV, non minus illustre edidit vaticinium de gentibus per Messiam ad veri Dei cultum vocandis: *Ecce testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current*. Et

(1) Legem, seu Vetus Testamentum abrogari debuisse juxta antiquam Judaeorum fidem, ac propterea cultum leviticum cum omnibus suis sacrificiis ac sacerdotium, pluribus evincit Schoettgenius, lib. VII, *De Messia*, § 9, 10 et seqq. Cfr. etiam Raym. Martini, pag. 778 et seqq. Vid. Blas. Ugolini, diss. *Altare exterius*, quae extat tom. X ejus thesauri antiq. Judaic. pag. 685 et seqq.

(2) Cfr. De Voisin, in prooëmium *Pug. fid.* pag. 162 et seqq. edit. cit.; aliis enim omissis, in *Berescit rabbà*, sect. 88, legitur: « Dicitur, Amos IX, 11, illo die reaedificabo tabernaculum David, etc. ita ut universus mundus fiat una collectio »; *in lib. Sohar Exod.* 71, *col.* 281: « Quando rex Messias revelabitur, tunc omnes gentes ad illum congregabuntur, ut confirmetur id quod scriptum est, Is. XI, 10: Radicem Isaï gentes quaerent, etc. ». Alia testimonia tibi exhibebit Schoettgenius, op. cit. lib. VII, cap. 1, § 26 et seqq. ex quibus luculenter patet, veteribus Judaeis hanc inhaesisse communem fidem de vocatione gentium ad veri Dei cognitionem per Messiam. Cfr. etiam Petavius, *De Incarnat.* lib. XVI, cap. 8, § 3.

(3) Vid. in hanc vocem pulchras observationes P. Berthier S. J. *Explication des psaumes*. Frigide prorsus Rosenmüller, *Schol. in Ps.* XXII (in Vulgata XXI) v. 28, scribit: יִזְכְּרוּ *Memores erunt eorum, quae fando de Jova acceperunt, ad ipsum se convertent, ipsumque venient adoratum*. Nec mirum; judaïzans enim hic interpres, contra sensum totius antiquitatis, contra apertam N. T. auctoritatem negat in hoc Psalmo agi de Christo.

haec ex multis, quae in hanc rem congeri possent, sufficiant, cum agatur de re exploratissima.

129. Porro, sicut extra omnem dubitationis aleam gentium vocatio ad veri Numinis cultum per futurum Messiam constituta est, ita nec minus clara vaticinia sunt, quae populi judaici ac synagogae rejectionem et dispersionem portendunt, et quidem in poenam repudiati Messiae. Danielis enim cap. IX, 26, praedicitur: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est* (1); atque ante ipsum Isaias (VIII, 14), loquens de Messia: *Et erit*, inquit, *vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israël; in laqueum et in ruinam habitantium Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur et capientur* (2). Osee autem, III, 4, diu duraturam hanc populi judaici reprobationem, significat illis verbis: *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod et sine theraphim. Et post haec revertentur filii Israël, et quaerent Dominum Deum suum, et David regem suum; et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum;* quibus verbis aperte propheta diuturnam populi israelitici conditionem

(1) In hebraico textu וְאֵין לוֹ *Et non ei*, ellipsim supplendam esse omnes veteres interpretes viderunt. Porro ellipses locum non habent nisi in notionibus et dictionibus frequentiori usu tritis, quas lector ex usu loquendi familiares habet et facile supplere potest. Hic autem alia esse non potest nisi *populus*, juxta usitatissimam phrasin in Scriptura receptam: *Eritis mihi populus*, vel *in populum;* non erit mihi *populus*, non erit ei vel *ejus populus*, Deut. IV, 20; VII, 6; XIV, 2; XXIX, 13; XXVI, 18; XXVIII, 9; Ex. VI, 7; Lev. XXVI, 12; I Reg. XII, 22; II Reg. VII, 23; IV Reg. XI, 17, etc. Igitur post: *Non erit ei*, vel *illius*, supplendum est *populus*, ut olim jam Vulgata vertit: *Et non erit ejus populus*, ita ut sensus sit: jam populus non erit sacer ei, qui urbem et templum evertet; cum ex nece illata Messiae cesset Israël constituere ejus haereditatem. Huic autem cessationi dominii ejus super populum foederis, nectitur optime destructio urbis et sanctuarii per populum principis venientis. Ex quo refellitur Rosenmüller, qui haec verba: *Et non ei;* exponit: *Et non erit sibi*, id est, *inter viventes*, ut pariter exposuit Michaëlis; etenim אֵין numquam includit in se personam *ipse non est*, sed *non est* tantummodo. Reliquae expositiones, nempe Gousset, L'Empereur, Sack, etc. magis adhuc absurdae sunt et gratis confictae. Cfr. Hengstenberg tom. II, pag. 474, vid. etiam Jahn, loc. cit. pag. 149 et seq.

(2) Hunc locum de Messia, qui vindictam esset sumpturus de populo israëlitico, veteres quoque Hebraei intellexerunt. Sic enim apud Martini, pag. 343, edit. cit. in lib. *Sanhedrin*, cap. *Echad*, legitur: *Dixerunt* (RR. Jehudah et Ezechiaz, filii R. Chia): « Non veniet filius David, donec deleantur duae domus patrum Israël, et istae sunt caput captivitatis Babylonis, et princeps, qui est in terra Israël, sicut dictum est, Is. VIII: Et erit ad sanctificationem et ad lapidem offensionis, et ad petram (vel rupem) ruinae duabus domibus Israël, etc. ». Glossa *R. Salomonis*: « Et erit Salvator Israël ad praeparationem et ad lapidem offensionis; offendet enim pedes statuae, ferrum scilicet et testam, et ad rupem ruinae domibus duabus Israël. Dixit (rabbinus scilicet, qui fecerat vinum dari pueris, ut secreta patris sui atque mysteria revelarent): filioli spinae mihi estis in oculis meis, seu: spinas in oculos meos injicitis ».

designat, in qua, etsi deos alienos non colat, tamen Deum non experietur sibi faventem atque propitium, donec aliquando Messiam quaerat et agnoscat. *Davidis* enim nomine Osee, perinde ac ceteros prophetas, Jerem. XXX, 9, Ezech. XXXIV, 23, XXXVII, 24, Messiam significare, explorata res est et recepta sententia apud rabbinos omnes; quare chaldaeus interpres postrema prophetae verba ita exponit : *Quaerent cultum Domini Dei sui, atque obedient* MESSIAE *filio Davidis regi suo* (1). Eadem habet Amos IX, 9 et seqq. et alii prophetae passim (2).

130. Jam vero ab octodecim seculis tum gentes fere omnes, relictis idolis, Deum unum colere, atque in dies ad cognitionem et cultum veri Dei perduci, judaicam gentem item e sua ejectam patria, inter gentes omnes dispersam esse, nullumque apud eam illius specialis providentiae et praedilectionis vestigium conspici, quibus per tot secula Deus eam prosecutus fuerat, facta sunt certissima, quorum nos spectatores sumus, quaeque ob omnium oculos obversantur. Quae quidem argumento sunt, foedus illud omnino esse abolitum, quod olim Deus cum judaico populo feriit de possessione Palaestinae ac bonorum omnium in ea affluentia, si ipse legem sibi traditam custodivisset, vel de paterna correptione, quoties ab ejusdem legis observantia descivisset, dum promisit se eum in eamdem revocaturum, quoties ipsum suae transgressionis poenituisset, prout tam in Exodo quam in Deuteronomio passim legitur.

131. Hinc merito Hieronymus, Epist. CXXIX *Ad Dardanum*, n. 7, sic Judaeos perstringit : *Multa, Judaee, scelera commisisti, cunctis circa te servisti nationibus. Ob quod facinus? Utique propter idololatriam. Quumque servisses crebro, misertus tui est Deus, et misit judices et salvatores, qui te . . . liberarunt. Novissime sub regibus offendisti Deum, et omnis tua provincia, gente babylonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit . . . Ad extremum sub Vespasiano et Tito Urbs capta, templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquiae. Post eversionem templi, paulo minus per quadringentos annos et urbis et templi ruinae permanent. Ob quod tantum facinus? Certe non colis idola, sed etiam serviens Persis atque Romanis, et captivitatis pressus jugo, ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui numquam tui oblitus est, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem? . . . Ob quod, inquam, facinus et tam execrabile scelus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum; Sanguis ejus super nos et super filios nostros; et: Non habemus regem nisi Caesarem. Habes quod elegisti: usque ad finem mundi serviturus es Caesari, donec gentium introeat plenitudo, et sic omnis Israël salvus fiat* (3). Quod quidem argumentum, cui novum in dies robur accedit, et quod plane ineluctabile est, ex recen-

(1) Alia testimonia in hanc rem cfr. apud Rosenmüller, in loc. cit. Ezech.

(2) Cfr. in hunc loc. Sanctius, nec non Ackermann, op. cit.; plura praeterea in hanc sententiam ex doctrina et sensu veterum Judaeorum vid. apud Martini, II part., cap. 5, § 2 et seqq. et apud Schoettgenium, *De Messia*, pag. 545 et seqq.

(3) Edit. Vallars. opp. tom. I. Hoc idem argumentum egregie tractavit inter veteres S.

tioribus luculenter evolvit Grotius, *De veritate religionis Christ.*, lib. V, § 16, ubi nihil omisit ex iis, quae eidem vim addere posse viderentur.

DIFFICULTATES

132. I. Obj. Nullum in primis est argumentum, quod ex Malachiae vaticinio deducitur; 1. siquidem nulla alia ratione Deus *magnum nomen suum in gentibus* esse dicit, quam quod gentes omnes praeter deos suos supremum Deum colant, qui est Israëlitarum Deus, prout exponunt R. Salomon Jarchi ac David Kimchi; vel etiam eo quod, ut existimat Aben-Ezra, si Deus gentes jussisset offerre sibi munus aut sacrificium, illud purum et exquisitum offerrent, minime vero hostias mutilas ac languidas, quales Judaei offerebant; vel denique quia jucundissimae Deo sunt preces et laudes, quibus Judaei inter gentes commorantes ipsum venerantur. 2. Sane, inquiunt, quomodo mosaica sacrificia, ac proinde legem et sacerdotium abroganda esse affirmasset propheta, qui, cap. III, 4, de Levitis ait: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies seculi, et sicut anni antiqui?* ac demum, cap. IV, 4, Judaeos alloquens: *Mementote*, ait, *legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël, praecepta et judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Ergo.

133. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. probat. seu rabbinorum expositiones, dicimus, eas prorsus excludi per antithesim a propheta institutam inter sacrificia mosaica et sacrificium illud, quod divino Numini offerendum praedicitur inter gentes, ut ex probationibus constat. Dixi *praedicitur;* notum enim est, non esse locutum prophetam de tempore praesenti, quo universae gentes, utpote idololatriae addictae, non immolabant victimas suas nisi idolis seu *daemoniis*, ut ipsa Scriptura alibi testatur; ac propterea de futuro tempore necessario vaticinium accipiendum est.

134. Ex qua generali animadversione patet, absurdam esse primam expositionem, ideo nempe magnum esse Dei nomen in gentibus, quod ipsae una cum idolis ac falsis diis supremum Deum colant; cum Deus saepe adeo se zelotem professus fuerit, ac passim decem Tribus impietatis arguerit, quod utrumque cultum conjungerent (1). Falsa praeterea est ejusmodi commentatio, cum causam Deus ipse aperiat, quare magnum sit nomen suum in gentibus, quia scilicet a solis ortu usque ad occasum offertur *nomini suo oblatio munda, seu fertum purum* (2).

Joan. Chrysost. in quinque orationibus adversus Judaeos, ac praesertim orat. V, tom. I, pag. 587, edit. Maurin.

(1) Cfr. III Reg. XVI et seqq., tum IV Reg. XVII, 16 et seqq.

(2) Cfr. Sanctius in hunc loc. Non posse hoc vaticinium nisi de nova lege et ecclesiae tempore intelligi, omnes sanae exegeseos regulae prorsus clamant. Debet enim conferri cum aliis locis, in quibus praedicitur veteris foederis ac veteris sacerdotii et cultus levitici abolitio, cum locis novum sacerdotium, ac proinde novum sacrificium promittentibus, ac demum cum ipso eventu, qui omnem si qua esset, ambiguitatem in verbis prophetae sustulit. Cum enim vetus sacerdotium plane cessaverit una cum omni sacrificiorum leviticorum apparatu, cum Christus Eucharisticum Sacrificium instituerit offerendum ubique terrarum a sacerdotibus seu ministris ad hoc in perpetuum institutis, cum factum id evincat, quid amplius quaeras? Num infirmum ejusmodi ar-

135. Nec minus absona est altera interpretatio, quae sumitur ex hypothesi, qua Deus gentibus sacrificium sibi offerendum praeciperet. Haec enim hypothetica locutio nuspiam apparet; sed Dei verba absoluta sunt, et factum enunciant.

136. Quominus vero Dei verba accipiamus de precibus, quae est tertia expositio, vetat ipse contextus, qui est de oblatione proprie dicta, non a Judaeis, sed a gentibus offerenda, de quibus dicitur, Is. LXVI, 21: *Assumam ex eis in Sacerdotes et Levitas*.

137. Ad 2. *D.* Levitae seu Sacerdotes ex gentibus assumpti juxta adducta Isaïae verba, *C.* Levitae seu Sacerdotes mosaici *N.* Jam enim eodem capite Malachias, loquens de levitis ac sacerdotibus judaicis, praedixerat, eos a Messia mox futuro puniendos, seu extremo supplicio tollendos; non potuit igitur de iisdem sacerdotibus leviticis sermonem instituere, quasi Deo essent oblaturi sacrificia in justitia; locutus proinde est de novis sacerdotibus a Messia instituendis, qui grata Deo sacrificia oblaturi essent. Usus est autem similitudine et imagine sacrificii Juda et Jerusalem, ut rem hanc Judaei aliqua ratione perciperent (1).

138. Monitum autem Malach. IV, 4, nullam creat difficultatem; nam lex mosaica tam civilis quam caeremonialis erat omnino observanda quamdiu Hebraeorum respublica et synagoga persistebant. Cum vero ex eodem propheta et ex Dan. IX, 27, utraque esset abolenda, *jure* per mortem Messiae, *facto* per Jerosolymorum et templi eversionem, hoc ipso innuitur, quid posthac de ipsa lege esset futurum. Sic neque ullam facessit difficultatem illud, quod de Eliae missione ante futuram Judaeae vastationem vaticinatur Malachias; cum ipsemet, cap. IV, 1, aperte significaverit hunc ipsum fore Messiae praecursorem ad praeparandam viam, seu populum disponendum ad ejusdem adventum, ut patet ex versu sequenti, ubi addit: *Et convertet cor patrum ad filios, et*

gumentum evadet, eo quod demum post XVI saecula infelices nonnulli haeretici, qui se protestantes vocarunt, veritatem hanc repudiarint, quam universa christiana ecclesia tam longa seculorum serie professa est? Patres omnes hoc urgebant argumentum plane ineluctabile adversus Judaeos, ut Irenaeus, *Adv. haeres.* lib. IV, cap. 17, n. 5, edit. Maur.; Justinus M., *Dial. cum Tryph.*, n. 41, edit. Maran. Cyprianus, *Adv. Jud.* lib. I, cap. 16, edit. Maur. ut alios praeteream. Placet s. Irenaei verba adducere, ut pateat, quaenam fuerit ante annum 202, seu initio saeculi III ecclesiae fides: « Sed et suis discipulis, *inquit*, *loc. cit.*, dans consilium, primitivas Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et N. T. novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in N. T., de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit; Non est mihi voluntas in vobis, etc. Manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco offertur ei, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus ». Cfr. Massuetus, Diss. III, art. 7, § 80; tum Fr. L. Comitis zu Stolberg, *Geschichte der Religion Jesu*, seu *Historia Relig. Jesu*, part. IV, pag. 166 et seqq. edit. Hamb. necnon Petr. De Figueiro et Christ. Castrus, in hunc loc. Malachiae.

(1) Cfr. Ackermann, *Proph. min.* pag. 772 et seqq.

cor filiorum ad patres eorum ; ne forte veniam et percutiam terram (hebr. *terram hanc*, seu *hanc regionem*, אֶת־הָאָרֶץ) *anathemate*. Quod reipsa factum esse, historia, ex qua lux vaticinio affulget, ostendit.

159. II. Obj. 1. Quae de vocatione gentium praenunciarunt prophetae, intelligi debent de cognitione veri Dei, quam gentes adepturae erant per Judaeorum in universum orbem dispersionem, a quibus ethnicorum mentibus erat veri Dei notitia ingerenda. 2. Id plane tum perficietur, cum gentes omnes Judaeorum ditioni subjicientur duce Messia, a quo bellum inprimis erit ipsis inferendum ; 3. bellum hoc deinceps perpetua atque universalis pax excipiet, in qua 4. Judaei ingenti gloria aucti bonorum omnium copia et affluentia fruentur, juxta prophetarum vaticinia. Non solum igitur ex gentium vocatione Christiani nihil proficiunt, verum etiam talia in ea occurrunt, quae aperte evincunt, plura adhuc esse adimplenda. 5. Nondum enim subacti sunt Gog et Magog a Messia debellandi, Ezech. XXXVIII; nondum instauratum templum cum urbe hierosolymitana, ibid. XL et seqq. 6. Nondum propterea completa sunt, quae a Messia praestanda vaticinati sunt prophetae, quique ab Isaia, II, 2, venturus tantum praedicitur *novissimis diebus*, cum nempe, ut ibid. dicitur: *Mons Domini exaltabitur super omnes colles*, aliaque ejusmodi non pauca praedicuntur, quae adhuc praestolari debemus. Ergo.

140. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim, ut ex ipsis, quae adduximus, prophetarum verbis constat, agitur de illa gentium vocatione, qua ipsae in Messiam crediturae erant, ac per ipsum ad veri Dei cognitionem erant adducendae per ingentem idololatriae cladem, atque de substitutione gentium in locum rejecti populi judaici, juxta illud Ps. XLVI: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham* (1). Etsi vero Judaei ante Hierosolymorum excidium per universas fere terras dispersi essent Assyriorum, Persarum, ac Romanorum, gentem tamen nullam ad Dei cognitionem adduxerunt, multo minus populis, inter quos inhabitabant, suaserunt, ut idololatriae nuncium remitterent.

141. Ad 2. *Neg. suppositum*, ab ipsis assumptum, de gentibus ditioni Judaeorum subigendis. A falsa hac persuasione Deus non in uno loco Judaeorum animos abducere ac retrahere per prophetas suos numquam destiterat. Admonuit enim Israëlitas reduces a captivitate, quem ipsi praestolabantur Messiam venturum minime esse, prout animis suis conceperant, nempe ad subigendas gentes, sed ad Judaeos querulos et blasphemantes puniendos (Malach. III, 1 et seq.). Dispersum iri judaicum populum (Dan. IX, 26 et seq.) praedicit. Contra vero gentibus propitium Messiam fere saepe praenunciavit; sic Zach. IX, 10, de eo dicitur: *Loquetur pacem gentibus ;* Isai. XLII, 6, de eodem ait Dominus: *Dedi te in foedus populi, et in lucem gentium ;* et cap. XI, 10: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*. Perpetuo exhibetur Messias ut *expectatio gentium* (Gen. XLIX, 10), ut *desideratus cunctis gentibus* (Agg. II. 8); quanam igitur ratione bellum illaturus erit gentibus? Idololatriae nempe destructione. Sane, si de belli genere ex genere armorum judicium ferendum est, cum haec exhibeantur spiritualia, spiri-

(1) Plura in hanc rem testimonia congessit Eusebius, *Demonstrationis evangelicae* l. x.

tuale erit profecto bellum, quod Messias aget. Hinc Isaïas, XI, 4: *Percutiet*, inquit, *terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus*. Nec alius apparatus bellicus esse poterat regis pauperis et humilis (Zach. IX, 10), despecti et occidendi (Is. LIII).

142. Ad 3. *D.* Spiritualis, in interna scilicet conscientiae tranquillitate posita, *C.* temporalis *N.* Etenim si pax belli est fructus; bellum autem, ut ex dictis patet, est spirituale; spiritualem igitur et pacem fore necesse est.

143. Ad 4. *D.* Si Messiam accepissent, vel cum eum recipient et agnoscent, *Trans.* hoc neglecto ac rejecto, *N.* Nisi potius praestet haec de regno Messiae spirituali intelligere, seu de ejus ecclesia, quam sub sensibilibus symbolis prophetae ac vivacissimis imaginibus depingunt (1). Quod si placet haec litteraliter accipere, non abnuimus in hypothesi, quod Judaei verum Messiam agnovissent, vel quando, ut nonnulli sentiunt, in fine seculorum ad ipsum convertentur. Apposite Grotius, *Multa*, inquit, *Hebraeis promisit Deus, si Messiam promissum reciperent eique parerent; quae si non eveniunt, habent ipsi, quod sibi imputent. Quaedam vero etiam definite et sine conditione promissa, si impleta nondum sunt, adhuc possunt expectari. Constat enim, etiam apud Judaeos, tempus sive regnum Messiae, durare ad finem seculorum* (2).

144. Ad 5. *Trans.* Nondum enim exploratum est, quid per cladem Gog et Magog Ezechiel intenderit. Tot pene circa hoc vaticinium numerantur sententiae, quot interpretes, non solum apud Christianos, verum etiam apud Hebraeos. Alii de Scythis, alii de Persis, alii de Syris, etc. illud explicant; alii ad Antiochum Epiphanem referunt, ut Grotius; alii ad Cambysem, ut Calmet; alii symbolice volunt accipiendum de victoria justorum super impios (3). Cum igitur omnia sint incerta, quae ad illud vaticinium spectant; si quis deserat clara et determinata vaticinia, ut sibi ex incertis difficultatem creet, is perinde facit ac qui oculos a luce avertit, et tenebras umbrasque consectatur.

145. Eadem viget discrepantia sententiarum circa hanc de templo Ezechie-

(1) Recentiores biblici protestantes contendunt, illis vaticiniis describi seculum aureum regni Messiani. Verum haec expositionis ratio carnalis ac judaica est, neque componi potest cum ceteris, quae de Messia ejusque regno, nempe ecclesia, prophetae vaticinantur. Eventus sane ostendit, non alium sensum praeter spiritualem vaticinia illa admittere posse; alioquin minime fuissent completa. Ceterum etiam exterior ecclesiae majestas et amplitudo talis est, ut eidem aptari possint figurae illae, quibus eam prophetae adumbrarunt.

(2) *De verit. religionis*, loc. cit.

(3) Longa nimis res esset atque nullius frugis, velle omnes tum Hebraeorum tum Christianorum interpretum sententias percensere. Dissensio enim est circa nomina, gentes, fata, quae eisdem adscribuntur. Recentiores videntur acquiescere τῷ Michaëlis, qui censet designari Scythas. Ceterum s. Joan. Apocal. XX, quae Ezechiel de Gogi moliminibus et clade praedixerat, ulterius ad extremam mundi aetatem distulit. Hinc non pauci autumant, hic agi de personis *mysticis*, seu symbolicis, ita ut capp. XXXVIII et XXXIX polliceatur Deus, se pios suos cultores ab hostium potentissimorum ac ferocissimorum impetu sartos tectos servaturum eosque suo praesidio custodiaque protecturum; eam vero promissionem ad Christianos pertinere eatenus, quatenus ipsi sunt veri Dei cultores. Cfr. Rosenmüller, *Schol. in V. T.* ad Ezech. cap. 38.

lis visionem, idem propterea de ea ferendum est judicium (1).

146. Ad 6. *D.* Perperam intellecta, *C.* sano sensu et cum ceteris vaticiniis collata *N. Multa in sacris litteris*, ut rursum Grotius ait, *non ex proprietate verborum, sed figura quadam esse intelligenda, ne ipsi quidem Judaei ignorant; ut cum Deus descendisse dicitur; cum ei os, aures, oculi, nares tribuuntur. Quidni ergo hunc in modum explicemus et pleraque de Messiae temporibus dicta? Qualia sunt, lupum cum agno, pardum cum haedo, leonem cum ove stabulaturum; lusurum cum anguibus infantem; montem Dei surrecturum supra montes alios; in montem Sion venturos alienigenas, ut sacra faciant* (2).

147. Per *novissimos* autem *dies* tum ab Isaïa tum a ceteris prophetis significari ultimam aetatem, seu aevum Messiae, seu generatim *dies Messiae*, unanimiter tradunt Judaei, quocumque demum tempore hi dies venerint (3).

148. III. Obj. Perperam Christiani judaicam gentem aliquando a Deo rejiciendam fuisse existimant, aut abolendum foedus, quod Deus per Moysem cum populo feriit. 1. Etenim Abrahae posteri populus Dei peculiaris dicuntur, ipsi unitus foedere sempiterno (4). Passim lex mosaica perpetuo duratura exhibetur (5). Quod si Hebraei illam transgressi fuerint, paterna quidem correptione, minime vero foederis rescissione aut abolitione puniendi dicuntur, quin

(1) Diversas has sententias veterum ac recentiorum collegit cum suis auctoribus Rosenmüller, in Prodromo, ad caput x Ezechielis. Alii contendunt describi templum Salomonicum, alii Zorobabelicum, alii ideale, alii symbolicum ac mysticum; alii sensu litterali intelligendum prophetam volunt, alii tantum in sensu spirituali, alii denique partim litterali partim spirituali. Quidquid sit, nihil certi affirmari potest. Strenuam operam navavit in templi Ezechielis forma et amplitudine cum suis partibus describenda Joan. Bapt. Villalpandus, in op. cui titulus: « De postrema Ezechielis prophetae visione Joan. Bapt. Villalpandi, Cordubensis e Soc. Jesu, tomi secundi explanationum pars secunda, in qua templi ejusque vasorum forma tum commentariis tum aeneis quamplurimis descriptionibus exprimitur, *paginis* 655, *forma maxima; accessit:* Tomi III apparatus Urbis ac templi hierosolymitani, pars I et II, Joan. Bapt. Villalpandi Cordub. e Soc. Jesu collato studio cum H. Prado ex eadem Soc. », paginis 547, Romae 1604. De eodem argumento scripserunt Ludov. Compeigne, De Vejel ex Judaeo Christianus, Matthias Henfereffus Tubingensis, Campegius Vitringa, Coccejus, Stormius, Meyer, Blasche, etc.

(2) Non esse immutandum naturae ordinem adveniente Messia, antiquiores Judaei pro certo habent, et saepe occurrit in ipsorum libris, praesertim in tract. *Sanhedrin*, apud Ugolini, tom. XXV; sed praeterea in lib. *Sohar*, *Exod.* fol. 93, col. 378, quae hic leguntur, Is. II, 2, exponuntur sensu spirituali. Cfr. Schoettgenius, *De Messia*, pag. 109. Idem traditur in *Pesiktà rabbathi*, fol. 62, 1 et seqq. ibid. pag. 128; et alibi saepe totum exponunt de Messia. Quare non est haec arbitraria Christianorum interpretatio. Cfr. ibid. pag. 241, 503, 599, 600, 626, etc. et Joan. Frischmuthi dissertatio *De Evangelio in Sione egressuro, ad Is.* II, 1 *et seqq.* in *Thesauro theol. philol.* tom. I, pag. 685 et seqq.

(3) Observat Kimchi, ad hunc locum, formulam אַחֲרִית הַיָּמִים *dies postremos*, seu *novissimos*, ubicumque ea occurreret, indicare *tempora Messiae*. Cfr. Jerem. XXII, 20; Joël. III, 1 et seqq. etc.

(4) Gen. XVII, 7, et alibi.

(5) Exod. XII, 14, et alibi passim.

potius, si resipuerint, expresse iterato promittitur, eos ab extremis terrae ac de cunctis populis, in quos fuerint dispersi, congregandos fore (Deut. XXX, 2 et seqq.) ac revocandos. 3. Praesens propterea captivitas in poenam utique peccatorum Israelitici populi contigit. 4. Sed hoc ipso ostendit Deus peculiarem providentiam, qua eum servat, et amorem, quo populum prosequitur; quos enim Deus diligit, arguit et castigat. 5. Alias Judaei deterioris conditionis forent, quam ejusmodi impii homines, qui in hac et in altera vita poenas luunt. 6. Cum igitur satis a Deo puniti fuerint, soluta captivitate, ad patrium solum Judaei revocabuntur, juxta divinas pollicitationes. Ergo.

149. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Id est, usque ad Messiae adventum, quem lex praefigurabat, et ad quem velut paedagogus ducebat, *C.* absolute *N.* Hinc saepius Deus admonet, vetere rescisso, novum ac aeternum foedus priori illo ac temporaneo longe praestantius feriendum esse cum Israële fideli; ita Jerem. XXXI, 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Juda* FOEDUS NOVUM, *non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum..... pactum quod irritum fecerunt*, etc. tum Is. LV, 3: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus*, etc. ubi apertum est, sermonem esse de Messia, ipsis fatentibus Judaeis (1), ac de gentibus in idem pactum adsciscendis.

150. Ex his responsio patet ad ea quae subnectuntur de lege mosaica, quae hoc sensu potest dici aeterna, quatenus suum adimplementum et perfectionem in futuro Messia ejusque regno adeptura erat (2).

151. Ad 3. *N.* Imo prorsus contrarium constat ex prophetarum effatis, quae adduximus; quibus addi debet ex Osea I, 9; III, 4, ubi sub symbolo filii, cui jubetur nomen indere *Non populus meus*, et sub symbolo mulieris fornicariae diu expectantis, exhibetur populus Israël absque Deo suo. Quae autem allata sunt ostendunt, non fore perpetuam rejectionem filiorum Israël, ac futurum aliquando tempus, quo ad Deum ac ad missum ab eo Messiam ipsi convertantur; quod libenter damus, imo et profitemur (3). Tunc suum complementum habebunt crebra illa vaticinia de filiis Israël et Judą, sub uno David rege suo pace fruituris (4), ac de ceteris, quae ipsi promittuntur bonis.

152. Ad 3. *D.* Et praeterea rejecti

(1) Cfr. Raym. Martini, pag. 782 et seqq. edit. Carpzov. nec non pag. 883 et seqq., toto cap. 20, III part. dist. III, cum observationibus De Voisin.

(2) Cfr. Grot. op. cit. lib. v.

(3) Cfr. Osee, III, 5, ubi Deus comminationum acerbitatem temperat meliorum temporum promissione. Quare ibid. promittitur, post multos dies reversuros Judaeos ad Dei cultum, desertis superstitiosis religionibus ac ritibus, et quidem submisso animo gratiam quaesituros, serioque ac sincero studio Deum culturos. Nullum vero dubium esse potest aliquando Judaeos conversum iri ad religionem christianam, juxta Apostoli praedictionem, Rom. XI, 11 et seqq.

(4) Quum defectio Israëlitarum a vero ac sincero cultu Dei conjuncta olim fuerit cum defectione a Davide, rege divinitus instituto, ejusque familia, III Reg. XII, 5, ad emendationem illam, quae cit. loc. describitur, omnino pertinebat, ut hac etiam ex parte ad officium redirent; hinc additur: וְאֵת דָּוִיד מַלְכָּם, *Et ad David regem suum*. Qua formula innuitur, Israëlitas conjungendos fuisse

Messiae, ut inferius mox ostendemus, *C.* quorumcumque peccatorum *N.* Nec enim levioribus olim peccatis Judaei se commaculaverant, ut ex prophetis constat, qui eis perpetuo exprobrant adulteria, furta, homicidia aliaque infanda facinora, praesertim vero scelus adeo frequens atque commune idololatriae, de quibus in praesentiarum vix accusantur; attamen Deus numquam destitit ab eis speciali quadam providentia prosequendis, imo minas et promissa, poenas ac proemia adhibens, ostendit se peculiarem de iis curam gerere. Neque ultra LXX annos illos in captivitate detinuit, ac interim certiores saepe eos fecit de reditu; misit ad illos prophetas, qui eos solarentur; fidem miraculis excitavit ac vaticiniis. Ex quo vero iterum templum cum urbe Hierosolymorum eversum est, etsi saepe jejuniis se macerent, preces enixas ad Deum fundant, peccata confiteantur, etc. non secus ac si a Deo essent derelicti, nullo solatio, nulla spe, nullo subsidio foventur. Restat propterea invictum argumentum de scelere, quo universa gens detinetur, graviori ipsa idololatria, ob quod antiquum foedus vere abolitum est atque discissum (1).

153. Ad 4. *D.* Si ageretur de singulis individuis, ac poena amore mixta, *C.* si de tota multitudine, seu massa, ut dicitur, *N.* Aliud nempe ferendum est judicium de poena, quae singula individua afficit, aliud de ea, quae totam afficit multitudinem ac integram populi massam. Etsi enim verum est, interdum populum integrum puniri ob privatorum peccata, praesertim si ista frequentia ac publica sint, neque expiata, attamen ejusmodi poenae ut plurimum non sunt nisi partiales ac temporariae, imo et extraordinariae, cum juxta providentiae ordinariae ordinem in illos cadat poena, qui delinquunt. Contra vero si punitio afficiat totam multitudinem et jugiter perseveret, ut ordinaria censeri possit, dicendum totam multitudinem aliquo crimine teneri, quod omnibus commune sit, sive quod delictum sit multitudinis. Talis autem est punitio, quae totam judaicam gentem afficit, spectata praesertim publica et ordinaria providentia, quam Deus erga hunc populum, licet gravissimis ac publicis criminibus idololatriae inprimis obstrictum, per tot secula ostendit. Hinc in tota illa temporis periodo, quae a Moyse usque ad extremam Solymorum cladem intercessit, licet spectare correptionem patris animadvertentis in filios, cum toto illo tempore amor et gratia jugiter mitigaverint severitatem; ast in alia periodo, quae deinceps subsecuta est, omnia spectare licet signa Dei punientis reos ut judicis, quidquid de privata ac secreta ejus agendi ratione sit cum ejusdem gentis individuis (2).

154. Ad 5. *D.* Quatenus populus, *C.* quatenus individua *N.* Nam homines singillatim sumpti rationem reddent de peccatis propriis, ac propterea juxta diversam uniuscujusque mensuram qui-

sub uno rege ex Davidis prosapia oriundo; quo *Messiam spectari* nulla est dubitatio, ut pariter legitur Ezech. XXXIV, 23; XXXVII, 24; Jerem. XXX, 9; hinc chaldaeus paraphrastes haec verba cum iis, quae proxime praecedunt, ita reddidit: *Quaerent cultum Domini Dei sui, atque obedient Messiae filio David regi suo*. Ac talis est unanimis Judaeorum omnium sententia. Cfr. Rosenmüller, in loc. cit. Oseae, et Ezech.

(1) Cfr. De-Rossi op. cit. cap. II, § 25 et seqq. pag. 61 et seqq.

(2) Cfr. Limborch. *Amica collat.* cap. 6, in resp. ad tertium scriptum Orobii, pag. 251 et seqq.

libet a Deo poenam, quam fuerit promeritus, accipiet, ac pro majori vel minori malitia, qua divinae gratiae restiterit.

155. Ad 6. *D.* Cum se converterint verum Messiam agnoscendo, *Tr.* antequam convertantur *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, cum nihil adhuc exploratum sit circa sensum, quo accipi debeant divinae illae pollicitationes, quae statum Israëlitarum spectant post ipsorum conversionem (1). Alterum vero jure negavimus, cum divina oracula durationem dispersionis judaicae aperte protrahant usque ad generalem illorum conversionem. Quid postea de integra natione ad fidem conversa futurum sit, Deus novit. Interim ex ipsius jugi conservatione non pauca emolumenta in christianam religionem proveniunt. Inde enim habemus testes de Scripturarum V. F. ac praesertim vaticiniorum, quae Messiam spectant, authenticitate (2); vivum inde ac juge documentum habemus divinae in nos misericordiae, ac severitatis et divinae justitiae in Judaeos (3); ineluctabile demum inde habemus testimonium divinitatis religionis christianae ac divinae revelationis ex jugi vaticiniorum adimplemento, quod nulli cavillationi ac subtilitati subest incredulorum hominum.

CAPUT III.

DE JESU NAZARENO VERO MESSIA

156. Si Messias jamdiu venit, quod hucusque disputata invictissime ostendunt, reliquum est, ut inquiramus, *quinam sit*. Hic autem alius esse nequit nisi ille unus, in quem tum epochae promissi Messiae a prophetis definitae, tum ejusdem characteres et notae apprime conveniunt, tum denique qui officia ac munia Messiae propria obivit. Hunc porro alium non esse, nec esse posse nisi Jesum Nazarenum, ostendere aggredimur. Cum vero Orobius et cum ipso Salvador contendant, jure Christum Jesum et ex legis praescripto fuisse ultimo supplicio affectum, cogimur propterea Christi causae vindicias

(1) Huc spectant judaïzantium hypotheses de regno millenario, quas denuo praeter nonnullos catholicos excitarunt protestantes non pauci. Cfr. de hoc argumento Muzzarelli, *Dissert. selectae*, Romae anno 1807 editae, dissert. tertia, *De regno millenario Christi visibiliter conversantis in terra*, necnon p. Mamachii, *De animabus justorum*, etc. tom. 1, pag. 26 et seqq. Romae 1766.

(2) Quod saepe animadvertit s. Augustinus, praesertim *Enarr. in Psal.* LVI, n. 9, ubi inter cetera haec scribit: « Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos . . . Codicem portat Judaeus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant . . . Sic enim apparent Judaei de Scriptura Sancta, quam portant, quomodo apparet facies coeci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur ». Et alibi passim eadem repetit.

(3) Rom. XI, 22.

sumere, ac simul ostendere, necem Christo illatam novum esse argumentum, quo Messiae nomen ac dignitatem eidem maxime competere evincitur.

PROPOSITIO I.

Jesus Nazarenus verus Messias est, in Scripturis promissus, atque a Judaeis expectatus

157. In Jesu Nazareno tria illa plenissime adimpleta sunt, quae nuper recensuimus, epochae, notae et munia promissi atque expectati Messiae. Ergo Jesus Nazarenus est verus Messias, in Scripturis promissus, atque a Judaeis expectatus.

158. Ac primo quidem ad epochas quod attinet, et ex dictis liquet, istae omnes desinunt in urbis templique vastationem, ac ceterà, quae eam subsequi debebant, sacrificiorum nempe ac sacerdotii cessationem, antequam plane tolleretur civilis potestas a populo judaeo. Jam vero Christus Jesus eo tempore in mundum venit, fatiscente atque ad finem properante Judaeorum republica, sub Herode, patre idumaeo ac matre ascalonitide natus. Venit circa exitum LXX hebdomadum Danielis, ita ut in fine hebdomadae LXIX et initio hebd. LXX publicam sui fecerit manifestationem, ac in medio hujus postremae hebdomadis occisus sit (1); venit ante urbis ac templi direptionem, ac sacerdotii Aaronici et legalium sacrificiorum cessationem, quae omnia paulo post ipsius mortem subsecuta sunt; venit nempe ea aetate, qua constans apud Hebraeos et vicinos fuit opinio, illis temporibus expectandum esse Messiam (2). Ergo epochae promissi Messiae in Jesum evidenter conspirant.

159. Verum conspirant praeterea in ipsum characteres et notae messianae. Jesus enim ex tribu Juda ac familia David originem traxit; e Virgine matre ortus, juxta Isaïam, VII, 14 (3), atque in civitate Bethlehem, prout praedixerat Michaeas, V, 2; pauperem et hu-

(1) Hoc tum ex dictis, cum ageretur de vaticinio Danielis, patet, tum clarius adhuc patebit ex inferius dicendis.

(2) Cfr. Jahn in cit. *Appendice hermeneuticae*, fasc. 1, pag. 4, ubi recte observat spem venturi Messiae aetate Christi fuisse vulgarem, prout evincunt omnia illa N. F. loca, in quibus refertur, Joan. Baptistam, Jesum et ejus discipulos, annunciantes adpropinquare regnum coeli seu Dei, mox ab omnibus fuisse intellectos, quin ulla quaestio moveretur, quidnam istud sibi vellet. Nec solum generatim aliquando, sed etiam illa praecise aetate venturus expectabatur promissus olim Messias, prout clare elucet ex evangelistis narrantibus, quod modo Joannes, modo Jesus a plerisque creditus fuerit Elias praecursor, quin etiam ipse Messias, Matth. XVI, 14, 17; X, 13; Marc. VI, 15; VIII, 28; IX, 11, 13; Luc. IX, 7. Non erat haec vaga plebis dumtaxat opinio, sed ipsum quoque supremum nationis tribunal, synedrium dictum, legatione missa ad Joan. Baptistam, eamdem sententiam prodit, Joan. I, 19-28; cfr. Joan. X, 24; Matth. XXVI, 63; Marc. XIV, 61. Insuper Simeon ille senex, eruditus et Rabbi celeberrimus, fortasse idem, qui in Thalmude *Justus* et pater Gamalielis salutatur, et a Flav. Josepho, *Archaeol.* lib. XIV, cap. IX, n. 4; et lib. XV, cap. I, n. 10, sub nomine Sameas, ab acceptis divinis revelationibus laudatur, Luc. II, 25-32 divinitus edoctus fuisse refertur, se adhuc vivente Messiam nasciturum. Ut reliqua documenta alias allata praetream.

(3) De hoc pariter vaticinio ex professo agemus in altera tractatus parte.

milem vitam vixit, juxta Zachar. IX; magnus extitit thaumaturgus, quod rursum Isaïas, XXV, 6 et seqq. et alibi passim, praenunciaverat; quae quidem omnia vaticinia ad Messiam pertinere unanimi consensione Judaei ipsi fatentur (1). Neci praeterea ipse a Judaeis traditus est, et eo quidem supplicii genere, quo ipsum occisum iri praenunciaverat David, Psal. XXI, praesertim vero Isaïas LIII; ut alia praeteream vaticinia de ipsius resurrectione et gloria, quae post Raymundum Martini fuse prosequitur Huetius, *Demonst. Evangelica*, prop. IX (2).

160. Post Jesu repudium non solum desolata est civitas, templumque subversum, sed ubique victimae cessarunt, cessavit et sacerdotium, novumque sacrificii genus a Christo Jesu institutum, oblatum statim est ubique terrarum per sacerdotes e gentibus conversis delectos, quae pariter omnia a Daniele, Malachia, aliisque prophetis praenunciata fuisse de futuro Messia ostendimus. Gentes autem omnes, per apostolos ad ipsas a Jesu Nazareno missos, ejuratis superstitionibus ac idololatrico cultu, non coluerunt deinceps nisi Deum Abraham, Isaac et Jacob; et ita Dei populus factae sunt, quae ante non erant; atque hoc pacto impletum est quod per Jacob, Gen. XLIX, praedictum fuerat, aliosque prophetas locis antea commemoratis.

161. Haec autem omnia publicis factis ac documentis innituntur, quae nulla cavillatione eludi possunt. Cum igitur adamussim omnia, quae de promisso Messia praedicta esse vidimus, in Jesu Nazareno completa sint, juverit hanc propositionem concludere argumentatione ipsa, qua R. Nachmanides adversus christianos usus est, in disputatione cum Paulo Burgensi (3): *Ego ostendam clarissime, neutiquam Messiam venisse. Non enim quispiam fuit,* aiebat Nachmanides, *qui, aliqua similitudine et specie veri, aut se ipsum Messiam profiteretur, aut Messias ab aliis fuerit appellatus praeter Jesum Nazarenum. Atqui Messiae nomen ac dignitas in Jesum Nazarenum conferri nequit; Messias igitur nondum venit.* Sic ille; nos vero cum Cl. Derossi, paucis mutatis, sic eandem argumentationem in rem nostram convertimus, et contra Judaeos retorquemus: Messias jamdiu certissime venit; atqui nemo se ipsum dixit, aut cum aliqua similitudine et specie veri, Messias ab aliis appellatus et creditus est praeter Jesum Nazarenum; unus est igitur Jesus Nazarenus, cui Messiae nomen ac dignitas tribui jure optimo possit (4).

DIFFICULTATES

162. I. Obj. Perperam christiani ex recensitis vaticiniis Jesum verum Messiam esse concludunt. 1. In primis enim nec ipsi christiani doctores inter se consentiunt circa Jacobi vaticinium, quod alii esse intelligendum contendunt de regia dignitate permansura in tribu Juda usque ad Messiae tempora; alii de suprema quadam potestate; alii de potestate legislativa, quae in Synedrio resedit. Alii autumant respicere illud ora-

(1) Cfr. Schoettgenius, op. cit. *De Messia*, ad haec loca.

(2) Cf. etiam Eusebius, *Demonstrat. evangel.* lib. IX et X.

(3) Cfr. *Disputat. R. Nachmanidis cum fratre Paulo*, apud Wagenseilium in opere, cui titulus: *Tela ignea satanae*, tom. II, pag. 40.

(4) Op. cit. cap. 7, pag. 164.

culum solam tribum Juda ; alii ad universam israëliticam gentem illud extendunt (1). Sed praeterea animadvertere juverit, vel longe ante Jesum, vel longe post ipsum, sceptrum a Juda ablatum esse. Etenim e Juda sceptrum recessit sub Nabuchodonosor, neque unquam illud Judae tribus recuperavit. 2. Nam Judaei soluta captivitate servierunt regibus Persarum, quibus tributa solvebant ex terrae frugibus aliisque proventibus, ut ex II Esd. IX, 37, constat ; servierunt deinceps Graecis ; excusso demum Graecorum jugo, sub potestate fuerunt Assamonaeorum, qui erant ex tribu Levi, usque ad Herodem, sub quo Jesus natus est. 3. Quod si contendant christiani, sceptrum etiam post captivitatem in tribu Juda perseverasse, tunc nihil pariter ipsi evincent ex Jacobi vaticinio, cum exploratum sit, longe post Jesum sceptrum judaeos retinuisse. Certum enim est, Herodem non alienigenam, sed judaeum tum religione tum origine fuisse, prout testatur Josephus, *Archaeol.* lib. XX, cap. VI, ubi eum aperte dicit *judaeorum genere prognatum* (2). Quare Scaliger, ut observat etiam Valesius (3), abunde docuit, in notis ad Eusebii Chronicon, Herodem non fuisse alienigenam. Nihil igitur pro christianorum causa ex Jacobi vaticinio extundi potest.

163. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. probat. *D.* Christiani doctores inter se non consentiunt circa modum seu rationem exponendi jacobaeum vaticinium in nonnullis accidentalibus, *C.* circa rei ipsius substantiam *N.* Omnes enim in eo conveniunt interpretes christiani (si nonnullos judaizantes protestantes seu rationalistas excipias, quibus *quidlibet audendi semper fuit aequa potestas*), ut tum jacobaeum oraculum ad Messiam referant, tum in Christo Jesu adimpletum illud esse contendant. Multiplex igitur christianorum doctorum hujus vaticinii expositio non aliud evincit, nisi plures adesse vias ad judaeos refellendos ; cum vero aliae aliis probabiliores sint, suisque probentur auctoribus, non est cur de una potius quam de altera solliciti simus. Nobis tamen vehementer probatur illa, quam doctissimus Petavius sequitur. Censet autem sceptri nomine supremam potestatem a Jacob significari, quae in tribu Juda jugiter permansura erat usque ad Christi adventum. Etenim haec tribus in eo differt ab aliis, quod numquam dissoluta fuit, sed unum semper, ut ita dicam, corpus constituit licet diversas vices ac regiminis diversas formas subierit, diversosque duces ac principes nacta sit (4). Haec porro expositio magis conformis videtur contextui et rerum eventibus, commodior praeterea est ad Judaeorum tricas dissolvendas.

164. Hac enim posita, jam ruit sponte sua, quod ex captivitate babylonica atque ex regno Persarum et Graecorum, multo vero magis ex Assamonaeorum regimine, secundo loco objiciebatur. In unum enim corpus semper

(1) Cfr. Alfonso Nicolaï, S. J. *Lez.* CII, *sul Genesi*, ubi mira brevitate et eruditione, diversas recenset et expendit christianorum expositiones de vaticinio jacobaeo.

(2) Τὸ γένος Ἰουδαῖον.

(3) Valesius, in not. ad cap. 6, libri I, *Hist. eccl.* Eusebii.

(4) *De Incarnat.* lib. XVI, cap. 8, Cfr. etiam Tourneminii egregia dissertatio de jacobaeo vaticinio, ex Trevoltiensibus ephemeridibus mens. Mart. ann. 1705, art. XLV, quam latinam reddidit atque vulgavit P. Zacharias, in append. ad librum XVI Petavii, de Incarnatione.

coaluit tribus Juda, ac propriis legibus institutisque usa est, ut jure inde inferamus, supremam potestatem apud tribum Juda stetisse, quae reliquis tribubus, hac illac dispersis, non obtigit. Praedictiones autem Jacobi respiciebant fata domestica, ac propterea relativa erant, seu dicta per comparationem ad ceterarum tribuum eventa (1).

165. Ad 3. *D.* idest ad Christi adventum non omnino desiit, *Tr.* non ita imminutum fuit, ut ad interitum festino gradu non properaret, donec paulo post omnino desierit *N.* Ut enim animadvertit Petavius, cum agitur de imperiorum regnorumque eversionibus, non uno temporis momento eas perfici necesse est, neque ita intelligenda esse vaticinia, quae eas praenunciant, sed morali quadam latitudine ac per quaedam intervalla et per gradus, prout in casu nostro accidit. Ablatio enim illa aliquanto ante Christi ortum inchoata tempore, ac deinde progressa, tandem in templi et urbis excidio, Vespasiano Imperatore, perfectum habuit exitum (2).

166. In data expositione patet, parum referre ad jacobaei vaticinii veritatem, criticam disquisitionem, utrum Herodes inquilinus fuerit, an alienigena. Exploratum tamen est apud eruditos, Herodem origine Idumaeum fuisse, neque ulla jam contentio est. Verba citata non sunt historici Josephi, sed Judaeorum cum Syris altercantium, uter populus prior et potior haberetur in civitate Caesarea. Josephus enim iterum iterumque affirmat, Herodem Idumaeum esse, imo confutat Nicolaum Damascenum, qui ex assentatione Herodem Judaeorum genere satum asserebat (3).

167. II. Obj. Omnia incerta sunt in

(1) Cfr. Petavius, *Rationarium temp.* part. II, lib. III, cap. 16.

(2) Cfr. loc. cit. *De Incarn.* cap. 6. § 5 et seq. ubi inter cetera illud recte animadvertit cl. vir, « non esse patriarchici illius oraculi mentem, ut tempus praecise designet, quo Messias] affuturus est, ut eodem momento, quo illud evenerit, quidquid tandem est, quod futurum ante praedicit, Messias accedat. Hoc enim in nulla prorsus vaticinii illius interpretatione constat. Verum ita intelligendum hoc est, ut cum illa, quocumque tandem interpretere modo, praecurrentis signa extare videris, tum scias, Messiam jam in mundum venisse, ut a posteriori sumptum indicium, antecedentis rei faciat fidem. Prius enim Messias venturus dicitur, quam ab Iuda sceptrum recedat. Simul illud repetendum est, quod alibi monui: prophetiarum eventa non una aliqua temporis particula circumscribi, sed paulatim evoluta compleri. Sic istud ipsum, quod Iacob edidit, de auferendo sceptro, pedetentim est impletum. Ac quemadmodum homo, quamdiu spirat, et cum morte luctans sensim deficientem trahit animam, vel mori vel vivere dicitur, sic ablatio sceptri, et judaicae communitatis, ac πολιτείας extinctio paulatim est expleta ».

(3) Sic enim ex propria sententia de Herodis origine scribit Josephus, *Archaeol.* lib. XIV, c. 1, p. 683 : Ἰδουμαῖος Ἀντίπατρος .... Νικόλαος μέντοι φησὶν ὁ Δαμασκηνὸς, τοῦτον εἶναι γένος ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, τοῦ ἐκ Βαβυλῶνος εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικομένων· ταῦτα δὲ λέγει χαριζόμενος Ἡρώδῃ τῷ παιδὶ αὐτοῦ βασιλεῖ τῶν Ἰουδαίων ἐκ τύχης τινὸς γενομένῳ. Id est: « Idumaeus Antipater, quamvis Nicolaus Damascenus hujus genus deducat a primariis Judaeorum, qui a Babylonia in Judaeam reversi sunt. Sed hoc dicit gratificans Herodi ejus filio quem fortuna ad Judaeorum regnum evexit ». Recte propterea Eusebius, *Hist. eccl.* lib. VI, cap. 6, affirmat, idque auctore Iosepho, Herodem fuisse *gentis* judaicae alienigenam, τὸ γένος ἀλλόφυλον. Plura vid. in *Chronico* et *Demonst. evang.* lib. VIII, cap. 1. Cfr. Christ. Noldii, *Historia Idumaea, seu de*

vaticinio Danielis. 1. Christiani ipsi mirifice inter se disceptant circa initium perinde ac circa exitum harum hebdomadum. 2. Quis propterea sibi persuadeat, Jesum Nazarenum in medio septuagesimae postremae hebdomadis mortem obisse, prout contingere debuisset juxta Danielis vaticinium? 3. Sed neque adimpleta sunt, quae in eodem oraculo de Messia praenunciantur. 4. Nam neque in dimidio hebdomadis defecit hostia et sacrificium; neque sub ipso deletum peccatum est, et sublata iniquitas, vel adducta justitia sempiterna, cum tam late hodie pateat iniquitas ac ante Jesu adventum. 5. Nuspiam praeterea legitur, Jesum aliquando inunctum fuisse. Cum igitur hebdomadarum exitus cum eventu non collineet, adjuncta vero vaticinii minime adimpleta esse constet, jure infertur, Danielis vaticinium in Jesu Nazareno haud esse completum.

168. Resp. *Neg. antec.* ad 1. probat. *D.* Ita tamen ut omnes consentiant, duos terminos *a quo*, et *ad quem* intra utriusque templi destructionem in vaticinio contineri atque concludi, perinde ac judaei ipsi fatentur (1), *C.* in supputationibus chronologicis *Tr.* Circa duos recensitos terminos vix ulla est controversia. Tota propterea disceptatio versatur circa determinationem horum terminorum, prout subjiciuntur supputationibus chronologicis. Jam vero communi calculo nunc probatur, *terminum a quo* prophetiae Danielis initium capere ab edicto, quod Artaxerxes dedit anno XX. regni sui, de reaedificanda urbe, Nehem. II, 8, 18, collat. Dan. IX, 25; nam usque ad id temporis murus Jerusalem dissipatus erat et portae ejus igni combustae, Nehem. I, 3. Praeterea omnes chronologi concordes in eo sunt, quod Xerxes, Artaxerxis pater, regnare coeperit anno 485 ante Christum, Artaxerxes vero mortuus sit anno ante Christum 423; igitur ab initio regni Xerxis ad mortem Artaxerxis fluxerunt anni 62; si ab his annis demas annos 11, quibus regnavit Xerxes, patet regnum Artaxerxis durasse annis 51, et hunc regnare coepisse anno ante Christum 474. Datum est autem edictum ab Artaxerxe anno 20 regni sui. Ergo hebdomades Danielis decurrere coeperunt anno 455 ante Christum. Porro hic annus incidit in annum 299 Urbis conditae. Hinc si ineamus calculum LXX hebdomadarum ab anno 20 Artaxerxis et Urbis conditae 229, habebimus finem hebdomadis LXIX, nempe anno 483, et initium hebdomadae septuagesimae anno Urbis conditae 782, qui est Tiberii Imp. annus 15; sed hic annus ex Luc. III, 1, est annus publicae manifestationis Christi, ac propterea, quod consequens est, anno tertio cum dimidio, seu in medio septuagesimae hebdomadis occisus est Christus, defecit hostia et sacrificium, deletum est peccatum, et adducta justitia sempiterna per ejus mortem (2).

169. Ad 2. Resp. Imo facile hoc est

vita et gestis Herodum diatribe, ad calcem II volum. operum Josephi, pag. 333, edit. Havercamp. Adversus Scaligerum et Valesium vid. Petav. in *Rationar. temp.* part. I, pag. 193, nec non Nic. Serarius S. J. adversus Scaligerum in diss. *Herodes*, in *Thesauro antiq. Jud.* Ugolini, tom. XXIV, pag. 898 et seqq.

(1) Cfr. Raym. Martini, pag. 282 et seqq. De-Rossi, op. cit. cap. 3; recolantur superius dicta.

(2) In hac supputatione assumitur, Artaxerxem regnare coepisse anno ante Christum 474, et Xerxem ejus patrem regnasse annos 11. Plura autem sunt argumenta tum directa tum indirecta, quae id suadent, quaeque nos

ostendere ex modo dictis; etenim, si ab anno 20 Artaxerxis, in quo constituimus terminum *a quo*, ad publicam Christi apparitionem, quae ex Luc. III, 1, incidit in annum 15 Tiberii, seu annum ab Urbe condita 782 numeremus annos 483, patet hanc apparitionem dissitam esse ab anno 20 Artaxerxis spatio LXIX hebdomadum. Porro Christus, ut colligitur ex Joanne, qui quatuor a Christo celebrata paschata commemorat (1), evangelium suum praedicavit per annos tres cum dimidio, donec scilicet in dimidio septuagesimae hebdomadis neci traditus est. Hac autem hebdomada septuagesima confirmatum est pactum multis, tum Christi Jesu praedicatione et morte, tum praedicatione

vix innuimus, ne prolixiores simus. Directa sunt: 1. Ab anno 11 regni Xerxis nihil habetur in Scripturis et historicis de ipso. Ctesias, cap. 28, refert exiguum aliquod factum, quod accidit paulo post bellum graecum. 2. Duplex habemus testimonium, quo reditus ejus ex Graecia et mors arctissime conjunguntur. Aelianus, *Var. Hist.* lib. XIII, cap. 3; et Justinus, lib. III, cap. 1-3. Cum 11 annis regni Xerxis convenit aetas Artaxerxis, quam ei assignat Justinus, loc. cit. nempe 68 annorum, cum mortuus est. Juxta plura et gravia testimonia pax problematica cimonica post praelium ad Eurymedonem 470 anno ante Christum inita est. Ast haec pax inita est cum Artaxerxe; ergo initium ejus regni ante 470 ponendum est. Argumenta indirecta: 1 Initium regni Artaxerxis juxta Thucydidem incidit in tempus brevi praecedens fugam Themistoclis in Asiam; cfr. *Hist.* cap. 137, et Charon e Lampsaco apud Plutarchum in vita Themistoclis, cap. 27. Annum vero fugae Themistoclis dat nobis Cicero, *Lael.* cap. 12, scribens: *Themistocles fecit idem quod 20 annis ante apud nos fecerat Coriolanus*; atqui Coriolanus fugit ad Volscos anno 263 U. C. nempe anno 492 ante Christum; ergo fuga Themistoclis anno 472 contigit. Themistocles autem venit ad Artaxerxem. Ergo. 2. Diodorus Siculus, lib. XI, cap. 55, fugam Themistoclis ponit in Olymp. 77, 2, scil. 471 ante Christum; Eusebius eam ponit ad Olymp. 77, 1; ergo fere coincidunt. 3. Tota series rerum a Thucydide relata nos cogit, ut ejus fugae tempus statuamus non infra annum 473, etc. Haec aliaque argumenta non pauca quisque recolere poterit apud Hengstenberg, op. cit. tom. II, part. 1 et 2, pag. 541 et seqq. Petavius tamen, *De doctr. temp.* lib. X, cap. 26 et seqq. aliam inivit viam ad conciliandos historicos, contendens annis 10 Artaxerxem regnasse cum Xerxe ejus patre. In hac vero hypothesi eumdem finem obtinemus. Cfr. ibid. et lib. XII, cap. 32 et seq. Cfr. etiam *Hist. de l'Acad. des Inscriptions*, tom. XXXI, *Eclaircissemens sur les règnes de quelques rois de Babylone et de Perse*, par M. Gibert, pag. 29 et suiv. tum pag. 51, *Nouvelles observations sur l'année des anciens Perses*, ejusdem auctoris, qui in eo convenit cum Petavio, ut tribuat Xerxi regnum 20 vel 21 annorum.

(1) Primum quidem cap. 2, 13, fere statim ac Christus Dominus in publicum prodiit; alterum cap. 5, 1, ubi probaticae piscinae meminit. Sub nomine quidem *festi diei* tantum illud designat; verum *festus dies*, Matth. XXVI, 5; Marc. XV, 6; Luc. XXIII, 17, per antonomasiam pascha nuncupatur. Praeterea cum Galilaeam petens, Samariam venisset, quatuor mensium intervallo messes aberant, Joan. IV, 35. Profectus inde in Galilaeam, Hierosolymam ad festum reversus est; nullum hoc temporis intervallo, praeter pascha, festum occurrit; quare Irenaeus de paschate sermonem esse docet, lib. II, cap. 22, n. 3, edit. Massueti. Tertium pascha, cap. 6, 4, non multo post celebratum a Christo est, quo ingentem multitudinem paucis, qui praesto erant, panibus ac piscibus multiplicatis aluerat. Ultimum, cap. 13, 1, pridie mortis suae.

apostolorum in tota Judaea ; ac propterea omnia ad amussim completa cernuntur, quae de Messia praedixerat Daniel.

170. Ad 5. *D.* Facto. *C.* jure *N.* Cum enim leviticus cultus non esset nisi figura cultus inducendi per Messiam, et sacrificia levitica non essent nisi adumbratio sacrificii a Messia per mortem suam offerendi ac consummandi, apertum est, quod veniente *figurato*, sive *re*, figurae et umbrae cessare debuerint. Cum vero mors Christi, ut ex dictis patet, in medio septuagesimae hebdomadis contigerit, hoc ipso foedus antiquum per mortem Filii Dei abrogatum est, et cessavit sacrificii levitici cultus quoad suum *esse intrinsecum*, in dimidio ipsius hebdomadis. Parum vero interest, quamdiu adhuc duraverint sacrificia illa quoad actionem externam, quae tamen paulo post et ipsa omnino desiit. Haec abrogatio legitima per veli scissuram manifestata satis fuit.

171. Ad 4. *Dist.* Si Daniel loqueretur de ablatione peccati subjectiva, *Tr.* vel *C.* si de objectiva *N.* Porro Daniel hic loquitur de remissione peccatorum omnimoda concedenda per Dei misericordiam, tamquam de dono Dei ob mortem Christi, cum qua ejusmodi remissio connectitur, perinde ac justitia sempiterna adducenda velut fructus ejusdem mortis. Nempe causa patefit tum remissionis, seu veniae peccatorum humani generis, tum sanctitatis adipiscendae ab ipsis hominibus per Christi mortem eodem sensu, quo Is. LIII praenunciata fuerant. Quanam autem ratione homines singuli subjective bona haec consequi debeant, hic non exponitur, sed aliunde peti debet. Nec enim, adveniente Messia, aut tollenda ratio meriti in bonis operibus, aut peccandi potentia erant, quod nullibi legitur, quin potius contrarium supponitur Is. LXV, 20, et alibi passim, quod nec ipsi Judaei diffitentur (1).

(1) Cfr. Schoettgenius, *De Messia*, lib. VII, cap. 2, § 15 et seqq. Unum vel alterum speciminis gratia, testimonium afferamus : *Targum Is.* LIII, 4, 5, 6, ubi vi verborum cap. LIII, 15, expresse de servo Dei Messia sermo est : « Pro peccatis nostris ille deprecabitur, et delicta nostra in ipsum immissa sunt . . . et ille vulneratus est pro peccatis nostris, traditus pro iniquitatibus nostris ; et per castigationem ejus pax multa erit super nos, et, si audiamus verbum ejus, peccata nostra nobis remittuntur . . . et coram Deo beneplacitum est, ut remittat peccata propter eum ». In *Jalkut Rubeni*, fol. 30, 4 ; et *Alschech*, ad Is. LII, 13, משיח סובל עונות ישראל *Messias portat peccata Israëlitarum*. In *Schemoth rabbà*, fol. 112, 3 : *Dixit Deus, sit benedictus, ad Israëlitas : Vos fecistis mihi* כפורת *operculum*, אני מנפר לכם עונותיכם, *Ego expiabo peccata vestra*, nempe tempore Messiae, etc. Non omnes autem fruituros esse hac peccatorum expiatione, sed eos solum, qui Messiae adhaerebant, ei obediendo, liquet ex *Sanhedrin*, fol. 38, 2, ubi legitur : « *Si sic est, colito illum, seu, ne rebelles ei, vel etiam, ne rebelles mihi in eo*, אם כן לא ישא לפשעכם. Si enim sic est, non auferet peccatum vestrum. Respondit Rabbinus : Fides est in manibus, sed tamen eum tamquam legatum suscipere noluimus ». Cfr. etiam Raym. Martini, in *Pugione fidei*, part. III, dist. 1, cap. 3, § 5. Ex his porro aliisque prope innumeris Judaeorum testimoniis, quae afferri possent, patet, non alio sensu a Messia peccata fuisse delenda, et adducendam justitiam, quam quod per mortem ac merita sua obtinere debuerit hominibus eorum remissionem, tum quoad culpam, tum quoad poe-

172. Ad 5. *D.* Unctione materiali, *C.* spirituali et mystica *N.* De spirituali autem Messiae unctione, quae consistat in effusione donorum Spiritus Sancti ipsi facta, ut suum munus impleret, loqui Danielem, planum fit ex Psal. XLIV, 8: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae*, et Is. LXI, 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me*, etc. Quae cum de Messia exponant ipsi Judaei, patet, qua ratione accipi debeat Messiae unctio, et in quo praecise consistat. Cfr. etiam Is. XI, 1 et seqq. Haec autem unctio in Jesu contigit in ipsa incarnatione per assumptionem humanitatis in consortium divinae personae, ut suo loco exponemus, ac denuo manifestata est publice in ipsius baptismo.

173. III. Obj. Saltem Aggaei et Malachiae oracula in Christo Jesu adimpleta non sunt. 1. Uterque enim propheta loquitur de adventu Messiae ad secundum templum, nempe Zorobabelicum; Christus vero non venit nisi ad tertium ab Herode extructum, quodque propterea Herodianum dictum fuit. Herodes siquidem illud e fundamentis erexit, sublatis prioris templi fundamentis, prout refert Josephus *Antiquit.* lib. XV, cap. XI, n. 1, ubi scribit: *Tunc igitur decimo octavo anno regni Herodis post ea facta, quae superius dicta sunt, arduum opus aggressus est, ut Dei templum sua opera aedificatum iret, eique ampliorem ambitum daret, et in altitudinem magnificentissimam erigeret. Itaque biennio postquam materiam praeparasset* (prosequitur n. 3), *sublatis veteribus fundamentis, et jactis aliis, super eis templum erexit* (1). 2. Deinde juxta eosdem prophetas Messias, venturus in secundum templum, *Desideratus* dicitur *cunctis gentibus;* at vero omnes gentes insurrexerunt adversus Jesum. 3. Denique intra *modicum* tempus ac *statim* venturus promittitur; quingentorum porro annorum spatium fluxit a Zorobabelici templi constructione ad Christum Jesum; nemo autem talem annorum seriem dicet *modicum* aut imminentem eventum. 4. Adde, nullam, adveniente Jesu, coeli terraeque commotionem contigisse, qualis ab Aggaeo praenunciatur. Ergo.

174. Resp. *N. A.* Ad 1. probat. *N.* Etsi enim daremus, quod tamen non pauci eruditi negant (2), Herodianum aedificium novam fuisse templi molitionem, attamen neque spectata rei natura, neque in sensu religioso ac populari *tertium* templum vocari potest, quod ab Herode excitatum est. Ac primo quidem spectata rei natura; etenim Herodes nonnisi destructo per partes veteri aedificio novum molitus est, ideoque juge semper perseveravit sacrificium. Ipsa Herodis intentio postulavit identitatem templi sui cum Zorobabelico; hinc per partes singulares diruebat et aedificabat (3). 2. Ex consuetudine loquendi

nam, ea tamen lege, ut per fidem et bona opera eadem merita sibi applicent, quod suo loco ostendunt theologi.

(1) Τότε γοῦν ὀκτωκαιδεκάτου τῆς Ἡρώδου βασιλείας γεγονότος ἐνιαυτοῦ, μετὰ τὰς προειρημένας πράξεις, ἔργον οὐ τὸ τυχὸν ἐπεβάλετο, τὸν νεὼν τοῦ Θεοῦ δι' αὐτοῦ κατασκευάσασθαι, μείζω τε τὸν περίβολον, καὶ πρὸς ὕψος ἀξιοπρεπέστατον ἐγείρειν . . ἀνελὼν τοὺς ἀρχαίους θεμελίους, καταβαλόμενος ἑτέρους, ἐπ' αὐτῶν τὸν ναὸν ἤγειρε. Pag. 777, edit. Havercampi.

(2) Cfr. Salianus S. J. *Annales ecclesiastici V. T.* tom. VI, fol. ad annum 4035. n. 5. et seqq. necnon Harduinus, *De nummis Herodiadum*, in notis ad annum U. C. 734. Inter *Opera selecta*, Amstelod. 1709.

(3) Cfr. I. A. Ernesti, *Progr. de tem-*

historica, omninoque populari templum illud *secundum* et fuit et recte appellatum est, ac propterea ab ipso Josepho saepe saepius Herodianum opus *instauratio* templi nuncupatur. 3. Templi *novi* nomen in sensu religioso (non architectonico) tale templum requirit, cujus aedificatio incidat in novam periodum historiae theocraticae, ita ut haec nova periodus per novum templum exterius repraesentetur; quare receptum est apud Hebraeos, ut templum secundum vocetur totum illud aevum, quod a Zorobabele ad Vespasianum protenditur. Hinc pariter rabbini templum, a Messia juxta ipsos excitandum sub mundi finem, *tertium* appellant, et secundum templum decennio diutius quam Salomonicum stetisse contendunt (1). Demum exploratum est illis temporibus omnes in expectatione Messiae fuisse. Quacumque ex parte propterea res ista spectetur, patet, in Christo Jesu haec vaticinia fuisse completa (2).

175. Ad 2. *D.* Quamdiu ipsas latuit, quinam fuerit, *C.* cum ipsis innotuit *N.* Nam, ubi primum Christus Jesus praedicari coeptus est, non modo innumeri prope homines in ipsum crediderunt, ut constat ex celerrima evangelii propagatione per universum terrarum orbem, verum etiam eo amore erga ipsum exarsere, ut non dubitaverint pro eodem sanguinem ac vitam profundere, ut suo loco ostendimus (3).

176. Ad 3. *D.* In se, *Tr.* relative, seu respectu totius praeteriti temporis, quo expectatus est Messias *N.* Saepissime autem prophetae de brevi temporis spatio usque ad adventum Messiae loquuntur, ut Is. X, 25; XL et seqq. Jerem. XXX, 3; quo sensu pariter Malachias usurpavit illud *statim*, heb. פִּתְאֹם, quod vatum hebraeorum, non nostro more, sed prophetico, dictum fuisse, ex Dan. VII; Ezech. IV, 3; Ps. LXXXIX, 4, patet (4).

177. Ad 4. *D.* Qualem sibi Judaei fingunt, *C.* in sensu prophetae *N.* Sensus enim verborum Aggaei non aliud prae se fert nisi ingentem universitatis rerum mutationem, seu immutationem totius naturae, quae in adventu Christi reipsa contigit per tot miracula in Christi nativitate, ac vitae ipsius serie et morte, in descensu Spiritus Sancti sub visibili symbolo, tum in religionis christianae promulgatione patrata, per reipublicae judaicae interitum ceterasque innovationes ex religione christiana in mundum inductas (5); quo sensu Deus,

plo Herodis M. ad Agg. II, 10, *et Josephi Antiqq. judd. lib.* XV, *cap.* 9, in *Opuscul. philologg. critt.*; pag. 347 et seqq. edit. sec. Lugd. Batav. 1776, qui, etsi contendat Herodem, destructo per partes veteri templo, illud ex integro ab ipsis fundamentis raedificasse, attamen, ut componat vaticinium Aggaei cum Messiae adventu ad templum herodianum, animadvertit, in consuetudine loquendi historica ac populari, templum, ab Herode per partes destructum restitutumque a priori non distingui, quod Judaei a Chaldaea reduces extruxerant, sed nomine atque appellatione cum eo confundi. Cfr. etiam Hengstenberg, *Christologia V. T.* etc. part. III, pag. 367 et seqq. Berol. 1835.

(1) Cfr. Th. Goodwini, *Moses et Aaron, cum notis Hottingeri*, in *Thesauro* Ugolini, tom. III, pag. 168, not. 19.

(2) Cfr. Raym. Martini, part. II, cap. 9, § 12 et seqq.

(3) Tract. *De vera relig.* part. I, n. 369. et seqq.

(4) Cfr. Scheibel, *Observatt. critt. et exegett. ad vaticinia Haggaei et Malach.* pag. 36.

(5) Dan. Tobenz, opera omnia, tom. 7, in nota ad locum ad Hebr. XII, 26; *Verba*

Is. LXV, 17, et LXVI, 22, dicit, *Se novam terram producturum*.

178. IV. Obj. 1. Intelligi nequit, qui factum fuerit, ut in tanta vaticiniorum luce, qualem christiani comminiscuntur, Judaeorum primores atque doctores, synedrium universum atque Pontifices Messianam dignitatem in Jesu minime agnoverint, sed ipsum repudiaverint ac morte multaverint. Magnum sane praejudicium hoc esse contra Christi causam, nemo est qui non agnoscat. 2. Quod si illi, quos vehemens incendebat Messiae desiderium, qui eum summopere exoptabant, quibus longe melius perspectus erat divinorum oraculorum sensus, ante quorum oculos omnia illius aetatis adjuncta et Christi facta obversabantur, diversum adeo judicium tulerunt, concludamus necesse est, in Christo Jesu Messiana vaticinia nullo modo esse adimpleta. Quod vel ipsa sua agendi ratione christiani patefaciunt. 3. Etenim, ut Messiae dignitatem in Jesum conferant, quaecumque in antiquis oraculis de humillima et afflicta futuri Messiae conditione dici videntur, litterali sensu accipienda esse contendunt; in universum vero quae de Messiae gloria ac triumphis in iisdem exhibentur, sensu mystico, ut aiunt, et spirituali, seu improprie et allegorice exponere coguntur (1). 4. Porro contraria omnino ratione rem se habere vel levis oraculorum Messianorum inspectio et veteris synagogae sensus traditionalis cuilibet suadebunt. 5. Ubicumque enim, sive in Psalmis sive in prophetarum libris, de Messia agitur, semper nobis proponitur imago potentissimi regis, felicissimi herois, gloriosissimi reipublicae restitutoris, coloribus ab imperii Davidici aut Salomonici flore regumque orientalium pompa sumptis, depicta, varie-

ista, inquit, *leguntur Agg.* II, 7 (Hebr. 6). Ast haec citatio est secundum LXX. In hebraico habetur: *Adhuc unum modicum, et ego commovebo*, etc. Sed textus hebraicus potest quoque sic verti: « Adhuc semel (seu modicum durabit) et ego commovebo. Per commotionem coeli et terrae hic innui videntur regnorum subversiones, quae inter hanc prophetiam Aggaei et adventum Messiae evenerunt: videlicet imperii persici destructio per Graecos, regni Graecorum per Romanos, reipublicae romanae per Augustum. Ast scopus Pauli manifeste exigit, per hanc commotionem coeli et terrae intelligi naturae totius immutationem, hoc est, miracula in promulgatione religionis christianae facta, idololatriae eversionem, status judaici interitum, christianorum persecutiones, eorumque constantiam, ceterasque innovationes per religionem christianam mundo inductas. Facit enim oppositionem, dicens, in promulgatione V. L. tantum terram, hoc est, montem Sina, motam fuisse; in promulgatione vero Novae, non terram tantum, sed coelum quoque concutiendum, hoc est, majorem rerum conversionem inducendam esse, ac tunc fuerit. Unum igitur de tribus dicendum, *vel*, quod iste solus sit verus horum verborum sensus, adeoque per hanc commotionem non intelligantur regnorum subversiones Messiae adventum praecedentes, *vel* quod utrumque iis designetur . . . *vel* quod textum Aggaei Paulus scopo suo accommodarit ». Hoc postremum membrum systemati protestantico *accommodationis* relinquendum est. Eodem enim sensu, quo Paulus exponit Aggaei vaticinium, illud accepisse veteres Hebraeos ostendit De Voisin, in *Observv. in prooemium Pug. fidei*, pag. 166, quem consule. Sic pariter falsitatis arguit Rosenmülleri interpretationem R. Abarbanel, *Comment. in Hagg.* quaest. IV, cujus integer textus prostat loc. cit. Th. Goodwini, seu potius Hottingeri.

(1) Ita fere Orobius in II *et* III *ad Limborchium Scripto*, § 4 et seqq.

que et mirifice ornata. Si jampridem de Messia passuro et morituro constiterat inter prophetas, qui tandem factum est, prout scite advertit Rosenmüller aliique cum ipso (1), ut omnes altum de eo silentium servarent, et, quum toties ejus gloriam cecinissent, vix obscure in uno vel altero loco prioris humilitatis ejus ac miseriarum mentionem facerent? 6. Ponamus autem, apparere in quibusdam oraculis antiquis Messiam patientem et moriturum clare et perspicue; tum vero haud intelligitur, cur aetate Christi Judaei et apostoli ejus rei tam parum meminissent, ut apud eos, spei Messiae cum gloria et potentia regnantis unice deditos, ejus humilitas et miseria haberet maximam offensionem. 7. Post ejus mortem demum evangelistae et apostoli nonnulla ejusmodi vaticiniorum dicta ad Jesum retulerunt, 8. quae tamen proprie non spectant nisi ad integrum populum judaicum, quem passim prophetae per prosopopeiam velut personam moralem exhibent patientem, afflictam, morti traditam, ut Isaiae LIII et seq. Ergo.

179. Resp. Ad 1. *D.* Nisi perspecta esset illius populi indoles ac perpetua agendi ratio cum viris sanctis atque prophetis suis, *C.* hac supposita *N.* Jam vero tempus deficeret ei, qui vellet cuncta recensere, quae de rebelli et contumaci illius populi indole et agendi ratione cum Deo ejusque ministris refert historia, eique exprobrant prophetae. Non solum enim vocatur populus incircumcisus auribus et corde, Deum exteriori rituum apparatu colens, dum corde ab eo alienissimus est; sed praeterea constat, in Mosem liberatorem et thaumaturgum saepius eum insurrexisse, et adversus Davidem mitissimum regem facta rebellione arma sumpsisse; vexationibus, injuriis, contumeliis prophetas passim lacessisse, notissimum est. Quare Jeremias, II, 30: *Devoravit*, inquit, *gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator;* qui praeterea conqueritur, XI, 19, quod se ipsum ejusmodi populus, quasi agnum mansuetum, ad victimam duceret; innocentem se acerbissima quaeque ab eo pati profitetur, XV, 10, 21; judicio iniquo plus semel condemnatum fuisse XVIII, 18 et XXXVII, 15 et seqq. XXXVIII. A Manasse eo numero interfecti prophetae exhibentur, ut eorum sanguine publica civitatis loca redundarent, IV Reg. XXI, 16. Nehemias inter peccata, ob quae

(1) *Praenotat. ad cap.* 52 *Isaïae*, part. 3, vol. III, edit. sec. pag. 529 et seq. et cum ipso De Wette, *Comment. De morte Christi*, 4 pag. 29 et seqq., Berol. 1813; Eckermann, *Den theologischen Beytraegen*, seu *Collationes theolog.* vol. I, fasc. I, pag. 192 et seqq. Dr. Georg. Paulus, *Memorabil.* III, pag. 175-192, et in sua *Clavi in Isaïam*, ad hunc locum; Doederlein, *Praef. et not.* ad edit. 3 vers. Isaïae; Schuster, *Comment. in Is.* LII, 7, LIII, 12; Bertholdt, *Christolog.*; Gesenius, aliique rationalistae passim. Qui tamen diversas vias inierunt; alii siquidem existimant, in utroque capite agi de universo populo judaico, tamquam persona morali; alii de meliori tantum et proba populi parte pejoribus et improbis opposita; alii censent quidem singularem personam esse sermonis objectum, sed hanc vel Mosem esse, vel regem Oziam, vel Josiam aut prophetam ipsum Isaiam aut Jeremiam. In hisce interpretationibus plures jam praeiverant Judaei interpretes ex iis, qui post Solymorum excidium scripserunt, quorum antiquissimus occurrit apud Origenem, *Contr. Cels.* lib. I, n. 55, pag. 370, tom. I, opp. edit. Maurin. Cfr. Danz, *De Lytro redempt. humau.* § IV, in Meuscheni *N. T. ex Thalmude illust.* pag. 838.

Judaei e terra sua ejecti fuerant, IX, 26, et illud numerat, quod vates a Deo missos, a quibus ut resipiscerent admonebantur, interfecissent. Quid mirum igitur, si populus iste, si ipsius pontifices, qui Jeremiae falso crimine mortem machinati sunt, si synedrium, quod praesertim Christi aetate ex hominibus constabat nutu potentium delectis et cooptatis, quid mirum, inquam, si homines ejusmodi, arrogantia tumidi, ambitione et avaritia insatiabiles, in furorem acti fuerint conspecto homine, qui sanctissima praecepta adferens, vitam ipsis suam sola diversa vivendi ratione exprobrabat, et, majorum suorum exempla sectati, ipsorum mensuram impleverint? Hinc patet non majus praejudicium causae Christi inferri ex Judaeorum ipsorumque pontificum repudio, quam quod tot sanctissimis viris attulerint machinationes et neces ipsis ab illorum majoribus illatae (1).

180. Ad 2. *D.* Si anticipata judicia non obstitissent, *C.* si haec et pessimi eorum mores aliud ferrent *N.* Tenebat profecto omnes Judaeos aetate Christi Jesu vehemens desiderium et expectatio adventus Messiae, ut omnia illius aetatis documenta ostendunt; at in Messia ex adventitiis ac superinductis opinionibus temporalem liberatorem praestolabantur, qui ipsos e gravi Romanorum jugo eriperet, nec nisi carnalia ac mundanam gloriam sibi ex ejus adventu promittebant; humilis propterea Jesu conditio eos graviter offendit, nec induci poterant ad agnoscendam in ipso Messiae dignitatem adeo contrariam praeconceptis opinionibus. Accedebat etiam, quod in Christi Jesu vita et doctrina reprehensionem vitiorum suorum habebant molestissimam, quod tum ille tum ejus discipuli a Galilaea erant; Galilaei enim apud Judaeos in summo contemptu habebantur. Corruptissimos Judaeorum ipsorumque procerum mores illius aetatis Flav. Josephus testatur, qui propterea censet Hierosolymam aut terrae hiatu aut igne fuisse absumendam, nisi eam Romani evertissent (2). Hinc Deus ipse per prophetas suos praedixerat, fore ut

(1) Cfr. Grotius, *De verit. relig. christ.* lib. v. Hoc item argumentum plene evolvit De-Rossi, op. cit. cap. 8, § 28 et seqq. atque in clarissimo lumine collocat causas omnes, quae influere debuerunt ex rerum adjunctis ad repudiandum Christum Jesum; qualia sunt expectatio potentissimi regis qui eos e Romanorum jugo eriperet; odium Doctorum in homines vulgares et illiteratos; contemptus, quem in Galilaeos illius aetatis homines profitebantur; libertas, qua Christus Jesus vitia et mores pharisaeorum et sacerdotum insectabatur, etc.

(2) Integri septem libri *De bello judaico* legendi essent, ex quibus luculenter patet, quibus moribus, qua feritate non solum *sicarii*, *zelotae*, *latrones* praediti essent, sed ipsi sacerdotes ac summi Pontifices, qui fuerunt causa potior extremae cladis Solymorum ac templi. Sane concludit Josephus, lib. VI, cap. 8, n. 5, pag. 397, edit. Haverc.: Φλεγομένοις δ' ἐπανέτειλεν Ἱεροσολύμοις ἡ μέρᾳ Γορπιαίου μηνὸς ὀγδόῃ, πόλει τοσαύταις χρησαμένῃ συμφοραῖς κατὰ τὴν πολιορκίαν, ὅσοις ἀπὸ τῆς κτίσεως ἀγαθοῖς κεχρημένη πάντως ἂν ἐπίφθονος ἐδοξεν, οὐ μὴν ἀξία κατ' ἀλλό τι τῶν τηλικούτων ἀτυχημάτων, ἢ τὸ γενεὰν τοιαύτην ἐνεγκεῖν, ὑφ' ἧς ἀνετράπη. Id est: « Ardentibus autem Hierosolymis illuxit dies gorpiaei mensis octavus, ubi quidem tot calamitates, cum obsideretur, expertae quot bonis si floruisset, ex quo fuerat condita plane invidenda ipsa esset; non tamen alias tantis infelicitatibus digna, quam quod talem progeniem edidit, a qua subversa est ». Sic in Thalmude, Tract. *Sanhedrin*, *ketuboth* et *Sota* R. Scelomoh ad cit. tit. *Sanhedrin*, cap. *Halec*; in Thalmud rursum, tit. *De ponderibus*, ubi tra-

Messias ipsis cederet in ruinam et in scandalum, reprobandus et occidendus ; adeo ut rejectio Christi Jesu novum suppeditet ipsius dignitatis Messianae argumentum, ut mox evincemus.

181. Ad 3. *D.* Ita exposcente oraculorum ipsa natura et factorum serie, *C.* pro libito *N.* Certum est Messiana vaticinia in nonnullis sibimetipsis prima fronte contraria videri. Alia scilicet, ipsum pauperem, despectum, novissimum virorum, doloribus ac infirmitatibus obnoxium, ignominiae, contemptui, ac morti denique ipsi violentae objiciendum fore praenunciant (1) ; alia vero eumdem gloria ac triumphis clarum, gentium dominatorem praedicant. Via ad haec concilianda profecto subesse debet. Omnia porro in Christo Jesu sub duplici ejusdem vitae periodo, ante et post obitum, ac regno ab ipso instituto apprime conveniunt. Facta ipsa patefaciunt rationem ejusmodi conciliationis, imo eam necessario exposcunt ; alioquin transactae omnes fuissent epochae a prophetis determinatae pro Messiae adventu, quas vidimus omnes omnino desinere in urbis ac templi eversionem, non adimpletis iis, quae de ipso Messia praenunciata fuerant. Hoc ipsum viderunt veteres Hebraei, qui utrumque vaticiniorum genus, quae sive humilitatem sive gloriam futuri Messiae praenunciant, de Messia exposuerunt (2), tum Hebraeorum quidam posteriores, dum duos Messias commenti sunt, quorum alterum vocant Josephi filium, qui mala multa ac mortem cruentam pateretur, alterum Davidis filium, cui cuncta prospere succederent (3) ; cum tamen sacrae litterae

ditio R. Jehuda in masoreta ad eumdem tit. *Sanhedrin*, cap. *Halec*, refertur : *Quo tempore adveniet filius David, domus institutionis divinae fiet lupanar* ; aliaque ejusmodi traduntur, quae perhibent mores illius aetatis corruptissimos, hominesque impudentia canina, asinaria contumacia, ferina crudelitate donatos. Cfr. hi tract. in *Thesauro* Ugolini, tom. XXV, pag. 956 et seqq.

(1) Psal. XXI ; LXVIII ; Is. LIII ; Dan. IX ; Zacch. XII, 10, etc. Sed quod caput est, neque Judaei antiquiores dubitarunt de Messia exponere Scripturarum oracula, in quibus sermo fit de ipsius doloribus, afflictionibus, morte denique violenta juxta expositionem christianorum. Brevitatis gratia nos unum vel alterum locum adducemus. In Tr. *Sanhedrin*, fol. 98, 2, legitur : « Ula dixit: veniet Messias, sed nolo ipsum videre. Et sic quoque dixit Rabba. Abai dixit Rabba: quaenam est causa ? Ille respondit : propter dolores Messiae ; *et postea :* R. Iochanan dixit ; veniet Messias, sed nolo ipsum videre. Risch Lakisch causam quaesivit ; cui ille respondit : propterea quia scriptum est, Amos V, 19: Quemadmodum si fugiat homo a facie leonis, etc. ». Simeon Jochaida in *Sohar exod.* fol. 3, col. II, *R. Simeon sustulit manus, flevitque et dixit : Vae illi, qui ad hoc ipsum tempus* (Messiae) *destinatus est*, etc. *Dolorum Messiae*, חבלי של משיח, crebra in scriptis Judaeorum est mentio. In *Mechilta*, in *Jalkut Rubeni*, II, fol. 90, 1, 2 legitur: *R. Hanne dixit nomine R. Acha : in tres partes divisae sunt omnes castigationes et poenae*, יסורין ; *unam sustinuerunt David et Patriarchae, alteram generatio nostra, tertiam Rex Messias, quod dicitur*, Is. LIII, 5 : *Et ipse vulneratus est*, etc. In *Sohar Genes.* fol. 29, col. 113: *Supremus inter illos, qui in hoc mundo castigationes et dolores sustinuerunt, est Messias*, etc. Qui plura cupit consulat Schoettgenium, op. cit. lib. VI, cap. 3; Raym. Martini, *Pug. fid.* part. III, dist. 3, cap. 16.

(2) Cfr. ib. Schoettg. cap. 5 ; Martini, cap. 18, cum observ. De Voisin.

(3) Cfr. Petri Cunaei, *De republ. He-*

ac universa judaei populi traditio nonnisi de uno eodemque Messia loquantur, qui per adversa et mortem ad regnum esset perventurus, ut in Ps. CIX, 7, et Is. LIII, 10, 11, expresse dicitur.

182. Ad 4. *Neg.* juxta modo dicta. Praeconceptae enim huic opinioni neque Scriptura, neque sensus traditionalis ullo modo favent, imo adversantur; nec illa nisi serioribus judaicae reipublicae temporibus superinducta est ex perperam intellectis vatum oraculis. Quare Christus Jesus omni ratione eam destruere aggressus est, et ad saniora principia mentes Judaeorum imo et ipsorum apostolorum, qui ea pariter imbuti erant, revocare curavit (1).

183. Ad 5. *N.* Haec enim non sunt nisi biblicorum ac judaizantium protestantium recentiorum commenta, qui, cum omnem impenderint operam, ut in alium detorquerent sensum oracula illa, quae apertis verbis et crebro futuram Christi passionem praenunciant, et contra ipsius Christi Domini effata ac testimonia, Matth. XXVI, 24, 54; Marc. XIV, 21, 49; Luc. XXIV, 25 et seqq. 46, et alibi passim, non verentur affirmare, altum esse in Scripturis silentium de Messia passuro et morituro! Oportet profecto eos omnem exuisse pudorem ad talia effutienda pro Judaeorum causa adversus Christum Jesum. Quod si interdum, sive in Psalmis sive in prophetarum libris, Messias proponitur sub imagine potentissimi regis, aut alia hujusmodi de ipso praedicantur, non aliud evincitur, nisi orientalium more per ejusmodi emblemata ac symbola, quae in sensus incurrunt et indoli illius populi maxime erant accommodata, spiritualem Messiae gloriam ejusque regni obumbrasse veteres vates. Hunc vero sensum facta ipsa postulant, prout animadvertimus; et adversarii biblici admittere debent, nisi forte velint Christianismo nuncium remittere, cum non alia ratione antiqua illa oracula adimpleta sint (2).

184. Ad 6. Resp. 1. contra facta nullam prorsus vim conjecturas nostras aut ignorantiam habere.

Resp. 2. ex nativa hominum indole facile intelligi, quomodo in praeposteram ejusmodi sententiam Judaei prolabi potuerint. Oraculorum cortici inhaerere pronum erat populo carnali, qui nonnisi temporalibus commodis et gloriae inhiabat, et oculos avertere ab iis, quae iisdem adversantur, prout et nos nobismetipsis saepe adblandimur, cum gravibus praesertim ac praesentibus malis urgemur. Exemplum hujus agendi rationis in seipsis apostoli exhibuere, qui, quoties Jesum Christum de regno suo disserentem audiebant, patulas toties aures praebebant; at, cum ipsis loqueretur de adversitatibus aut de sua passione, nihil horum intelligebant, et absconditum erat ab eis hoc verbum (3).

185. Ad 7. *D.* Juxta nativum ipsorum dictorum sensum, quem a Christo et Spiritu Sancto edocti acceperant, *C.* per accommodationem, ut contendunt

braeor. lib. I, cap. 17, cum not. Joh. Nicolaï, in *Thes.* Ugolini, tom. III, pag. 639, n. 2; Raym. Martini, part. II, cap. II, § 10 et seqq.

(1) Cfr. Jahn, loc. cit. pag. 7 et seqq.

(2) Talis sane est ecclesiae Christi triumphus, dilatatio et gloria, ut societas nulla ei comparari possit, quae per universum terrarum orbem excrevit, ac potentissimos principes ac florentissimos populos in sinum suum collegit, et fructus sanctitatis uberrimos quovis tempore protulit ac profert. Recolantur quae in hanc rem scripsimus Tract. *De Vera relig.*, part. I, n. 369 et seqq.

(3) Matth. XVI, 22, XVII, 22; Luc. XVIII, 34, etc.

neoterici biblici *N.* Apostolis enim Christus *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*, ut legitur Luc. XXIV, 45, et Spiritum S. ipsis misit, qui doceret eos omnem veritatem. Si vero cum Judaeis res sit, reponimus, et ipsorum majores de Messia prophetarum oracula intellexisse, quae ipsius passionem et mortem praenunciabant, ut ex dictis patet.

186. Ad 8. *N.* Etenim messianae hujus loci expositioni favet 1. traditio vetustiorum Judaeorum (1), cujus quidem traditionis auctoritas eo pluris facienda est, quod messiana explicatio opponeretur populi conceptui, ex quo facile explicatur ortus tardioris non messianae expositionis. 2. Allegatio hujus prophetiae in N. T., quae non solum confirmat, messianam hujus loci expositionem tunc temporis viguisse, sed praeterea certo eam unam ostendit esse rectam; haec enim fulcitur verbis s. Lucae, XXII, 37, ubi Christus dicit vaticinia, quae ipsum respiciebant, complenda esse, et ad finem properare (2), adeoque et adimplendum illud: *Inter iniquos deputatus est* (3); Christus igitur hoc vaticinium iis adnumerat, quae de sua passione agebant, ideoque tam certe hoc est messianum, quam certum est Dominum nostrum veritatem scire potuisse ac dicere voluisse. Nec improbabiliter asserueris, Christum, cum dicit *secundum Scripturas* se pati ac mori debere, praesertim hunc locum innuere. Nam et adversarii concedunt, de patiente ac poenas luente Messia doctrinam, si alicubi in V. T. habetur, hoc loco contineri. 3. Philippus, Act. VIII, 33-35, quum interrogaret Eunuchus de sensu hujus prophetiae, de Christo eam explicat, ac totam instructionem suam super illam extruit. 4. Apostolus Petrus verbatim loca praecipua hujus vaticinii de morte expiatoria Christi affert (4), quod et alii scriptores N. T. passim praestant (5); inserviebat enim

(1) Auctores, qui vetustiorum testimonia in hanc rem collegerunt, superius jam citavimus; quibus addi possunt I. H. Michaëlis, Hulsius, *Theol. Jud.*; Grabe, *Notae ad Spicileg. Patrum*, tom. I, pag. 362; Hulsius, *Nucleus prophetiae*, Lugd. 1683, pag. 668 et seqq.; Danz in Meuschenii *N. T. ex Thalmud. illust.* pag. 856; Eisenmenger, *Judaismus detectus*, part. II, pag. 758; Calovius, *Bibl. Ill.* part. II, pag. 249, et seqq.; Hornbeek, *Contra Judaeos*, pag. 249, 556; Ray. Mart. *Pugio fid.* part. II, cap. 9, 11, 12, Cfr. etiam dissert. ejusdem cit. Danzii, cui titulus: *Judaei proprio gladio jugulati*, in *Thesaur. Dissertt. theologico-philolog.* tom. I, pag. 779, Amst. 1701; tum Pauli Slevogti, *De morbis et doloribus Messiae*, ad cap. LIII Isaïae, ibid. pag. 774.

(2) Καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει, id est, *Etenim ea, quae sunt de me, finem habent*, et attulerat illud Isaïae LIII, 11: *Et cum iniquis deputatus est*.

(3) Ut autem pateat, quo devenerint biblici rationalistae circa scriptorum sacrorum inspirationem, juvat animadvertere, quod Gesenius opponat, Marcum haec verba prophetae, tamquam de Christo dicta, non ponere in ore Christi, sed afferre quasi *ex se* in alia occasione, XV, 28. Quasi nempe Marcus non potuerit etiam ex se illa afferre, quae prius Christus ipse attulit.

(4) Cfr. I Pet. II, 21-25, et I Pet. I, 19.

(5) Cfr. Marc. IX, 11; Rom. IV, 25; I Cor. XV, 3; II Cor. V, 21; I Joan. III, 5, in quibus omnibus locis aperta fit allusio ad cap. LIII Isaïae. Adeo enim hoc ipsis et lectoribus suis notum erat, ut illud vel innuisse ipsis satis fuerit.

hic textus themati apostolicae relationi de morte Christi (1). 5. Id postulant characteres subjecti ejusdem vaticinii, qui nemini nisi Messiae personae convenire possunt, cujusmodi ex. gr. est expiatoria ipsius mors, et redemptio, quam propheta tamquam effectum et fructum passionis Messiae exhibet, et quidem passionis hujus circumstantias describens sub forma sacrificii (2). Subjectum prophetiae vice nostra infirmitates suas suscipit *libere* (v. 10); aliena peccata *innocens* perfert (v. 4-6, 9); passione sua evadit *efficiens* seu *meritoria causa* justitiae populi (v. 11); *tacitus* item ac *patiens* ejusmodi dolores tolerat, nec in amaritudinem contra auctores dolorum suorum exurgit (v. 7). Quae quidem notae tales sunt, ut neque coetui prophetarum, multo minus judaicae integrae nationi, prout adversarii autumant, ullo modo convenire possint; ut omittam violentum omnino esse continuam allegoriam adeo protrahi, lectoribus non admonitis, et cujus nullum exemplum suppeditat hebraica litteratura; quaeque potius excluditur, eo quod huic subjecto tribuantur omnia, quae singulari individuo competunt, vocatur enim *vir*, eidemque adscribitur *anima*, et mors ac sepulchrum (3).

PROPOSITIO II.

Judicium in causa Christi Jesu a Judaeis latum, fuit iniquum in se, illegale in formis judiciariis, saevum in executione, novumque suppeditat divinae Christi missionis ac messianae ejus dignitatis argumentum

187. Haec propositio est adversus Salvador, qui, ut praemonuimus, ex Orobio praecipua sua argumenta deprompsit ad Judaeorum causam propugnandam, in judicio adversus Christum lato, nec de suo adjecit nisi fucata aliquot argumenta, ad hujusmodi paradoxum incautis facilius persuadendum. Tria igitur statuit: *primo* judicium istud aequissimum in se fuisse, eo quod judices Jesu applicaverint codicis articulos Deut. IV, 15, XIII, 1, et XVIII, 20, quibus morti addicitur quicumque ausus fuerit vel annunciare deos alienos, vel loqui ex nomine deorum alienorum; *rursum* latam in Jesum sententiam esse contendit juxta formas judiciarias tunc vigentes; *tertio* demum Judaeos ab omni saevitiae et crudelitatis nota purgare satagit, eam in milites refundendo, qui ex arbitrio ac praeter judicum mentem, in sententiae executione modum excesserunt (4). Tria pari-

(1) Quod tandem Gesenius ipse non sibi constans alibi fatetur, scribens: « Plurimi hebraei lectores, ideis de sacrificiis et substitutionibus assueti, necessario ita hunc locum (cap. LIII Is.) intelligebant, nec dubium est, apostolicum conceptum de morte expiatoria Christi praesertim huic loco inniti ».

(2) Sic cap. LII, 15, exhibet vocem יַזֶּה, *asperget*, et LIII, 10, אָשָׁם *delictum*, seu victimam expiationis pro delicto. Cfr. C. B. Winer, *Lexicon Hebr.* Lips. 1828, ad voces אָשָׁם et נָזָה

(3) De toto hoc vaticinio cfr. Hengstenberg, *Christologia V. T.* part. 1, sect. 2, pag. 364 et seqq. Berol. 1829, ubi ipsum egregie defendit adversus omnes anti-messianos interpretes recentiores. Vid. etiam Jahn, *Appendix hermeneut.*, fasc. 2, pag. 40. et seqq.

(4) Cfr. Orobius in *Amica collat. ad Limb.* cit. in *Tertio scripto*, n. 7, et seqq. et Salvador, *Hist. des Institut. de Moïse*, tom. II, liv. IV, chap. 3, *Jugement et condamnation de Jésus*.

ter sunt propterea a nobis probanda : 1. citatos articulos ex Deuteronomio Jesum non afficere ; 2. non solum neglectas, sed proculcatas prorsus fuisse in Christi causa formas judiciarias, quae tunc obtinebant ; 3. demum Judaeorum proceres ac judices causam praecipuam extitisse crudelitatis, quam Christus sustinuit. Sic enim non modo adversarium pessimae causae patrocinatorem fuisse ostendemus, sed novum praeterea argumentum inde eruemus ad vindicandam Jesu Nazareno Messiae dignitatem.

188. Judicium autem istud in primis in se spectatum fuisse penitus iniquum, eo ipso evincitur, quod legis articuli ex Deuteronomio adducti casum nostrum minime spectent, nec nisi injuste Christo Jesu applicatae fuerint poenae in eis statutae. Quod ut probe intelligatur, juverit eos, prout jacent, integros praemittere, quales ab ipso adversario proferuntur. Sic igitur legitur, Deut. IV, 15: *Custodite sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis*. Ac rursum, ibid. XIII, 1. et seqq. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetae illius aut somniatoris ; quia tentat vos Dominus Deus vester . . . propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro*. Tum demum, ibid. XVIII, 20: *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur*. Ex his liquet, duo interdici, idololatriam in primo textu, polytheismum in duobus reliquis, mortique addicendum eum, qui populum judaeum ad utrumque, vel alterutrum saltem crimen pellicere ausus fuerit, et a monotheismo abducere.

189. Jam vero qua fronte quave conscientia Orobius aut Salvador affirmare audebunt, Christum Jesum ad ejusmodi crimina Judaeos propulisse, ut jure merito ei poenae in citatis articulis decretae infligi potuerint? Etenim Christus Jesus monotheismum totius doctrinae suae basin et fundamentum constituit, nec alium Deum constanter praedicavit quam Deum Abraham, Deum Isaac et Deum Jacob ; ab hoc Deo se missum constanter professus est ; ad ejus sincerum cultum et amorem homines perpetuo excitavit, quem eis exhibuit ut amantissimum patrem : *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3). *Nemo bonus nisi unus Deus* (Marc. X, 18). *Unus est Pater vester, qui in coelis est* (Matth. XXIII, 9). *Spiritus est Deus ; et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joan. IV, 24) ; aliaque ejusmodi sexcenta Christi oracula, quibus referta est evangelica historia aperte evincunt, tam longe eum fuisse ab idololatriae aut polytheismi insinuando perverso dogmate, ut nemo unquam puriorem et augustiorem de summo Numine doctrinam exhibuerit.

190. Equidem non inficior Christum Jesum semetipsum verum Dei filium praedicasse, id est, naturalem ac proprium, ejusdemque cum Patre substantiae, non autem latiori aliquo sensu ; mysterium praeterea Trinitatis modo obscurius modo apertius, prout ferebat auditorum indoles, proposuisse ; attamen non propterea Deum carneum praedicabat, ut perperam supponit Salvador (1) ; multo minus inducebat aut pluralitatem

(1) « Mais Jésus, *inquit loc. cit. pag.* 82, en présentant des idées nouvelles, en donnant

deorum, aut Deum diversum ab eo, quem Judaei colebant; cum ex Christi doctrina, quam semper ecclesia catholica ab eo edocta, professa est, pluralitas personarum nulla ratione unitati divinae naturae officiat, aut summae ipsius simplicitati. Quo spectant illa Christi ipsius verba: *Ego et Pater unum sumus* (1); *Pater in me est et Ego in Patre* (2), aliaque ejusmodi, quae arcanam quidem doctrinam ipsius fuisse ostendunt, at institutioni mosaicae ac monotheismo minime adversantem. Imo nec nova Judaeis ejus doctrina videri poterat, cum in mosaicis libris et scriptis propheticis, nec pauca neque obscura occurrant pluralitatis personarum in Deo vestigia (3), praesertim vero identitatis naturae futuri Messiae cum Deo, prout constat ex omnibus illis V. T. locis, in quibus Messiae nomina divina, praedicata et officia proponuntur (4). Accedit doctrina traditionalis antiquissima Hebraeorum de Metatron et Schechina, manifestatore Dei et mediatore inter ipsum et mundum, qui cum Deo, a quo emanant, ita identificantur, ut a se invicem tamen distinguantur (5). De quibus fuse agitur

de nouvelles formes à des idées déjà répandues, parle de lui-même comme d'un Dieu; ses disciples le répètent, et la suite des événements prouve, avec la dernière évidence, qu'ils l'entendaient ainsi *(audiant sociniani et rationalistae)*; c'était un horrible blasphème aux yeux des citoyens; la loi commande de ne s'attacher qu'à Jéhovah, l'unique; de ne croire jamais à des dieux de chair et d'os, ayant ressemblance d'homme ou de femme, » etc.

(1) Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Joan. x, 30.

(2) Ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Ib. 38.

(3) Gen. I, 26; III, 22; XI, 7; Ps. II, 7; XLIV, 8, 12; Ps. CIX, 1; Is. VII, 14, IX, 6; XI, 2 et seqq. etc.

(4) Cfr. loci citat. tum Mich. V, 2; Dan. VII, 14, 27; Malach. III, 1.

(5) Nonnulla testimonia hujus judaicae traditionis jam superius, cap. I, indicavimus, quibus placet ad majorem hujus oppido gravissimae quaestionis confirmationem, unum vel alterum adjicere documentum; sic in lib. *Tikkune Sohar*, apud Glaesener, *Theol. Soharica*, pag. 87, legitur: *Metatron est ipsissima Schechina, et Schechina Metatron Jehovae vocatur, quia corona est decem Sephirarum*. Paria occurrunt apud And. Danzium, in *Meuschenii N. T. ex Thalmud illustr.* pag. 733, Edzardi tract. *Berachot*, pag. 232. Attamen alia loca ostendunt, quod Metatron et Schechina sub alia relatione distinguebantur, et quod Metatron eatenus cum Schechina identificabatur, quatenus haec in illo se recepit, eumque personaliter repraesentabat. Ita in lib. *Eschel Abraham*, apud Danzium, op. cit. pag. 735: *Columna medietatis est Metatron, in quo apparet Sanctus ille in Schechina sua*; et alibi apud Sommer, pag. 36; *Deus Opt. Max. ejusque Schechina sunt intra Metatronem, quippe qui vocatur Schaddai*. Ibid. pag. 37, R. Moses Corduero ait: שכינה חתומה בתון מטטרון: *Schechina est inclusa Metatron*. Cfr. Knorr a Rosenroth, *Kabbala denudata*, Sulzbaci 1677, part. I, pag. 578., ad vocem מטטרון. Cfr. etiam Schoettgen. *De Messia*, lib. III, thes. III et seqq. ubi luculentissima ex theologia veterum Judaeorum testimonia proferuntur, quibus constat juxta receptam traditionem antiquissimam Judaeos non omnino latuisse Messiae personam Deum esse, a Patre ab aeterno genitam, tum duplici constare debuisse natura in una persona, ceteraque omnia, quae de Christo Jesu docent christiani. Verum levissimus auctor, quem impugnamus, longe probabilius ejusmodi libros penitus ignorat.

in lib. *Sohar* (1), aliisque vetustissimis Hebraeorum libris; nunc vero apud eruditos hoc exploratum est adeo, ut in dubium revocari nequeat (2). Hinc est quod Evangelium Judaeos passim exhibeat loquentes et audientes modo de una, modo de altera Trinitatis persona tamquam de re cognita, ut Matth. I, 18, 20; Luc. I, 32, 35, et alibi passim. Christus igitur solum clarius evolvit, quod in libris legis et prophetarum velut in semine includebatur, et Judaeorum traditio antiquissima ac receptissima tenebat. Hanc suam doctrinam ingentibus, frequentissimis, quibusque obviis miraculis confirmavit, quae nec ab infensissimis quidem hostibus ejus negabantur (3). Cum igitur citati articuli Deuteronomii non decernant poenam nisi in idololatriae ac polytheismi satores, Christus vero purum monotheismum, eumque simplicissimum praedicaverit, imo tum idololatriae tum polytheismo bellum per se suosque discipulos indixerit, evidens est, eos articulos Christum nulla ratione afficere, nec propterea eidem applicari potuisse poenas in monotheismi violatores latas. Hinc, quod consequens est, patet, iniquum prorsus fuisse judicium, huic falsae suppositioni juxta adversarios nostros innixum, latum in causa Christi Jesu.

191. Verum et illegale praeterea fuit illud judicium in formis judiciariis. Has recenset ipsemet Salvador, easque et nos ex ipso exponemus; 1. itaque tria exigebantur tribunalia, quae in negotium aliquod, ac praesertim in reum praesumptum inquirerent; 2. accusatus detinebatur usque ad horam discussionis; nulli interea occultae aut subdolae interrogationi subjici poterat, ne innocens in mentis consternatione arma adversus se subministraret; inquisitiones circa probitatem testium illico institui debebant; 3. accusato facultas erat concedenda se ab impacta criminatione defendendi; 4. differri seu protrahi debebat sententiae executio in sequentem diem, imo usque in diem tertium; 5. suffragiorum pluralitas requirebatur ad rei condemnationem; 6. duorum magistratuum comitatus ad supplicii locum, ut reo faverent, si quid forte vel in ipsa via offerretur, quo reus absolvi posset, prout contigit in facto Susannae; 7. omnibus demum exhaustis, quae reo quoquomodo suppetias ferre possent, praesides reum exhortabantur ad proprii criminis confessionem, post quam sic eum magistratus alloquebatur: *Quid turbasti nos? Turbabit te Dominus in hac die, hac die turbaberis, non in futuro seculo*. Haec quidem Salvador, ut summam extollat judaicarum poenalium institutionum lenitatem ac moderationem in sontem (4).

192. Inquirendum jam superest, num ejusmodi lenitas ac moderatio in Christi judicio locum habuerint, seu num servatae fuerint judiciariae formae modo recensitae. Porro ex evangelica historia, ex qua profitetur adversarius noster promere probationes suas, ne vel unam servatam fuisse constat, sed ad unam omnes prorsus proculcatas, et omnia

(1) De hoc libro *Sohar.* vid. cit. *Kabbala denudata*, lib. IV, vol. 4.

(2) Praeter auctores cit. cfr. Hengstenberg, *Christologia V. T.* in diss. *De Divinitate Messiae in V. T.* part. 1, cap. 3, pag. 215 et seqq. cl. Drach, *Deuxième lettre d' un rabbin converti*, Paris 1827; Grotius, *De verit. relig. Christ.*, lib. V.

(3) Cfr. inter ceteros impurissimus auctor libri *Toledoth Jesciù*, seu, *Generationum Jesu*, apud Wagenseilium, in opere, cui titulus: *Tela ignea satanae*.

(4) Op. cit. liv. IV, chap. 2, *Administration de la justice*.

contra ejusmodi formas gesta esse. Etenim patet ex ea, 1. neque religionis causa, nec societatis bono permotos fuisse pharisaeos ac sacerdotes ad Christum accusandum, sed ex solo livore et invidia, adeo ut vel ipsi praesidi hoc innotuerit, Matth. XXVII, 18, et alibi passim; 2. longe antequam in Christum manus injicerent, eosdem ipsius mortem ac perditionem machinatos esse, Matth. XII, 14; Marc. III, 6; Luc. VI, 11; Joan. VII, 25, et quidem *dolo*, Matth. XXVI, 4; 3. plures eidem struxisse insidias ad eum capiendum in sermone, et accusandum, Matth. XXII, 15, 25, 34; Marc. XII, 13, et alibi; 4. in conciliabulis ad hoc institutis, communi consilio ipsius mortem decrevisse, Matth. XXVI, 3, 4; Joan. XI, 47 et seqq. 5. corrupisse pecunia ipsius discipulum, ut eum proderet, Matth. XXVI, 15, et alibi; 6. vix capto Jesu, inter se consuluisse seniores circa modum, quo possent eum morti addicere, Matth. XXVII, 1; 7. ipsius judices fuisse ejusdem acerrimos hostes et accusatores, Joan. XVIII, 13 et seqq. 8. omnia tumultuarie gesta esse intra paucarum horarum spatium, id est, intra mediam circiter noctem et mane subsequens, ibid.; religionem non fuisse nisi praetextum seu pallium, quo se tegerent; ceterum eos Christum apud praesidem accusasse tamquam malefactorem, ibid. 30, postea vero de crimine religionis, Joan. XIX, 7, ac demum de crimine politico, ibid. 12, at absque testibus; 9. vim minis et clamoribus praesidi intulisse, ut ab ipso quoquomodo extorquerent mortis sententiam, ibid. Jam vero nunc sciscitamur ab adversario, an in his omnibus vestigium reperiat illarum judicialium formarum, quas ipse tam ambitioso apparatu ac verborum lenocinio recensuit et exposuit; an non potius contrariam deprehendat plane iniisse viam pharisaeos aliosque Judaeorum primores in Christi causa, omnesque juris formas posthabuisse et conculcasse? Patet igitur, non solum in se iniquum, sed illegale praeterea in formis judiciariis, ab adversario ipso expositis fuisse judicium in causa Christi institutum.

193. Reliquum est, ut crudele demum in executione ejusmodi judicium fuisse evincamus; quod operosum profecto non est, si attendamus ad singula Christi passionis adjuncta. Ex his enim deprehendimus, non solum milites et carnifices ex arbitrio sese gessisse in illusionibus et cruciatibus, quos ipsi Christo intulerunt, sed insuper ipsos pharisaeos et sacerdotes immanem qua agebantur, rabiem exeruisse. Nam 1. ipsis nulla cura fuit de alapa Christo contra omne fas ac jus a ministro impacta, Joan. XVIII, 22 et seqq. 2. Totam noctem Jesum dimiserunt ministrorum insolentiae ac voluntati, qui, ut heris suis gratificarentur, indigna quaeque in Christum excogitarunt ac moliti sunt, secus ac leges postularent, Luc. XXII, 63 et seqq. 3. Iidem Pontifices supplicium crucis adversus Jesum a Pilato petierunt, Joan. XIX, 6, 15; 4. Principes sacerdotum cum scribis et senioribus Jesu jam supplicio affecto insultabant ac illudebant, eumque amarissime deridebant, Matth. XXVII, 41; Luc. XXIII, 35; quae omnia si saevam crudelitatem non sapiunt, quid tandem immanitatem sapiat, me plane ignorare profiteor. Etenim aemulo morienti, et animam inter acerbissimos cruciatus agenti, dicteriis, ironiis, subsannationibus insultare, extremum crudelitatis argumentum apud gentes omnes, non modo cultiores, verum etiam barbaras semper habitum est. Concludendum propterea, judicium in causa Christi Jesu et iniquum in se, et illegale in suis formis ac crudele in executione fuisse, prout probandum assumpsimus.

194. Novum vero jam inde exurgere

argumentum pro divina Christi missione ac messiana ipsius dignitate, constat ex eo, quod adimpleta fuerint vaticinia, quibus antiqui vates ejusmodi necem Messiae inferendam praedixerant, Ps. XXI, 17; LXVIII; Dan. IX, 26; Zachar. XII, 10; prout pariter adimpletae sunt saepius iteratae praedictiones Christi ipsius, qui distincte adjuncta singula suae passionis jampridem patefecerat, Matth. XVI, 21 et seqq.; XVII, 21, 22, XX, 18; Marc. IX, 30; X, 33; Luc. IX, 44; XVIII, 31. Hinc, quod consequens est, Judaeorum reprobatio ac per orbem dispersio ut poena reprobati Messiae, Luc. XXI, 24, spectari unice debent. Cujus quidem miserandae captivitatis, per XVIII secula perdurantis, testes nos ipsi sumus; ac ita sanguis interfecti Servatoris in eorum, qui illum interfecerunt, caput recidit, ut sibi ipsi, Matth. XXVII, 25, fuerant imprecati.

DIFFICULTATES

195. I. Obj. 1. Quamdiu Jesus intra praestitutos sibi limites se continuit publici depravatorum morum censoris, a nemine molestiam sustinuit; cum vero hos praetergressus est, tum quoad religionem tum quoad quietem publicam, legum severitatem experiri debuit. 2. Etenim ipse coepit de se tamquam de Deo loqui; ejus discipuli eadem repetunt, ac rerum exitus evidenter ostendit, sic eos sensisse. Jam vero Judaeorum lex morti addicebat eum, qui novitatem in hoc articulo machinatus esset. Sane, cum quadam die dixisset Jesus: *Ego de coelo descendi*, murmurabant Judaei de illo, et dicebant: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de coelo descendi* (Joan. VI, 41)? Cum iterum, de se loquens, dixisset: *Ego et Pater unum sumus, sustulerunt lapides Judaei, ut lapidarent eum*, addentes; *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* (ib. X, a v. 30 ad 33), atque hoc quidem ex legis praescripto. 3. Si enim se prophetam tantum aut inspiratum exhibuisset, omnes eum suspexissent, prout jus publicum ferebat (1). Ergo.

196. Resp. Ad 1. *N.* Imo haec princeps causa extitit, ob quam in ipsum scribae ac pharisaei commoti sunt, ac pessime ab ipsis Jesus exceptus est. Invidia enim ac superbia tumidi, statim ab ejus praedicationis initio, coeperunt in singula ejus dicta et facta inquirere, ut, si possent, eum perderent; atque in hoc iniquo consilio eo magis confirmabantur, quo Christi fama in dies augebatur, et quo ipse eorum vitia liberius increpabat. Cfr. Matth. IX, 11 et 34; XII, 2 et 10; XXI, 46; Marc. III, 6; XII, 12, et alibi passim. Quod tamen adversarius dissimulat, atque alto silentio premit.

197. Ad 2. *D.* Id est, coepit de se tamquam de Dei Filio loqui, *C.* de se tamquam de Deo diverso ab eo, a quo missus fuerat *N.* Nam Christus, ita exposcente ipsa rei natura et ordine, coepit miraculis divinam suam missionem ostendere, deinde suam a Patre originem declarare, et communem cum Patre, a quo missus erat naturam. Non autem ejusmodi doctrinam illico ut impiam ac Mosaicis institutionibus contrariam respuere debuissent Judaei, sed expendere motiva, quibus Jesus suam divinam missionem confirmabat; deinde prona aure debuissent doctrinam ejus excipere, eamque, animo anticipatis judiciis vacuo, cum iis conferre, quae

(1) Op. et loc. cit. cap. IV, pag. 83 et seq.

de proprietatibus ac natura futuri Messiae non obscure tum Moyses tum prophetae in suis scriptis tradiderunt, et quae Judaeorum recepta traditio ferebat. Hoc sane non pauci neque obscuri nominis homines praestiterunt, Jaïrus, Nicodemus, Zachaeus, Lazarus, Joseph Arimathensis, multi ex principibus viris ac sacerdotali ordine, Joan. XII, 42; Act. VI, 7.

198. Atque hinc responsio patet ad ea, quae Salvador adjecit de Lege Mosaica morti addicente eum, qui novitatem circa hunc articulum machinatus esset; ex dictis enim constat, Christum monotheismum constanter praedicasse, damnasse praeterea polytheismum atque idololatriam, prout ecclesia catholica juxta Christi doctrinam monotheismum praedicat ac respuit polytheismum et idololatriam, etsi dogmata Trinitatis et Incarnationis profiteatur; ex quo patet, ejusmodi articulos apte simul consistere posse, nec unum alteri adversari. Quod si Judaei ad haec non attendentes praecipiti judicio in Christum talia docentem exarserunt, ipsi viderint; ipsi soli extiterunt causa patrati deicidii, cujus adhuc poenas luunt. Debuissent enim omnia accurate perpendere atque examinare, quae supra rationis captum credenda ipsis proponebantur; debuissent saltem suspicari, arcanum aliquod sub tali doctrina latere.

199. Ad 3. Resp. 1. *Trans.* Compertum siquidem est, ex Judaeorum historia ut suo loco ostendimus, vix aliquem inter ipsos extitisse prophetam, quem persecuti non fuerint nec morti tradiderint; eosque eadem ratione statim excepisse Christum ipso suae praedicationis exordio, nuper vidimus. Nec aliter scribae, pharisaei ac sacerdotes exceperunt Joannem Baptistam, etsi ut prophetam tantum ac praecursorem Christi se patefecerit, Matth. XI, 18; XXI, 25 et seqq. Luc. VII, 30 et 33.

200. Resp. 2. *D.* Si talis fuisset ipsius missio, *Tr.* si longe sublimior *N.* Tenebatur enim Jesus ea patefacere, ad quae missus erat, ad complendam nempe Legem mosaicam in iis, quae portendebat de futuro Messia, ad ingerendam augustiorem de Deo ideam, ad ferventiorem in eum excitandum amorem, ad praebenda validissima motiva detestationis peccatorum, cujusmodi habentur in mysteriis Trinitatis, Incarnationis ac Redemptionis, ad extendendum et amplificandum Dei cultum apud universas gentes, aliaque ejusmodi, quae expendere adversarius neglexit.

201. II. Obj. Saltem ut in perturbatorem quietis publicae in Jesum animadvertere Judaei eorumque magistratus jure potuerunt. 1. Ipse enim dissensiones in populo serebat, Joan. VII, 43; Luc. XXIII, 5. 2. Plures homines perditae vitae eum sequebantur, Matth. IX, 10; Marc. II, 15; Luc. XV, 1, quos ipse quidem ad bonam frugem adducere contendebat; sed qui timores ingerebant concilio nationali. 3. Concionibus suis eo magis Jesus ejusmodi homines fovebat, quod anathemata in divites injiceret, Matth. XXIII, 13 et seqq. 4. In ejusmodi porro rerum statu consilium deliberat; nonnulli censent, ipsum ceu insanum spectandum, Joan. X, 20; alii dicunt, eum turbas seducere, Joan. VII, 12; Caiphas, summus sacerdos, ad quem ex officio spectabat Legis litteram tueri, animadvertit ejusmodi dissidia motivum Romanis praebitura Judaeam opprimendi, ac totius gentis bonum unius hominis bono esse praeferendum; quare se ipsum ejus accusatorem constituit, Joan. IX, 47 et 50. 5. Huic tamen *judicio comprehensionis* aliud praecesserat *admonitionis*, Luc. XX, 1 et seqq. Joan. VII, 38; Matth. XXI, 21, cum sibi arrogasset auctoritatem juri communi contrariam. 6. Duplicis propterea criminis incusatus

est, religiosi ac politici, atque ob utrumque damnatus (1). Ergo.

202. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *N.* Sed cum ageretur de homine extraordinario, cujus fama longe lateque diffundebatur ob tot praesertim prodigia quae patrabat, in ejusmodi casu, ut fit, de eo diversa ratione opinabantur Judaei ac disserebant ob contemptum potissime et odium, quod adversus Jesum ostendebant sacerdotum principes et pharisaei, quorum hypocrisis detegebatur. Ejusmodi autem dissensiones nullo modo afficiebant publicam quietem, ut ex loco citato s. Joannis evidens est.

203. Ad 2. *Neg.* ejusmodi homines, qui Christum interdum sequebantur, timorem injecisse concilio nationali, ut mentitur adversarius; siquidem hujus concepti timoris nullum extat in historia evangelica vestigium. Sed, cum repellerentur a tumidis pharisaeis, qui in se confidebant tamquam justi, ac despectui haberentur, benigne excipiebantur a Christo Jesu, qui in eis totidem infirmos spectabat, qui sanatione indigebant, totidem oves deperditas, quas ad ovile reducebat, totidem filios, quos ut pater amantissimus solabatur, prout parabolae ipsae declarant ab Jesu prolatae, occasione querelarum, quas superbi pharisaei movebant, benignam ac mitem ejus agendi rationem carpentes. Sane non magistratus, sed pharisaei querebantur de Christo, quod virtutem amabilem prae se ferret, non autem rudem, qualem ipsi ostentabant (2). Ceterum Christus constanter obedientiam legitimae auctoritati ipsis inculcabat, Matth. XXIII, ac humilitatem, patientiam, ceterasque virtutes, quae non minus verum Dei cultorem, quam optimum civem constituunt (3).

204. Ad 3. *N.* Sed anathemata, ad quae adversarius provocat, Matth. XXIII, 13, non in divites, sed in scribas et pharisaeos protulit, qui abutentes favore quo apud plebem fruebantur, fucata exterioris austeritatis specie eamdem ad extremam perniciem ducebant. Quod si alicubi in divites aliquot avaros invehitur, cum aliis comiter agit, eorumque fidem extollit atque commendat, Matth. VIII, a v. 5 ad 13; Luc. VII, 1 et seqq. XIX, a v. 2 ad 10; Joan. III, a v. 1 ad 21, IV, 46 et seqq. ac alibi. Propterea non *conditionem*, sed *mores* carpit; uti longe acrius praestiterunt antiqui prophetae, Is. V, 8; XXXII, 9; Jerem. XV, 13; Amos VI, 1; VIII, 4; Hab. II, 5, etc.

205. Ad 4. *N.* Nam non his de causis concilium deliberat; sed quia Christus Lazarum e mortuis excitarat, multique propterea in eum crederent. Simul ac enim ad pharisaeorum et pontificum notitiam pervenit ejusmodi prodigium, confestim concilio coacto dixerunt, Joan. XI, 47: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* En veram causam, propter quam pharisaei decreverunt ejus mortem. Falsa igitur est adversarii assertio; sed falsa praeterea sunt, quae huic intexuit; nempe in concilio, ut ipse insinuat, aliquos Jesum ut insanum traduxisse, aliosque

(1) Ibid. pag. 84 et seq.

(2) Cfr. Matth. XVII, 12 et seqq. Luc. XV; XVIII, 9 et seqq.

(3) Matth. XI, 29; V, VI, VII, etc. Cfr. Bossuet, *Politique tirée des propres paroles de l' Écriture S.* liv. I; art. 6, *De l' amour de la patrie*, II propos: *J. C. établit par sa doctrine et par ses exemples l' amour que les citoyens doivent avoir pour leur patrie.* *OEuvres* etc. tom. VIII, pag. 346 et suiv. édit. d Liège 1767.

dixisse, ipsum turbas seducere. Haec enim nonnulli tantum de turba in diversis plane rerum adjunctis protulerunt, Joan. X, 20; VII, 12.

206. Sed falsum insuper est, Caipham ab ejusmodi dissidiis adductum fuisse, ut se Jesu accusatorem constitueret. Etenim loco cit. nec verbum de dissensionibus est aut de periculo inde toti genti Judaeorum imminente; sed cum pharisaei ac sacerdotes dixissent: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem*, Joan. XI, 48, Caiphas in horum dictorum confirmationem addidit: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*, ibid. 49 et 50. Quibus verbis, etsi ipse id nec sciret nec suspicaretur, Caiphas prophetiam edidit, sed contrario omnino sensu ab eo, quo ipse verba protulerat, ut patefecit eventus. Quare non se Christi accusatorem constituit, ut autumat Salvador, sed auctorem praecipuum se constituit interfectionis Christi. Etenim *ab illo die*, ut addit s. Joannes, *cogitaverunt ut interficerent eum*, ibid. 53. Itaque adversarii nostri assertio est mendaciorum ac falsitatum congeries, quae malae causae patrocinatorem pessimum patefacit.

207. Ad 5. *N.* Neutrum enim judicium institutum fuit, *capturae* scilicet et *admonitionis*. Non prius, quia, ut patet ex dictis, actum haud est in illo concilio de quopiam judicio, sed de conspiratione in Christum Jesum ob tot signa quae patrabat, in qua sacerdotes illi malignitati, invidiae et odio inveterato, quo adversus Jesum exaestuabant, culmen posuerunt, Joan. XII, 10 et 19; eo magis, quod *concilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent*, Matth. XXVI, 4; Marc. XIV, 1. Improba plane malitia et nequitia, qua sibi non minus quam universae genti extremam perniciem consciverunt! Sed neque judicium *admonitionis* praecessit; nam, Luc. XX, 1, perhibentur principes sacerdotum et scribae cum senioribus a Jesu sciscitantes, unde acceperit potestatem docendi et ea patrandi, quae faciebat, seu argumenta suae missionis; quos Christus ad silentium adegit proposita quaestione de missione Joannis Baptistae. Verum neque ibi neque alibi uspiam ullius admonitionis occurrit mentio. In aliis vero locis ab adversario adductis, agitur de potestate miraculorum edendorum, quam sibi Christus attribuit, ac in se credentibus promittit in aliis prorsus temporis, loci ac personarum adjunctis; haec cum judicio, quod vocatur *admonitionis*, quid tandem commune habeant, plane non video.

208. Ad 6. *D.* Accusatus absque tabulis ac testibus, *C.* damnatus *N.* Utroque hoc crimine tamquam praetextu ac pallio usi sunt pharisaei ac sacerdotes ad juridice cohonestandum finem, quem sibi proposuerant, ut patet ex toto processu. Attamen non sibi constiterunt; nam prius accusarunt Jesum de crimine politico; quam quidem deinceps accusationem deserentes, intentarunt accusationem de crimine religioso; verum et hanc pariter dimittentes iterum redierunt ad crimen politicum Joan. XVIII, XIX. Princeps autem sacerdotum in privato conventu non criminis politici, sed criminis tantum religiosi reum esse Jesum declaravit, Matth. XXVI, 65. Ob neutrum tamen crimen damnatus est; non quidem ob crimen religionis; quod parvipendit Pilatus; non ob crimen politicum, a quo innocens iterum iterumque declaratus est ab eo, ad quem spectabat de tali crimine cognoscere, nempe a provinciae praeside, qui nonnisi clamoribus, minis, tumultu Judaeorum perterritus eorum cessit voluntati, sic Deo providente, ut Christi accusatorum

et hostium livor, malitia et hypocrisis in propatulo ponerentur (1).

209. III. Obj. 1. Sacerdotes et seniores se ad supplicii locum contulerunt; quoniam vero sententia huic facto innitebatur, quod nempe Jesus illegaliter sibi titulum Filii Dei, imo et Dei ipsius arrogasset, sic ipsum interpellabant: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere; si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei; confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: quia Filius Dei sum* (Matth. XXVII, 42). Juxta evangelistam haec verba prae se ferebant illusionem et contemptum; ast personarum, quae illa proferebant, natura, dignitas, aetas, ordo quem in Christi judicio secuti fuerant, evincunt bonam ipsorum fidem. 2. Miraculum ea ipsa hora nonne decisivum fuisset (2)? 3. Non proprie Judaei, sed vaticinia Christum interfecerunt; Jesus saepe praedixerat mortem suam; hinc, sive Judaei eum interfecissent sive non, semper deicidae fuissent. Etenim eum occidendo fuissent deicidae, ut patet; non interficiendo tanto magis deicidae fuissent, falsitatis arguendo ipsius vaticinia (3). Ergo.

210. Resp. Ad 1. *Neg.* Christi damnationem huic facto inniti; vidimus enim, Pilatum nullam rationem hujus impacti criminis habuisse, Sacerdotes vero et pharisaei, longe ante Christi confessionem de filiatione sua divina decreverant ipsius mortem; ergo Christi declaratio qua se Filium Dei profitebatur, non fuit nisi praetextus, ut saepe monuimus, quo ipsi usi sunt ad Christum sub specie legali condemnandum. Ex his recte colligitur, in verbis relatis veram subsannationem, irrisionem, ironiam denique amarulentam contineri, quam et factis ostenderunt, *moventes capita sua*, et *dicentes ad alterutrum, cum scribis: Alios salvos fecit*, etc. In quo concordes sunt tres evangelistae, qui sacerdotum verba referunt, Marc. XV. 29-31; Luc. XXIII, 35; Matth. XXVII, 39-41; quos propterea si adversarius adducit pro se, debet pariter recipere testantes contra se. Adde et in hac agendi et loquendi ratione, etsi non adverterint, ad verbum omnino eos adimplevisse prophetiam, quam longe ante protulerat David, Ps. XXI, 8 et 9. Quid propterea contra facta possunt conjecturae ex dignitate, gradu etc. deductae, cum cupiditate obcaecati hi Christi hostes omnes fines transilierint, ut patet ex tota serie rerum gestarum?

211. Ad 2. Resp. 1. *Tr.* Quos enim cetera miracula non moverunt, neque aliud mortis tempore patratum pervicaces atque in sententia sua obfirmatos profecto movisset. Resp. 2. Nec defuisse ejusmodi miracula, quae Christi mortem aut comitata sunt aut subsecuta, solis videlicet obtenebrationem, terrae concussionem, veli discissionem, Matth. XXVII, 45, 51 seqq.; Marc. XV, 33, 38: Luc. XXIII, 44, 45; denique,

(1) Cfr. Jahn, *Archaeol. biblica*, § 246; ubi et ipse ostendit, quae Thalmudici in Sanhedrin IV statuunt circa judiciorum tempus, formam, etc. omnia in tumultuario de Jesu judicio neglecta fuisse. Sed juvat percurrere conditiones et formas judiciales (*proceduram* nunc vulgo nominant), quas circa testes et rationem judicandi in foro judaico exhibet Sanhedrin tam in judiciis pecuniariis quam in judiciis capitalibus cap. 4 et 5, easque comparare cum historia evangelica, ut evidenter omnibus constet, eas in judicio Jesu non solum neglectas, sed plane conculcatas fuisse. Extat porro tractatus de Synedriis in *Thesauro* Ugolini, tom. XXV, capp. citt. pag. 98 et seqq.

(2) Salvador, ib. pag. 87 et seq.

(3) Ib. pag. 85. *note*.

quod caput est, gloriosam Christi a mortuis resurrectionem post triduum, de qua suo loco egimus (1).

212. Ad 3. Resp. Dedecere ejusmodi argutiam in re tanti momenti, eamque non prodere nisi stultitiam eorum incredulorum, qui se philosophos jactant. Vaticinia enim logice, ut aiunt, sive ordine seu ratione subsequuntur liberam hominum deliberationem, ut suo loco monuimus (2), quae ordine ac ratione anterior est ipsa praevisione, cujus objectum est, ac proinde praedictione. Adeo miseri sunt increduli, dum adversus religionem christianam pugnant! Ut enim ex hucusque disputatis compertum fit, eo adiguntur, ut vel aperte mentiantur, vel veris falsa commisceant, vel denique ad scurrilia descendant (3).

CONCLUSIO

213. Quae cum ita se habeant, juverit paucis perstringere, quae fusiori calamo tum adversus Judaeos tum adversus biblicos et incredulos prosecuti sumus, ut argumentorum nexus appareat, ex quo exurgit instituta demonstratio de adventu ac persona Messiae.

214. Ex dictis igitur certum est, 1. Messiam aliquem vel ab ipso mundi exordio humano generi a Deo fuisse promissum; Dei promissiones successu temporis ita fuisse saepius iteratas; ut, quo magis promissionum implendarum tempus instabat, eo illustriores fuerint; fidem in venturum hunc Liberatorem quavis aetate plus minus viguisse apud omnes gentes, praesertim vero apud Israëliticum populum, quem Deus constituit harum promissionum depositarium atque custodem. Certum est 2. promissi hujus Messiae determinata esse in Scripturis munia et characteres, atque adeo epocham ipsam adventus ejus, ita ut retardari non posset. 3. Messiam propterea hunc peculiare esse determinatumque individuum. 4. Elapsas esse epochas omnes promissi Messiae, completaque omnia, quae ab eodem gerenda erant; neque haec suo tempore praestitisse nisi unum Jesum Nazarenum, in quem omnia quadrant prophetarum vaticinia, epochae, characteres et cetera, quae aut praecedere aut comitari aut subsequi adventum Messiae debebant, et in eo complenda erant; ideoque certum est 5. Messiam advenisse, neque hunc alium esse aut esse posse nisi Jesum, prout nobis demonstrandum proposuimus.

215. Ex his autem non modo adversus Hebraeos colligitur, inani ipsos ac fallaci prorsus spe duci, dum adhuc praestolantur venturum eum, qui jamdiu venit, verum etiam eo adductos esse, ut absoluta impotentia detineantur ostendendi alium quempiam praeter Jesum esse Messiam. Ejus enim naturae sunt pleraque vaticinia, quae Messiam praenunciant, ut non nisi semel compleri potuerint. Eum in censum veniunt, quae epocham determinant sub finem judaicae reipublicae, stantibus adhuc et paulo post evertendis urbe ac templo; quae dispersionem Judaeorum et vocationem gentium, mosaici pacti abolitionem, novique foederis pangendi ac novi cultus suffectionem portendunt. Alia praeterea vaticinia reperiuntur, quae, si simul sumas, ita tali individuo adnexa sunt, ut alii convenire nequeant; cujusmodi sunt characteres, quos vocant per-

(1) Tract. *de Vera relig.*, part. 1, n. 243 et seqq.

(2) Tract. *De Deo*, n. 394 et 398.

(3) Cfr. Opuscul. cui tit. *Jésus devant Caïphe et Pilate, Réfutation du chapitre de M. Salvador, intitulé : Jugement et condamnation de Jésus*, par M. Dupin aîné, Paris 1828.

sonales, circa originem, nativitatem, vitae rationem, passionem, violentam necem sustinendam, gloriam inde subsecuturam, una cum consectariis, quae ab iis dependent. Alia denique habentur vaticinia, quae, spectatis politicis rerum eventibus, impossibile efficitur Judaeis ostendere, in alio quopiam jam adimpleta esse, seu unquam adimplenda. Nam ex omnium veterum consensu, juxta prophetias ex tribu Juda ac praecise ex familia David descendere debet seu nasci promissus Messias; jam vero ita omnem censum tribuum et familiarum post universalem dispersionem Judaei amiserunt, atque ita tribus omnes ac familiae permixtae sunt, ut omnino nequeant determinare ad quamnam tribum, multo minus ad quam familiam quispiam pertineat. Posteri autem David a Romanis ita omnes sunt deleti, ut nemo superstes manserit (1). Patet proinde, non solum nullam superesse posse Judaeis spem futuri Messiae, sed omnem iis ademptam ac praeclusam viam esse ad alium praeter Jesum Nazarenum agnoscendum.

216. Atque hinc novum exurgit pro veritate religionis christianae ejusque divina origine argumentum. Si quis enim secum animo reputet admirabilem plane divinae providentiae dispositionem erga singularem hunc populum, factorum seriem ac vicissitudines, quas eadem gens subiit sive ante sive post Christi adventum, easque comparet cum vaticiniis, in quibus haec omnia praenunciata sunt, non poterit non agnoscere ac deprehendere tum vim divinae praescientiae tum ceteros characteres divinae ac supernaturalis revelationis.

(1) Cfr. W. Schikardi, *Jus regium Judaeor.* problema XX, apud Ugolini, in *Thesauro*, pag. 794.

PARS POSTERIOR

ADVERSUS HAERETICOS

217. Christologia christianorum, ut vocant, complectitur germanam Dominicae Incarnationis mysterii doctrinam, quam veteres passim οἰκονομίαν, *oeconomiam* aut *dispensationem* nominant. Definiri autem solet Incarnatio: *assumptio naturae humanae a Verbo divino facta in unitate personae, ad humanum genus redimendum*. Christus vero est ipsum Dei Verbum homo factum.

218. Ex qua definitione deprehendimus ad adstruendam plenam Dominicae Incarnationis doctrinam a nobis exigi, ut vindicemus 1. in Christo naturam divinam; 2. naturam humanam; 3. unitionem seu unionem ambarum naturarum in una Divini Verbi persona; 4. integritatem utriusque naturae post unionem; 5. utriusque pariter naturae operationem et voluntatem; 6. idiomatum, ut vocant, communionem, theandricas actiones ex hypostatica conjunctione provenientes et adorationem Christo debitam; 7. Christi titulos, munia et excellentiam; 8. meritum actionum Christi; 9. exhibitam ab eo satisfactionem pro peccatis nostris et redemptionem.

219. In his igitur singillatim enucleandis catholicae doctrinae capitibus cum consectariis ab iisdem profluentibus atque iis adnexis operam nostram impendemus; recensentes haereticos tum antiquos tum recentiores, qui catholicam doctrinam subruere aut quoquo modo labefactare adnisi sunt, quin etiam, eos qui a recto tramite deflexerunt.

CAPUT I.

DE DIVINA CHRISTI NATURA

220. Directe impetunt divinam Christi naturam sociniani, haeresim renovantes jamdiu protritam photinianorum, Pauli Samosateni aliorumque obscuriorum sectariorum (1). Socinianos cum suis surculis plerique protestantes recentiores sequuntur, ex quibus orti sunt rationalistae, qui impietate omnes praedecessores haereticos facile superant, ita ut cum ipsis vix comparari possint. Ex istorum sensu et sententia Christus conferri debet cum Pythagora, Socrate,

(1) Cfr. Petavius, *de Incarn.* cap. 2 et 3. Ex censu tamen haereticorum, qui inficiati sunt divini Verbi Incarnationem juxta Petavium, subducendi sunt nazaraei, prout ostendimus in tract. *De SS. Trinit.* num. 218 et seqq.

Platone, Zenone, Seneca, Marco Aurelio aliisque antiquitatis philosophis graecis atque latinis, aut etiam cum orientalibus, Zoroastro, Confucio atque Mahomete, quos, ut ipsi autumant, Deus excitavit, ut dictis factisque populares suos edocerent, vel etiam institutis politicis et religiosis ad posteros transmissis a vitiis pravisque moribus arcerent (1). Nervos proinde omnes in hoc praecipuo christianae seu catholicae religionis dogmate adstruendo intendere debemus.

221. Quum vero satis prolixe egerimus de divinitate Verbi in Tract. de Trinitate Adversus arianos, hoc ipso ostendimus, saltem indirecte, divinitatem Christi, quae ab illa pendet. Ut igitur omnes probationes illuc productas cum ex Scriptura, tum ex constanti ecclesiae sensu, traditione et doctrina ad rem praesentem transferamus, satis nobis hic erit evincere, Verbum illud ipsum, quod Deum Deique Filium seu secundam Sanctissimae Trinitatis personam, consubstantialem Patri esse demonstravimus, idem esse ac Christum seu Verbum humana carne indutum, id est, humanae naturae hypostatice conjunctum. Hoc autem tum ex Sacris Litteris tum ex perpetua traditione et ecclesiae doctrina adstruemus, alias praeterea adjicientes probationes ad divinitatem Christi directe magis magisque confirmandam. Quae omnia generali sequenti propositione complectimur.

PROPOSITIO

Vera et proprie dicta divinitas seu natura divina in Christo Jesu agnoscenda est et profitenda

222. De fide est haec propositio, prout constat ex perpetua ecclesiae doctrina et professione in symbolis expressa. Addidimus autem, *veram et proprie dictam divinitatem* seu naturam divinam in Christo esse agnoscendam, ad omne effugium praecludendum adversariis nostris, qui divinitatem lato sensu acceptam in Christo ultro admittunt et agnoscunt.

223. Ita vero ex praemissis enunciatam veritatem ostendimus: Verbum, de quo loquitur Joannes initio Evangelii sui, verus Deus est, omniumque rerum conditor ac Patri coaeternus; atqui hoc Evangelii Joannis initium: *In principio erat Verbum*, etc. nequit ad alium quam ad Christum referri; ergo ex Joanne vera et proprie dicta divinitas, seu natura divina in Christo est agnoscenda. Jam vero minor propositi syllogismi neque ab adversariis ipsis in dubium vocatur, cum de hoc ipso Verbo scribat Joannes, v. 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre*. Ideo vero magnificum illud prooemium praemisit

(1) Ita aperte Wegscheider, § 120, *a*. Nec aliter sentit Baür, ut patet ex ejus systemate, de quo diximus in tract. *De Deo creatore*, part. III, num. 491, not. 1. Sic pariter Richter, *Das Christenthum v. d. ältesten Religionen des Orients*: seu *Christianismus ex antiquissimis religionibus Orientis*. Lips. 1819, et Carol. Hase, profess. Jenens. qui in op. *Das Leben Jesu*, etc. seu *Vita Jesu*. Lips. 1829, scribit: « Jesus homo Dei, non per mirabilem divinae in humanam naturam ingressum sed per perfectam humanae naturae eruditionem, quippe quae hominem divinum reddidit. Jesus itaque Dei Filius per apotheosim, non per incarnationem ». Deinde subdit nullam Christum duxisse uxorem, quod nullam invenerit dignam se. Ita progrediuntur protestantes.

Joannes, ut ex eo lucem suam mutuarentur, quae in toto Evangelii decursu de Christo erat relaturus, scilicet ipsum e coelo venisse, Filium Dei esse, antequam mundus fieret, ipsum apud Patrem extitisse, ipsum e Patre et ex Deo processisse, ipsum esse in coelo, dum loqueretur in terra, aliaque ejusmodi, quae facile omnia intelliguntur, illo prooemio praemisso, illo sublato, totidem aenigmata inexplicabilia penitus evadunt (1).

224. Praeterea non aliud de Christo credere aut sentire possumus, quam quod 1. Christus de se ipso praedicavit Judaeis, 2. commisit discipulis suis; 3. nec alio sensu ab eo, quo ipsum tum evangelistae tum Judaei sumpserunt; 4. denique ab eo quem scriptores reliqui de eo docuerunt. Porro singula haec capita percurrentes non possumus veram ac proprie dictam divinitatem in Christo non agnoscere. Etenim

225. 1. Christus non solum se Dei Filium esse clare et aperte docuit, sed ita docuit, ut posuerit fundamentum praecipuum religionis suae et spem omnis salutis in hac divinitatis suae fide. Etenim, Joan. III, 16: *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam . . . qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. 2. Cum dixisset Judaeis Joan. VIII, 32: *Veritas liberabit vos*, responderunt superbe Judaei: *Nos nemini servivimus unquam*; tum Christus rursum: *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum; filius autem manet in aeternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, ibid. 34. Quibus verbis Christus sibi potestatem tribuit Patris, et filii naturalis, qui quos vult adsciscit in domum Patris sui, et eos ex servitute in libertatem vindicat. 3. Christus velut filius in domo *sua*, Joan. II, 16, templi profanatores ejicit, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, vel, ut Matth. XXI, 13, loquitur: *Domus mea domus orationis vocabitur*. 4. Docet tamquam auctoritatem habens, id est, potestate legislativa suprema ex nomine suo: *Scriptum est*, vel *dictum est antiquis . . .; Ego autem dico vobis* (Matth. VII, 21): *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine* . . . . . (XXIV, 35): *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (2). Et, Joan. VIII, 51: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum*. 5. Docebat ut Sapientia ante saecula ab aeterno genita, et hanc Sapientiam se esse declarat; nam pro eo quod, Matth. XXIII, 34, dicitur: *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes*, Luc. XI, 49; VII, 35 ait: *Propterea et sapientia Dei dixit: mittam ad vos*, etc. . . . *justificata est sapientia ab omnibus filiis suis*. 6. Christus insuper omnes alienos sensus a vera ac naturali filiatione divina removet, dum, Joan. XV, 18, Deum vo-

(1) Cfr. tract. *De SS. Trin.* n. 163.

(2) Porro hoc ipsum vidit subtilis judaeus Orobius, qui in tertio Scripto, III quaesito, num. 7, concludit: « Igitur qui propheta venerit et dicat in nomine suo haec facienda vel credenda, homines in nomine suo salvandos, miracula in nomine suo facienda, in seipsum fidem exegerit ad salutem aeternam, in nomine suo et a se peccata hominibus condonanda; iste non est Dei minister, non est propheta, sed Deus ipse ». Cfr. *Amic. Collat.* pag. 108.

cat patrem *proprium*, ἴδιον (1); imo vel sub ipsa parabolarum caligine idipsum docebat; sic Marc. XII, 6: *Adhuc unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia verebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt ad invicem, hic est haeres, venite*, etc.; ubi instituit clarissimam antithesim inter servos, quos antea Deus miserat, et filium suum. 7. Docet Christus ante Abraham se esse; pluribus in locis se e coelo descendisse declarat; Joan. VIII, 58: *Amen, amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum;* quibus suam patefacit aeternitatem, dicens *sum;* docet, se esse in coelo, dum est in terra, Joan. III, 13; *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis, qui est in coelo;* rursum: *Descendi de coelo . . . Hic est panis de coelo descendens . . . Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi . . . Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? . . . Scio unde veni, et quo vado. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum* (2). Haec omnia, supposita aeterni Verbi incarnatione, plana sunt; nullum vero sensum habent, si illa tollatur. 8. Sed neque his contentus, clarius etiam sibi tribuit naturalem Filii Dei notionem; postulat enim haec, ut, cum Deus Filium generando totam ei substantiam tradiderit, Filius in Patre sit, et Pater in Filio, et uterque unum sint. Haec autem de se Christus praedicavit, dicens: *Pater in me est, et ego in Patre . . . . Ego et Pater unum sumus*, Joan. X, 38 et 30. Hinc, cum neuter ab ulla creata re comprehendi possit, Pater comprehendit Filium, Filius vero comprehendit Patrem: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*, Matth. XI, 27. 9. Nihil denique de divina majestate cogitare possumus, quod sibi Christus non attribuerit. *Dominum* siquidem se perpetuo praedicat eo prorsus sensu, quo Judaei hunc titulum Deo tribuebant; ut, ceteris omissis, constat ex iis, quae affert Luc. VI, 46: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quae dico?* Quae simillima sunt iis, quae apud Malach. I, 6, leguntur: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Deum* se etiam declarat, Matth. XI, 5, sibi applicans vaticinium Isaïae, XXXV, 4: *Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi coecorum;* et Matth. XI, 4: *Euntes renuntiate . . . Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te*, ad se referens oraculum Malachiae: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam* (3). *Omnipotentem* se exhibet in corporibus animisque curandis, imo et mortuis ad vitam excitandis; siquidem non alieno nomine, ut Petrus, Act. III, 6, sed proprio edebat miracula, ac potestate sibi insita. Leproso enim dicenti sibi: *Domine, si vis, potes me mundare*, respondit Christus: *Volo*, Matth. VIII, 3; laudat centurionis fidem, qui ex suo in milites imperio summum Christi in res creatas omnes dominium et potestatem spectabat, ibid. 9 et seqq.; declarat, se miracula operari, et mortuos a se vivificari, ut vivificantur a Patre, Joan. V, 17. Eamdem ostendit potentiam in animis

(1) In Vulgata editione: *Suum*.

(2) Cfr. Joan. VI, 38, 41, 50 et 63, VIII, 14 et 23, etc.

(3) Cfr. quae de hoc oraculo scripsimus, part. I, n. 41, not. 1, pag. 23.

curandis, dum se auctorem gratiae perhibet: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis*, Joan. VI, 27. Hinc mulier peccatrix ab eo animi salutem postulat eadem fiducia ac alii salutem corporis; eique Christus eam impertitur. Quinimo utitur exemplo creditoris, a quo debitum omne gratuito dimittitur duobus debitoribus, et hunc se esse creditorem ostendit ac declarat, dicens: *Vides hanc mulierem?* etc. Luc. VII, 44 et seqq. Utramque potestatem in corpus et animam egregie demonstravit, cum sanum fecit paralyticum; etenim, cum ei dixisset: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua*, murmurabant pharisaei intra se, dicentes: *Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Assentitur Christus, peccata a solo Deo dimitti, sed hac ipsa de causa hanc potestatem sibi vindicat; nam, ut probet se tali pollere potestate, ideoque et Deum esse, *ait paralytico: Tibi dico, surge*, Matth. IX, 2 et seqq. *Supremum* se exhibet *judicem*, qui vel praemia vel poenas decernat; praemium quidem, cum de ovibus suis dicit: *Et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea*. Joan. X, 28; supplicia vero, dum ait: *Mittet filius hominis Angelos suos . . . et mittent eos in caminum ignis*, Matth. XIII, 41. Demum Christus in sermonibus suis, quos coram Judaeis habuit; non semel testatus est, debitum sibi esse triplex officium, quo erga Deum obstricti sumus, fidei, spei et charitatis; fidei quidem illis verbis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Qui credit in me, habet vitam aeternam*. Joan. VI, 29 et 47; spei: *Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*, Joan. VIII, 36, alioquin nulla inde evadendi ratio et spes suppetit; charitatis: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, Luc. VII, 47. Et haec Christus dixit de se, quibus sibi proprie dictam divinitatem, Dei scilicet nomen, nativitatem, naturam, potestatem, professionem (1) ceteraque omnia vindicavit, quae nonnisi in eum, qui natura Deus sit, cadere possunt.

226. 2. Neque aliter se patefecit discipulis; etenim sibi semper constans, dicebat caeco nato, quem sanaverat: *Tu credis in Filium Dei? . . . et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine; et procidens adoravit eum*, Joan. IX, 35 et seqq. Item Marthae: *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui credit in me, non morietur in aeternum: credis hoc?* Respondit autem Martha cohaerenter ad Christi expostulationem: *Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*, Joan. XI, a 25 ad 27. Apostolis vero ante passionem suam: *Creditis in Deum, et in me credite*, Joan. XIV, 1. Nec qualemcumque fidem exigit, sed eam, quae per charitatem operatur; postulat enim, ut eum super omnia diligamus, et ejus mandata custodiamus: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, Matth. X, 37;

(1) Ad haec praecipua capita S. Hilarius revocavit argumenta omnia, quibus veram et proprie dictam Jesu Christi divinitatem adversus arianos aliosque illius aetatis haereticos vindicavit. Sic enim disserit s. Doctor, *De Trin.* lib. VII, num. 9: *Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione*. Haec vero singillatim toto libro fuse prosequitur.

et rursum: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me*, Joan. XIV, 21; *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, ibid. 23. Discipulorum mentem ad divinitatis suae fidem erigit; dat enim eis *potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici*, Luc. X, 19; promittit eis, *os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii ejus*, Luc. XXI, 15; *Quodcumque*, ait iterum, *petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, Joan. XIV, 13; promittit *se* missurum Spiritum veritatis: *Et ego mittam eum ad vos*, Joan. XV, 26; neque ut Moyses aut prophetae mandata annunciat, sed ea in cordibus nostris insculpit, et dat virtutem ea executioni mandandi: *Ego sum vitis vera, vos palmites; manete in me*, ibid. 5 et seqq.; suam pariter omnipotentiam et immensitatem luculenter commendat, dum, Matth. XVIII, 20, eisdem pollicetur: *Ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; et XXVIII, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*; et alibi: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, Joan. XIV, 23.

227. 3. Videndum superest, quonam sensu verba Christi intellexerint Judaei et Christi discipuli. Porro Judaei illa sensu obvio acceperunt, et Christus hunc ipsum sensum confirmavit. Primum autem evincunt Judaeorum querelae, Joan. VI, 42: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de coelo descendi?* Non igitur ut sociniani de dono coelesti Christi verba intellexerunt, quod evincit ipsorum furor, Joan. V. Cum enim pro certo haberent, Christum vocasse Deum patrem *proprium . . . propterea magis quaerebant eum interficere*; ipsum accusarunt blasphemiae, volueruntque lapidare, *quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum*, Joan. X, 33. Si igitur Christus non fuisset vere Deus ac proprius et naturalis Dei Filius debuisset omni modo vel ipsam hujus rei suspicionem e Judaeorum animis evellere, sive ut eorum furorem compesceret, sive ut scandalum amoveret, prout ipsius veracitas et charitas exposcebant; porro Jesus non solum ea verba non emollivit ac temperavit, quibus de sua divinitate opinionem ingesserat Judaeis, sed constanter eamdem sibi vindicavit, quo magis illi exardescebant. Nam, Joan. VIII, 26: *Qui me misit*, inquit, *verax est, et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo . . .* v. 38: *Ego, quae vidi apud Patrem meum, loquor*. Utitur quadruplici argumentorum genere: 1. Joannis Baptistae testimonio, qui eum Filium Dei et e coelo venisse testatus fuerat, Joan. III, 31; 2. ipsius etiam Patris testimonio, cujus haec vox audita est: *Hic est Filius meus dilectus*, Matth. III, 17; 3. ipsa etiam miraculorum voce ad frangendam Judaeorum improbitatem aptissima, Joan. X, 25; 4. Scripturarum auctoritate. Quae quidem argumenta collecta exhibet, Joan. V, 33 et seqq. dicens: *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati . . . ego autem habeo testimonium magis Joanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut faciam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me . . . et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me . . . . scrutamini Scripturas . . . et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*. Hoc autem dixit, cum ipsum vellent Judaei interficere, eo quod *proprium* patrem diceret Deum et traducerent blasphemiae reum, eo quod aequalem se faceret Deo. Christus demum hoc ipsum jurejurando et sanguine confirmavit; interrogatus enim: *Tu*

es Filius Dei? Respondit: *Ego sum*, Marc. XIV, 62; quod dictum ut blasphemiam Judaei acceperunt: *Quid adhuc egemus testibus*, inquiunt, *vos audistis blasphemiam. Omnes clamarunt; reus est mortis* (1); ac coram Pilato hoc crimen ipsi intulerunt: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, Joan. XIX, 7; ea ratione, propter quam paulo ante voluerunt eum lapidare, eo quod dixerat: *Filius Dei sum*. Ergo patet, non solum Christum suam divinitatem proprie dictam praedicasse, sed Judaeos ita eum intellexisse, et Christum eam confirmasse omni argumentorum genere. Quod nisi admittatur, concludi deberet, totam controversiam, ob quam Christum Judaei voluerunt lapidare, interficere, et propter quam accusarunt blasphemiae, et reum ex lege declararunt et morti addixerunt, in eo fuisse, quod se hominem praestantissimum diceret, et Judaei noluerint credere. Consequeretur praeterea, rem totam stetisse in verborum logomachia, quam cum Christus dirimere paucis voculis potuisset totamque solvere, voluerit potius in falsa hac opinione obstinate eos relinquere. Quis ejusmodi absurda in animum inducat suum?

228. Sed de divinitate proprie dicta verba Christi intellexerunt insuper discipuli ejus; quod triplici ex capite eruitur; 1. ex eo quod numquam lenierint aliqua interpretatione, quae Christus tam magnifice de sua divinitate protulit; 2. ex eo quod ejus effata mirifice confirmaverint; 3. ex eorum proposito in scribenda magistri vita. Ad primum enim quod attinet, nonnulla obscure dicta, summa semper diligentia explanant, ex. gr. cum dixit: *Solvite templum hoc; Unde ememus panes? Lazarus amicus noster dormit*, aliaque ejusmodi; jam vero, admissa contorta Unitariorum explicatione, longe obscurius Christus locutus fuisset, cum de praestantia sua sermonem instituit, quam in adductis locis, quae ab Evangelistis explanata sunt; attamen numquam exponunt, quin potius arguunt interdum Judaeos, quod non intellexerint verba Christi, cum de sua loqueretur divinitate. Nam, cum, Joan. VIII, 27, interrogassent Judaei Christum. *Tu quis es?* ac respondisset Christus: *Principium, qui et loquor vobis*, addit: *Non cognoverunt, quia patrem ejus dicebat Deum*. Ex Joanne igitur non errabant Judaei, dum Christi effata accipiebant de eo, quod sibi tribueret Deum Patrem suum naturalem; verum idem adnotat, eos potius errasse, cum Christum non intellexerunt dicentem, patrem suum esse Deum.

229. Hinc est quod Evangelistae singuli exordiantur Evangelium ab aliquo praeclaro Jesu Christi divinitatis testimonio. Matthaeus enim, referens Christi conceptionem, ei applicat verba Isaiae, VII, 14: *Ecce virgo concipiet . . . . . et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*, Matth. I, 23; Marcus vero incipit: *Initium Evangelii J. C. Filii Dei; sicut scriptum est in Isaia propheta: ecce ego mitto angelum meum*, etc. Marc. I, 1; sic Lucas inducit Angelum dicentem Zachariae: *Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse praecedet ante illum* (Dominum Deum) *in spiritu et virtute Eliae*, Luc. I, 16 et 17. Sed prae ceteris S. Joannes, de quo supra dictum est.

230. 4. Sed non minus splendide certatim scriptores reliqui sacri divinitatem Christi praedicant; ex quibus nova lux accedit iis, quae in Evangeliis

(1) Ib. 63 et seq. Matth. XXVI, 65 et 66; Luc. XXII, 70 et 71.

habentur. Paulus enim in Epist. ad Hebr. III, 5 et 6, eum vocat Dominum domus suae, ut illum distinguat a Moyse, qui fidelis famulus tantum in eadem domo fuit; cap. I, *Filius Dei* ab eo dicitur, splendor gloriae et figura substantiae Patris; eum exhibet Deum creatorem omnium, tum ibi tum cap. III, 4: *Qui autem creavit omnia, Deus est;* aeternitatem, immutabilitatem, omnipotentiam ei tribuit: *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula*, Hebr. XIII, 8. *Tu in principio, Domine, terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis*, etc. ibid. I, 10; Rom. VIII, 32, cum vocat Filium Dei *proprium;* Coloss. I, 16: *Omnia*, inquit, *per ipsum, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant;* I. Tim. III, 16 vocatur *Deus manifestatus in carne;* et Rom. IX, 5: *Deus benedictus in secula;* ad Tit. II, 13, eum dicit *magnum Deum;* ad Philipp. II, 6: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*. Sic etiam apostolus Petrus diserte declarat, Christum esse cum Patre summum illum Deum, qui *Jehovah* in Scripturis vocatur; ad illum enim refert illud Ps. XXXIII: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (heb. יְהוָה), inquiens: *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem vivum*, etc. I Pet. II, 3; sic, quod legitur Is. VIII, 13: *Dominum exercituum ipsum sanctificate*, ad Christum refert, scribens, ibid. III, 15: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris* (1). S. Judas egregiis coloribus pingit haereticos, *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et D. N. J. C. negantes* (2); et v. 5 inducit Christum Jesum praeexistentem et supremam exercentem potestatem. *Quoniam Jesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit*. S. Joannes passim id ipsum inculcat, vocans J. C. *vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis, verbum vitae verum Deum*, I Epist. 1, 2; V, 20; in Apocalypsi eum dicit *Alpha et Omega, principium et finem, dominum dominantium, verbum Dei*, I, 8, XIX, 13, 16. Apostolus item Incarnationem vocat *magnum mysterium, mysterium absconditum a seculis in Deo*, etc. Coloss. 1, 26.

231. Quibus praemissis, istud jam exurgit incluctabile argumentum, a quo numquam se poterunt sociniani, unitarii ac rationalistae subducere: Christus se ipsum Filium Dei propriun multiplici ratione dixit et declaravit; ad hanc inculcandam veritatem direxit miracula sua, eamdem sanguine ac morte obsignavit; hanc inculcavit Judaeis et discipulis suis; de vera ac proprie dicta divinitate Christi verba intellexerunt Judaei et discipuli; hanc ei vindicarunt evangelistae, et scriptores omnes inspirati, qui hujus articuli professionem

(1) Κύριον δὲ τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Ubi animadvertendum, conceptis verbis Christum vocari *Dominum Deum*, juxta text. graecum.

(2) V. 4. Τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. Hic rursum patet, Christum vocari pariter Deum in gr. text. *Dominum Deum*.

veluti praecipuum fundamentum constituunt fidei a se praedicatae. Ergo vel in Christo Jesu vera ac proprie dicta divinitas agnoscenda est, vel nuncius remittendus universo christianismo, qui totus illi articulo innititur.

232. Dixi: *Vel nuncius remittendus universo christianismo;* quia tota, qua late patet christiana religio, hunc articulum supponit ac necessario postulat; postulat reconciliatio Dei cum genere humano lapso ac redintegrato; postulat officium mediationis et satisfactionis a Christo praestitae; postulat oeconomia gratiae et sacramentorum, praesertim eucharistiae; postulat ipsa futura e mortuis excitatio (1). Sane dogmata ista omnia sociniani et rationalistae omnino e medio sustulerunt. Omnis spes nostra corruit; corruunt praecipua incitamenta ad Deum colendum ac diligendum. Hinc non immerito ariani, sociniani ac rationalistae passim deistae aut semideistae audiunt, cum vix umbram christianismi reliquerint (2).

233. Urgenda hic esset perpetua ecclesiae traditio unanimis et constans circa hunc ipsum articulum; verum, cum praecipua capita fuse jam prosecuti simus in tract. *De SS. Trinitate* (3), ubi ex publica fidei professione, institutione catechumenorum, fidei nostrae symbolis, ex confessionibus martyrum, ex consensu ipso ac testimonio omnium haereticorum, Judaeorum atque ethnicorum, luculentissima documenta in medium protulimus, ad eum locum nostros auditores remittimus, ne eadem rursus repetamus, cum praesertim haec propositio aliquanto longius excurrerit, quam instituti nostri ratio postulabat (4).

DIFFICULTATES

234. I. Obj. Christus in terris legati Dei munus sustinuit, ac Dei personam proinde retulit; nomine Dei propterea loquebatur; sibi Dei nomen ac dignitatem vindicavit ac Dei proprietates; atque in se officia omnia fidei, spei et charitatis exegit; adorari voluit tamquam Deus longe potiori jure quam Angeli, qui apparebant in V. T., quum multo illustrius ac dignius illis Dei personam repraesentaverit. Hoc vero canone semel constituto, jam sponte sua concidunt, quae a catholicis ad adstruendam Christi divinitatem congeruntur. 2. Etenim, si Angelus in rubo dicere potuit: *Ego sum qui sum*, si potuit affirmare: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*, si cultum supremum sibi deferri jussit, si Dei proprietates sibi vindicare potuit, etsi nec reipsa Deus esset, nec duplex in ipso natura fingenda sit, multo magis Christus, ut-

(1) Cfr. quae diximus in tract. *De Deo creatore*, num. 869 et seqq.

(2) In istorum systemate christiana religio non evasit nisi religio naturalis mythis ac formis biblicis involuta, prout polytheismus atque idololatria ipsa juxta eosdem non fuerunt aut sunt nisi religio naturalis mythis poeticis vestita. Totum propterea discrimen inter religionem christianam et polytheismum atque idololatriam unice pendet a diversitate mythorum atque formarum sive symbolorum, quibus ejusmodi religiones obvolutae sunt.

(3) Num. 203 et seqq.

(4) Cfr. Prud. Maran, *Divinitas D. N. J. C. manifesta in Scripturis et traditione*, lib. I, part. II, cap. I et seqq. Paris. 1746, in quibus collegit et illustravit omnia N. T. testimonia, quibus Christi Domini divinitas adstruitur; tum lib. II, III et IV, in quibus late id ipsum praestat quoad universam traditionem.

pote Dei vicarius et legatus, haec potuit de se praedicare, Judaeis et discipulis credenda proponere et scriptores sacri litteris commendare, etsi ipse revera Deus non esset. Ergo.

235. Resp. *N. A.* Etenim 1. numquam Christus se ut merum Dei legatum aut Dei personam referentem perhibet; sed constanter ut Dei Filium unigenitum ac proprium se exhibet, *a Patre* in hunc mundum missum ad eum illuminandum ac salvandum; nec aliter de ipso scriptores sacri loquuntur. 2. Numquam Scripturae Christum ut Deum *ingenitum* describunt, sed semper ut Filium Dei et Deum de Deo. 3. Tribuunt ei immensitatem, omnipotentiam, aeternitatem ac reliquas divinitatis notas, sed ut a Patre omnia accipientem. 4. Dicunt eum ubique esse; sed cum Patre venientem ad eos, qui ipsum diligunt. 5. Coelum et terram creasse referunt; sed ut Verbum, per quod creata sunt, ante mundi constitutionem fuisse, scilicet apud Patrem. Jam vero, si Dei nomen et proprietates sibi tribuisset Christus ea tantum de causa, quod Dei legatus esset et personam sustineret, absolute debuisset haec sibi vindicare, et numquam se a Deo seu Patre distinguere. Haec sola animadversio totum labefactat systema socinianorum et rationalistarum. Sed addendum, praeterea talia in Scripturis de Christo affirmari, quae nonnisi summa impietate de Patre, quem solum Deum summum adversarii autumant, dici possent, et tamen divinitatem Christi mirifice confirmant; ex. gr. eum descendisse de coelo et ascendisse in coelum, *per eum* omnia creata esse, et eum, cum in forma Dei esset et aequalis Deo, formam servi assumpsisse, et habitu inventum ut hominem. Sed neque in Patrem conveniunt Christi dicta: *Ego in Patre et Pater in me est; Ego et Pater unum sumus: Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem; Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris*, aliaque ejusmodi. Non igitur ut Angelus personam Dei repraesentans, ejusque nomine cum hominibus disserens, ita Christus loqui censendus est, sed ut aequalis Deo ingenito et ab eo genitus (1).

236. Ad 2. seu ad confirmat. Dato etiam, quod adversarii pro certo sumunt, quod alii vehementer negant, numquam Filium, sed semper Angelum Patribus in V. T. apparuisse ac visum fuisse, non tamen inde sequitur, quod ipsi volunt (2).

(1) Cfr. Maran, op. cit. loc. cit. cap. xx, § 2.

(2) Cfr. Hengstenberg, *Christologia V. T.* part. 1, sect. 1, cap. 3, pag. 219 et seqq. etsi non omnes opiniones auctoris admittamus; siquidem ipse, utpote protestans, ex generali thesi, quod per *Angelum Jehova* aut *foederis* semper secunda Trinitatis persona significetur, vult inferre, catholicis deesse fundamentum biblicum ad cultum angelorum adstruendum. Porro hanc sententiam expendemus in tract. *De cultu Sanctorum*.

Ceterum Verbum ipsum Patris apparuisse passim in V. T. patriarchis, communis fuit veterum sententia; ut constat ex synodo 1 Antioch. in epist. ad Paulum Samosaten. apud Coleti, *Conc. collect.* Venet. vol. 1, pag. 866-70; Justino M., *Dial. cum Tryph.* num. 126, edit. Mar. tom *Apol.* 1, num. 63; Auctore *Constit. Apostolic.* lib. v, cap. 20 apud Coteler. tom. 1, pag. 325 et seq.; Irenaeo, *Cont. haeres.* lib. iv, cap. 7, § 4, edit. Mass.; Theophilo, lib. ii, num. 22; *Bibl. Patrum*, edit. Ven. tom. ii; Clem. Alex. *Paedag.* lib. 1, cap. 7, edit. Potteri, tom. 1, pag. 131 et seqq.; Tertullian. *Cont. Prax.* cap. 16, edit. Rig.; Cypriano, *Cont. Judaeos*, lib. ii, capp. 5

Ex dictis enim ingens patet discrimen inter Angelum Dei legatum et Christum, et quidem multiplex. Nusquam enim in his Angelorum ministeriis ulla unio exhibetur angelicae naturae cum divina, nec Angelo proprietates divinae tribuuntur, nec Deo angelicae. Etsi Angelus, cum Dei personam repraesentat, creatorem se dicat coeli et terrae, nusquam coelum et terra a Deo per Angelum creata dicuntur; nuspiam duae naturae in una persona de Angelo praedicantur, prout praedicantur de Christo, quem Scripturae Deum manifestatum in carne, Verbum carnem factum et habitans in nobis, Deum qui sanguine suo ecclesiam acquisivit, aliaque non pauca annunciant, quae in magno Incarnationis mysterio occurrunt. Quaquaversum igitur spectetur socinianorum commentum, patet illud absurdum esse, neque cum biblicis fundamentis, multo minus cum traditionalibus componi posse (1).

257. II. Obj. Causam, ob quam Filii Dei nomen assecutus est Christus, non in ejusdem naturae divinae identitate cum Patris natura assignant Scripturae; sed eam vel ab admirabili ipsius e virginis conceptione, vel ab ejus resurrectione et gloria repetunt. 1. Etenim, Luc. I, 35, alloquens Angelus Mariam, ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* IDEOQUE *et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Prima ergo causa, inquit Crellius, cur Jesus Dei Filius extiterit, ea est, quod non ex viro, sed ex Deo, virtute atque efficacia ipsius interveniente, conceptus ac generatus fuerit, et sic nullum alium praeter Deum habuerit Patrem (2); eo nempe sensu, subdit Kuinoel, quo Adamus quoque, Luc. III, 38, *Filius Dei* dicitur (3). Alteram causam appellationis Filii Dei Christo attributae aperit Apostolus, tum Act. XIII, 33, ubi resurrectionem his verbis praedictam fuisse declarat: *Filius meus es tu; ego hodie genui te;* tum initio Epist. ad Rom. I, 3 et 4, scribens: *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N.* 3. Tertiam etiam causam hujus denominationis attulit Christus, ipse Joan. X, missionem scilicet suam a Patre ac sanctificationem. Cum enim Judaei, pergit Crellius, blasphemiae crimen ipsi objecissent, quod, homo cum esset, Deum se ipsum faceret, ita eis respondit: *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?* Ubi apparet, hanc Christum afferre rationem, ob quam longe majori jure Filium Dei sese appellaverit, quam judi-

et 6; Hilario, *De Trin.* lib. IV, § 31 et seqq. edit. Maur.; Euseb. *Demonst. evang.* lib. V, cap. 10; Cyrill. Jerosolym. *Catech.* XII, num. 13, edit. Touttée; Cyril. Alex. *In Exod.* lib. I, opp. edit. Auberti, tom. I, pag. 262; Joan. Chrysost. *Hom.* LVIII *in Genes.* num. 3; Ambros. *De fide ad Gratianum*, opp. edit. Maur. tom. II, pag. 460; Theodoreto, *In Exod.* interrog. V, opp. edit. Sirmondi, tom. I, pag. 78, aliisque passim usque ad s. Augustinum. Hinc sublatum est praecipuum socinianorum fundamentum.

(1) Cfr. Maran, loc. cit.

(2) *De uno Deo Patre*, lib. I, cap. 31, in *Bibliotheca Fratrum Polonorum*, tom. IV, Irenopoli, 1656.

(3) *Comment. in lib. hist. N. T.* tom. II, in hunc loc.

ces illi olim *dii* fuerint appellati, quod a Patre sanctificatus et in mundum missus fuerit. Profecto, si Christus summus ille Deus fuisset, si fuisset ex essentia Patris ab aeterno genitus, et eam ob causam Dei Filius, qui fieri potuisset, ut id hoc loco reticeret? Nam si ullus erat locus, ubi id esset exprimendum, hic profecto erat (1). Ergo.

238. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si particula *ideoque* usurpata ab Angelo esset ad significandam causam denominationis *Filii Dei*, *C.* si usurpata fuit ad significandam causam, qua sic decebat Filium Dei concipi ac nasci *N.* Dato enim, quod hic particula *ideoque* sit causalis (2), expendendum superest cujusnam rei causam exprimat. Jam vero, cum Angelus jam dixerit Mariae Luc. I, 31 et seqq.: *Ecce concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur* (id est, *erit* (3)); *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*, patet Angelum denunciasse B. V. tempus advenisse implendorum vaticiniorum Isaïae VII et IX, quibus praedicebatur; nasciturum ex Virgine *Emmanuelem*, qui vocandus erat *Admirabilis*, *Deus*, *fortis* etc. seu Messiam Filium Dei, qui propterea ex Virgine nasci debebat. Cum utrumque pro certo teneret Beatissima Virgo Maria, tum se Filium Dei parituram, tum virginem se permansuram, sciscitatur ab Angelo modum, quo haec perficerentur. De hoc modo eam Angelus instruit, per obumbrationem scilicet Spiritus S. id perficiendum declarans; deinde redit ad illud, quod de hoc filio nascituro praemiserat, concludens: *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur* (seu, *erit*) *Filius Dei*; ac si diceret: talis est ortus, qui juxta vaticinia decet Filium Dei. Alioquin, si post magnificum illud exordium deduxisset Angelus totam rationem et causam filiationis divinae ad modum seu rationem, qua perficienda erat conceptio filii nasciturі, Mariam a praeclara illa notione, quam ei injecerat, ad exilem plane ac jejunam revocasset (4).

239. Hinc exploditur quoque Kuinoelii commentum, quo contendit, eodem sensu hic vocari Christum Filium Dei, quo Filius Dei dicitur Adam, Luc. III, 38, utpote immediato Dei interventu procreatus. Diversa enim substrata materia diversum sensum postulat; nec ea militant pro Adamo argumenta, quae pro natura Christi divina faciunt, ut ex dictis constat; perperam igitur verba Lucae, cap. III, huc adducuntur, cum nulla intercedat inter utrumque locum necessitudo seu relatio.

240. Ad 2. *N.* Etenim, ut duobus prioribus textibus insistamus, non ex resurrectione aut sacerdotio colligit Apostolus, Christum esse Filium Dei, et a Deo Patre genitum, neque in hoc sensu applicat ipsi verba Ps. II: *Filius meus*

(1) Crell. loc. cit.

(2) Nam plerique interpretes jure negant hic particulam *ideoque* esse causalem; sed asserunt, eam esse explicativam, prout contextus exigit; quod neque inficiatur Crellius loc. cit. qui ultro dat posse verti graecam vocem διὸ *etiam*.

(3) Est enim hebraismus: *vocabitur* pro *erit*; ut pluribus exemplis ostendit Maldonatus ad hunc loc. cujus tamen auctoritate abutitur Crellius.

(4) Cfr. quae superius diximus de traditione et sensu Judaeorum ex illis oraculis circa divinitatem futuri Messiae. Certe Patres, ut adnotavimus in tract. *De Trin.* ex hac conceptione colligebant adversus Arianos divinitatem Christi. Cfr. Maran, loc. cit. pag. 184 et seqq.

es tu, ego hodie genui te; sed contra potius ex eo, quod Christus sit Filius Dei, colligit, debita ei fuisse resurrectionem et sacerdotium. Sane Apostolus, Heb. I, 5, independenter tum a resurrectione tum a sacerdotio absolute interrogat: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Non igitur ad resurrectionem aut sacerdotium tamquam causam refert Apostolus denominationem Filii Dei, sed ad aeternam generationem; alioquin minime ostendisset, quod sibi ostendendum proposuit, nempe Christi excellentiam super Angelos. Absurdum enim esset asserere, Christum Angelis praestare eo, quod ille excitatus sit a mortuis, Angeli vero non item.

241. Quare in utroque textu disjungi debent priora illa verba: *Filius meus es tu*, a posterioribus: *Ego hodie genui te*, ita ut sensus sit: ideo, quia filius meus es tu aeterna generatione, constitui te Sacerdotem, et postea excitavi te, seu *genui te*, quia resurrectio veluti nova generatio spectari debet ex ipso usu loquendi sacrarum Scripturarum (1).

242. Verba autem ejusdem Apostoli, Rom. I, duplicem sensum admittunt. Referuntur primo ad declarationem sive manifestationem divinae Christi naturae juxta graecam lectionem (2), ut postulare etiam videntur quae sequuntur, in quibus sermo est de natura Christi divina; hoc autem sensu Apostolus significat adductis verbis, ex divina Dei omnipotentia, quae emicuit per effusionem Spiritus Sancti, quae est fructus resurrectionis, declaratam esse divinam Christi naturam. Juxta vero latinam Vulgatam referuntur verba Apostoli ad Christi humanitatem; ac sensus iste tunc exurgeret: Christi humanitas fuit praedestinata, seu decreta fuit a Deo Incarnatio, ut adoptionem filiorum reciperemus, juxta illud, quod idem Apostolus scribit, Gal. IV, 4, ubi hoc ipsum dogma traditur, nempe Filium Dei natum esse ex muliere, ut Spiritum Sanctum in corda nostra diffunderet, ac in loc. cit. Ep. ad Rom. ubi edocemur, Christi humanitatem praedestinatam a Deo esse, ut conjungeretur hypostatice cum Verbo *in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N.*, id est, ad effundendum Spiritum S., quem ex Jesu Christi resurrectione accepimus (3). Neuter autem sensus officit catholicae veritati.

243. Ad 3. *N.* Siquidem Christus missionem ac sanctificationem, id est, destinationem ad munus suum Messianum implendum attulit tantum, ut a se amoveret blasphemiae crimen, sibi a Judaeis impactum, eo quod se Filium Dei appellasset, argumentum instituendo a minori ad majus. Ceterum non solum denominationem Filii Dei, sed rem ipsam sibi vindicat; et aperte declarat, ita se esse natura Deum, ut ipse *in Patre et Pater in se sit;* nec dubium esse potest, quin Dei verus et aeternus sit Filius, qui in Patre et in quo Pater est. Idem perinde sonant verba illa: *Ego in Patre et Pater in me est*, ac *Filius*

(1) Cfr. Matth. XIX, 28, ubi resurrectio vocatur *regeneratio;* Christus vero ab Apostolo, Coloss. I, 18, dicitur *primogenitus ex mortuis*, et Apoc. I, 5, *primogenitus mortuorum*. Cfr. Maran, part. I, cap. 5, § 3.

(2) Etenim Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ apte reddi possunt: *Qui declaratus est et demonstratus Dei Filius*. Cfr. Tirinus, in hunc loc.

(3) Cfr. Maran op. cit. lib. I, part. II, cap. XXI, § 7.

Dei sum. Ut hoc vero probet, provocat Judaeos ad miracula sua. *Si non facio*, inquit, *opera Patris mei, nolite credere mihi; et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre*. Quod cum probe intellexissent Judaei, ideo voluerunt ipsum lapidare. Falsum igitur est, quod assumit Crellius, Christum hic minime declarasse, se nempe esse summum illum Deum, atque ex Patris essentia genitum (1).

244. I. Inst. Apostolus, I. Cor. XV, 24, ea habet, quae cum natura divina in Christo componi nullatenus possunt. Ait enim: *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus..... Cum autem dicat: omnia subjecta sunt ei; sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Ex quibus patet Christum non esse summum Deum; 1. quidem quia regnum suum Patri tradet, quo pacto, inquit Crellius, potestatem suam dux a rege bello alicui gerendo praefectus, bello confecto regi tradet; 2. quia ipse Dei Filius subjicietur aliquando ei, qui subjecerat sibi omnia, nempe Patri. Ergo.

245. Resp. *N. A.* Ad 1. illationem *Neg.* juxta Apostolum traditurum esse Christum potestatem suam Patri ut ducem, qui bello confecto, regi, a quo praefectus bello est, imperium resignat. Christus enim tradet regnum ut Filius Patri, quocum et cum Spiritu Sancto unum prorsus habet imperium. In sensu enim Crellii finem haberet regnum Christi; at Angelus, alloquens B. Virginem, testatur illud fore perpetuum: *Et regni ejus non erit finis*. Quare Apostoli verba: *Donec ponat inimicos*, etc. confirmant et asseverant, quod nonnullis fortasse dubium videri potuisset, Christum nempe regnaturum in medio inimicorum, ac potestates omnes et principatus subacturum. At necesse non fuit asseverare, eum post debellatos hostes regnaturum, cum manifestum sit, multo majorem tunc regni ejus splendorem fore.

246. Ad 2. *D.* Filius subjicietur Patri ut caput ecclesiae cum integro corpore mystico, completo scilicet electorum numero, *C.* in sua persona *N.* Ex futura enim illa subjectione Filii sequitur, eum nondum esse subjectum Patri; ex modo autem, quo nunc dicitur non esse subjectus, colligimus, quonam modo aliquando subjiciendus sit. Jam vero non aliam ob causam Filius nondum subjectus est Patri, quam quod nondum omnia illius membra subjecta sunt. Adhuc enim illud corpus *crescit in augmentum Dei* (Coloss. II, 19); adhuc opus est pastoribus et doctoribus *ad consummationem sanctorum .... in aedificationem corporis Christi* (Ephes. IV, 12).

247. II. Inst. Atqui ex Apostolo, Heb. I, 4 et seqq. quidquid de Christo praedicatur, ei essentiale non est, sed communicatum a Deo summo. Etenim, cum docuisset, Christum, purgatione peccatorum nostrorum per semetipsum facta, consedisse ad dexteram Dei in excelsis, addit: *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius* (hoc est praestantius seu excellentius) *prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* Jam vero 1. quod haeredi-

(1) Cfr. Marin, loc. cit. § 6.

tate obtinetur, a generatione proprie dicta seu divina repeti nequit; quod confirmatur ex verbis sequentibus: *Ego ero illi in Patrem*, etc.; quae verba, cum in futuro proferantur, evincunt, non agi de re ejusmodi, quae Dei summi sit propria; eo magis quod verba illa primo seu litterali sensu de Salomone Christi typo prolata fuerint, ut ex II Reg. VII, 14 aliisque locis constat; Salomon autem nequit typus esse Christi quoad aeternam generationem (1). 2. Nec obest ibidem dici: *Per quem fecit et secula*; ut enim Grotius animadvertit, illud *per quem* tantumdem valet ac *propter quem*, et exprimit causam finalem; recepta enim erat apud veteres rabbinos sententia, Deum mundum condidisse propter Messiam (2). 3. Hinc ibid. Apostolus vocat Christum *splendorem gloriae et figuram* (seu *characterem*) *substantiae Dei*, ut alibi vocavit *imaginem Dei invisibilis*; porro splendor, seu ille in quo refulget Dei gloria, et imago Dei ejusdem numero substantiae cum Deo esse non possunt, alioquin sui ipsius splendor et imago foret (3). Ergo.

248. Resp. *D. A.* In natura humana, *C.* in natura divina *N.*

249. Ad 1. prob. *D.* Sub uno eodemque respectu seu in natura divina, *C.* in natura humana *N.* Ideo autem haereditavit Christus in natura humana, quia ab aeterno genitus est in natura divina. Duplici propterea titulo eidem talis haereditas seu exaltatio competit, tum nempe ob filiationem ejus naturalem, tum ob ea, quae in natura assumpta passus est. Hac ratione omnia optime cohaerent, quae de utraque natura hic Paulus disserit; et componuntur praeterea cum doctrina catholica sive adducta testimonia sive quae de Salomone tamquam Christi typo proferuntur.

250. Ad 2. *N.* Falsam autem esse Grotii interpretationem, ostendunt 1. omnes interpretationis regulae, quas ipse pessumdat, dum contendit, *per quem*, δι οὗ, idem valere ac δι ὅν, *propter quem*; quum tot locis Scriptura testetur, omnia per Christum creata (4), seu per Verbum (5). 2. Idem ostendit contextus. Scribit enim Apostolus ibi de Christo: initio terram fundavit, et opera manuum ejus sunt coeli. Deinde quomodo portare potuisset omnia verbo virtutis suae, qui non omnia creasset? 3. Ipsimet biblici rationalistae ejusmodi commentum rejiciunt (6).

251. Ad 3. *N.* Sed vocat splendorem gloriae et figuram substantiae *Patris*, non *Dei*. Ejusmodi autem voces nihil aliud exprimunt quam nominis *Filii* explicationem. Necesse est enim, ut Filius coaeternus sit et consubstantialis Patri. Utrumque autem his verbis mirifice adstruitur. Nam splendor ejusdem naturae et gloriae est, et aeque aeternus ac lumen, a quo emanat; *figura* vero seu, ut graece dicitur, *character substantiae* Filium ipsum designat, in quo tamquam in sigillo tota Patris impressa est substantia, ita ut sit perfectissima imago Patris. Haec autem ut necessaria sunt ad veri Filii notionem, ita omnino abhorrent a rei creatae natura et conditione (7).

(1) Ita Crellius, op. cit. cap. XXX, pag. 58.

(2) Cfr. in *Crit. sacr.* tom. VIII, in hunc loc.

(3) Crell. op. cit. arg. XXX, pag. 51.

(4) Coloss. I, 16; Apoc. IV, 11.

(5) Joan. I, 3.

(6) Cfr. Rosenmüller, in hunc loc.

(7) Cfr. Maran, loc. cit. cap. 10, § 2.

252. Quod si, Coloss. I, 15, Paulus Christum dicit *imaginem Dei invisibilis*, vocat etiam *primogenitum omnis creaturae*, qualenus nempe, ut subdit, *in ipso condita sunt universa, in coelis et in terra, visibilia et invisibilia . . . omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (v. 16 et seqq.). Quibus verbis evidenter adstruit eamdem in Filio naturam ac in Deo summo; ac propterea patet, nomen Dei usurpari hic ab Apostolo eodem sensu, quo illud tribuit *Patri*, a quo Filius sola generatione distinguitur. Ruit propterea Crellii cavillatio (1).

CAPUT II.

DE NATURA CHRISTI HUMANA

253. Qui humanam Christi naturam impugnarunt, anteriores iis sunt, qui ejusdem divinitatem sunt inficiati (2), indignum Deo esse autumantes, eum adeo sese demittere, ut infirmam et imbecillem naturam nostram sibi copulaverit. Non una tamen eademque ratione veteres illi haeretici in hoc articulo a veritatis tramite deflexerunt. Alii siquidem circa Christi carnem, alii circa animam, alii circa utriusque originem et proprietates gravissimos errores sectati sunt.

254. Qui adversus Christi carnem ejusque originem insurrexerunt, communi *Docetarum* (3) nomine sunt nuncupati. Ex his Docetis alii veritatem ipsam carnis impugnarunt, *phantasma* verae carni substituentes, alii *qualitates* carnis *proprias* tantum ei detraxerunt (4). *Docetismus* communis fuit omnibus gnosticorum familiis, qui pariter errarunt tum circa carnis Christi naturam aut qualitatem, tum circa ejus originem; nam Christo hi tribuebant carnem seu corpus aethereum e sideribus et superioribus mundi substantiis desumptum, quod transiit per Mariam ut aqua per fistulam aut tubum. Itaque solam corporis aut carnis speciem Christo tribuerunt *phantasiadocetae*, *phantasiastae*, *manichaei*, *priscillianistae*; corpus coeleste per Mariam editum commenti sunt Bardesanes, Basilides, Apelles, Pauliciani (5). Recentiori aetate anabaptistae, quakeri, Borignonia, Poiretus aliique fere cum gnosticis insanierunt, nescio quid coeleste Christi corpori tribuentes (6).

255. Alii vero haeretici contrarium iter arripientes, Christo vel solam car-

(1) Reliquae difficultates saltem praecipuae cfr. in tract. *De Trinit.* num. 43 et seqq. tum num. 166 et seqq. ubi de Trinitate Personarum ac de Verbi divinitate egimus. Cfr. etiam Petav. *De Incarnat.* lib. XVI, cap. I-V, necnon *De Trinit.* toto libro III, adversus Crellium.

(2) S. Joannes evangelista hos refellendos praecipue sibi assumpsit in duabus prioribus suis epistolis. S. Irenaeus ejusmodi haeresin repetit a Simone mago; cfr. *Cont. haer.* lib. I, cap. 12 et seq. edit. Mass. Cfr. etiam lib. V, cap. 18.

(3) Sic dicti a δοκέω, *videor*, *speciem praefero*.

(4) Quod jam adnotaverat Tertull. *De resurr. carn.* cap. II: « In ipsa prius carne ejus (Christi) erraverunt; aut nullius veritatis contendentes eam, secundum Marcionem et Basilidem; aut propriae qualitatis, secundum haereses Valentini et Apellem ».

(5) Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. I, cap. 4, ubi omnium istorum haereses describit.

(6) De quibus Cotta ad Gerhardum, *Loc. theol.* tom. III, pag. 406, diss. I, p. 13 et seqq. IV, 17 et seqq.

nem sine anima dederunt, ut arianorum plerique; alii animam, sed ratione seu mente carentem, Verbum assumpsisse autumarunt, ut Apollinaris ejusque asseclae; de quibus merito scribebat s. Augustinus: *Videte absurditatem et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis* (1). Huic alios errores postea apollinaristae adtexuerunt (2).

256. Rursum circa humanam Christi naturam, seu potius circa ejus originem a vero descivere haeretici illi, qui Jesum ex Josepho prognatum fuisse contenderunt; adeoque ceterorum hominum more ex Maria progressum. Sic Cerinthus, Carpocrates, ebionitae eorumque surculi. Hoc commentum e suis cineribus excusserunt ac denuo instaurarunt rationalistae, qui Christi nativitatem ex Virgine pro mytho sacro habent, ex Judaeorum opinionibus quibusdam et prophetarum oraculis aevo sequiore demum composito, aut ex eventis quibusdam miraculorum speciem prae se ferentibus exorto (3).

257. Cum vero permolestum sit singillatim recensitas haereses ac magna ex parte prorsus obsoletas refellere, duo nobis praestituimus generatim vindicanda. Alterum est integritas humanae naturae in Christo, ex quo tamquam generali principio velut totidem corollaria deducemus veritates singulas adversus singulares errores illius integritatem quoquomodo labefactantes; alterum vero est supernaturalis Christi conceptio, ex qua intemerata B. Mariae Virginitas salva consistit. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Verbum Divinum naturam humanam nobis consubstantialem assumpsit integram atque perfectam

258. De fide est haec propositio, ut constat ex concilio Chalcedon. definiente: Christum *perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis abs-*

(1) *Tract.* XLVII, *in Joan.* num. 8. De apollinaristarum haeresi agit s. Epiph. *Haer.* LXXVII, edit. Petav. ubi refert, § 23, ipsos dedisse quidem Christo ψυχήν, nempe *animam*, non autem νοῦν, id est *mentem*.

(2) Ex Epiphanio autem et ex Theodoreto aliisque veteribus Petavius, lib. I, cap. 6, apollinaristarum errores prosequitur. Attamen Nat. Alex. *Hist. Eccl.* saec. IV, cap. 3, art. 14, si demas praecipuum errorem, quo Verbum in Christo vices animae supplevisse effutiebat Apollinaris, reliquos errores non tam ipsius Apollinaris quam ejus discipulorum fuisse, contendit.

(3) Ita Wegscheider, § 123. Sic pariter De Wette, *De relig. et Theolog.* pag. 186, qui quod dicitur de Christo concepto de Spiritu S. et nato ex Virgine Maria, exponit velut formulam symbolicam, qua significetur, religionem ex Deo esse, atque ut symbolum characteris divini Christi Jesu; cum ratio refugiat ab admittendo omnium hominum perfectissimo, nempe Jesu, realiter producto ope supernaturalis conceptionis diversae a communi ceterorum hominum; Georgio Paulusio, *Comment. in* IV *Evang.* non aliud est, Christum ex Maria matre Virgine conceptum atque natum virtute Spiritus Sancti, quam quod haec, nempe Maria, se ad notitiam praebuerit juveni, qui se mentitus sit esse Angelum, promissione accepta, futurum ut pariat Messiam. Sic ceteri passim rationalistae protestantes in Germania. Cfr. Alber, op. cit. tom. I prol. § 14.

que peccato (1); tum etiam ex symbolo Athanas. in quo Christus dicitur *perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens*. Quem quidem fidei articulum ita evincimus.

259. Divinae litterae non modo saepissime Christum *hominem* et *filium hominis* appellant, verum etiam ea perpetuo ac constantissime eidem tribuunt, quae veritatem humanae naturae procul dubio demonstrant. Etenim de illius loquuntur conceptione, nativitate, genealogia, deque ejus universa mortalis vitae ratione, morte, sepultura atque resurrectione. Quae omnia profecto veri hominis sunt. Neque alia est sanctorum patrum sententia; qui non solum veritatem catholicam confirmant adversus quoslibet ejusdem impugnatores, sed praeterea argumenta congerunt ad eam constabiliendam. Quam 1. quidem ex eo probant, quod si alterutra pars humanitatis in Christo deesset, non esset verus homo; 2. ex fine Incarnationis Deique consilio, qui voluit, ut homo per hominem redimeretur; 3. ex eo, quod mediator esse Christus debuit, adeoque verus homo verusque Deus, et utrique consubstantialis; 4. denique ex eo, quod totum et integrum hominem liberari oportuit, unde et assumi. Horum testimonia copiose profert et evolvit Petavius (2). Huc accedunt symbola, fidei professiones et conciliorum definitiones, quas vel exhibuimus, vel commemorabimus, cum adversus nestorianos atque eutychianos unam Christi personam in duplici natura ostendemus. In eo igitur sacrae Litterae cum divina traditione consentiunt, quod Verbum Divinum humanam naturam assumpserit nobis consubstantialem, integram atque perfectam.

Ex his vero ita generatim constitutis sequitur

COROLLARIUM I.

Christi caro est vera, solida et expressa, non autem ficta neque umbratilis neque apparens aut phantastica

260. Nisi enim ejusmodi carnem Verbum assumpsisset, Christus nullo modo vel esse vel dici posset consubstantialis nobis. Sane carnis suae veritatem luculentissima plane ratione comprobavit ipse Christus, cum discipulis suis dicebat, Luc. XXIV, 39: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Jam vero, ut recte argumentabatur s. Augustinus: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et, si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus* (3). Eidem jam praeiverant in hoc argumento Irenaeus, *Contra haereses* lib. III, cap. XVIII et XX, Tertullianus *De carne Christi* cap. V, Epiphanius *Haeres. LXXVII*, n. 25 et alibi, aliique patres.

DIFFICULTATES

261. Obj. Scripturae excludunt veritatem carnis Christi; etenim 1. affirmant, non habuisse Christum nisi hominis et carnis similitudinem; ait enim Apostolus Phil. II, 7: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in si-*

(1) Actione V, in *Collect. conc.* Hard. tom. II, col. 455.

(2) *De Incarn.* l. V, c. II §7 et seqq.

(3) *Lib.* LXXXIII *Quaestion.* quaest. XIV.

militudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; et Rom. VIII, 3: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*. Quod 2. congruit cum iis, quae idem Apostolus scribit I Cor. XV, 50: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, ideoque neque Christi caro. 3. Quare sibi semper constans, II Cor. V, 16, scribit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus;* resipiscens scilicet ab absurdo illo errore, in quem rudis adhuc in apostolatu inciderat, veram credendo Christi carnem. 4. Sane Verbum, licet in V. T. vere apparuerit carne indutum, veram tamen carnem minime prae se ferebat, sicut nec Angeli, etsi omnia officia praestiterint hominis propria. 5. Demum ratio ipsa clamat, minime decere, carnem immundam, corruptibilem, mortalem, plurimisque imperfectionibus scatentem divinae naturae consociari. Ergo.

262. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Referunt, Christum non habuisse nisi hominis et carnis similitudinem *speciei*, *C. naturae*, *N.* Apostolus igitur in priori textu nil aliud significat, nisi Christum speciem prae se tulisse ceterorum hominum, neque in aliqua re quoad naturam a ceteris absimilem extitisse, prout contextus postulat, alioquin nec Deus fuisset. In altero textu similitudo refertur ad *carnem peccati*, non autem ad carnem absolute; adeo ut juxta Apostolum Christus habuerit quidem carnem corruptibilem et passibilem, cujusmodi nostra est, immaculatam tamen et a quavis peccati labe immunem.

263. Ad 2. *D.* Prout caro et sanguis spiritui seu sanctitati opponuntur, *C.* prout in se seu natura sua sunt *N.* Quod contextus pariter ostendit.

264. Ad 3. *D.* Id est, affectu carnali ratione ejusdem communis originis ex Abraham *C.* secus *N.* Alioquin non solum Christus, sed omnes homines vera carne destituti essent (1).

265. Ad 4. *D.* Vere apparuit per apparitionem symbolicam, *C.* per apparitionem realem quoad externam speciem *N.* Nondum enim Verbum carnem nostram induerat. Atque hoc in hypothesi quod Verbum reipsa semper apparuerit.

266. Eadem ratione intelligenda sunt quae de apparitionibus Angelorum sub humana specie in Scripturis referuntur; quod Scripturae ipsae identidem monent, ut Tob. XII, 18. De Christo vero non solum nullibi hoc declaratur, sed contrarium prorsus ubique Scripturae testantur.

267. Ad 5. *N.* Nihil enim Deo immundum est in creaturis suis atque indecens, pro effusa sua in homines charitate (2).

COROLLARIUM II.

Christi corpus non e coelo delapsum est, neque ex coelesti substantia consistens, sed est humanum atque ex Virgine matre susceptum

268. Etenim veteribus patriarchis promissus est Messias, nempe Jesus, nasciturus ex eorum semine, Abraham scilicet, Isaac et Jacob, postea vero David, ut suo loco ostendimus. Divinas porro has promissiones omnino fuisse completas, evangelica testatur historia. Lucae siquidem I, 31, dixit Angelus Mariae: *Ecce concipies in utero et pa-*

(1) Cfr. Estius in hunc loc.

(2) Cfr. Tertull. et s. Epiph. locis citatis.

ries filium ; Matthaeus vero, I, 1, et seqq. cum texuisset Christi genealogiam ab Abraham usque ad Joseph et Mariam, addidit v. 25 : *Peperit* (Maria) *Filium suum primogenitum*. Quare Apostolus, Rom. I, 3. de Christo loquens, ait : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem ;* atque alibi, Gal. IV, 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (1). Neque enim ex muliere *factus* dici potuisset, nisi corpus ex ea suscepisset, prout patres omnes adversus valentinianos disputabant.

269. Atque hinc refelluntur pariter anabaptistae illi ceterique protestantes superius recensiti, affirmantes, vel Christi corpus coeleste quid prae se tulisse, vel coeleste saltem quidpiam eidem adjectum. Certe neque divinae Litterae, neque patres coeleste hujusmodi corpus commemorant, imo vero rejiciunt ; neque ad Incarnationis sive mysterium sive oeconomiam coelesti eo corpore opus erat, ut liberiores ejusmodi homines evulgarunt, nova semper paradoxa ex sectae suae principio sibi cudentes.

DIFFICULTATES

270. Obj. Quanam carne aut corpore Christus praeditus esset, ipsemet non semel declarat ; ac 1 : dum, Joan. III, 6, affirmat : *Quod natum est ex carne, caro est ; quod natum est ex spiritu, spiritus est ;* repugnat autem dicere, Christum carnem fuisse ; 2. dum praeterea clarius subdit, ib. 13 : *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo*. Jam vero ipse non descendit de coelo in natura divina, quae ubique est ; ergo in natura assumpta, quae pariter in coelum conscendit ; de coelo igitur ipsam detulit. Hinc, Joan. VI, 41, loquens de corpore seu carne sua sub panis metaphora, ait : *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi*. 3. Accurate propterea Angelus apud Matth. I, 20, loquens de B. V. non dixit : Quod *ex ea* natum est, sed : *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est ;* quia Verbum non ex B. Virginis carne sibi carnem adscivit, sed secum e coelo detulit. 4. Nusquam propterea Christus B. Virginem matrem compellat, sed eam constanter *mulierem* vocat. 5. Imo se prorsus nullam terrenam matrem agnoscere velle professus est, Matth. XII, 47 ; ubi cum quidam ei dixisset : *Ecce mater tua et fratres tui*, respondit illico Christus : *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* 6. Ex his mutuatus est Apostolus doctrinam suam, dum I Cor. XV, 47, diserte scribit de Christo, quem cum Adam confert : *Primus homo de terra terrenus ; secundus homo de coelo coelestis*. Ergo.

271. Resp. ad 1. *D.* Id est, generatione carnali quatenus opponitur regenerationi spirituali, quae confertur per baptisma, de quo hic loquitur Christus, *C.* hic agitur de carne quatenus opposita est spiritui seu substantiae spirituali *N.* (2).

272. Ad 2. *D.* Ratione personae divinae et quidem *effectu*, *C.* ratione naturae assumptae ac motu locali *N.* Eodem sensu accipienda sunt quae sub panis metaphora de se protulit Christus (3).

273. Ad 3. *D. In ea* et *ex ea*, ut aperte dicitur Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum*, et Galat. IV, 4 : *Factum ex muliere*, *C. in ea*, in sensu adversariorum, *N.*

(1) Cfr. apud Petav. *De Incarn.* lib. v, cap. II.

(2) Cfr. Maldonat. in hunc locum.

(3) Ibid.

274. Ad 4. *D.* 1. Prudenti oeconomia cui suppleverunt evangelistae sexcentis in locis, *Matrem Jesu* B. Virginem appellantes, *C.* ad insinuandum vere Mariam matrem suam non esse *N.* 2. Vocat *mulierem* in sensu exclusivo *matris*, *N.* in sensu inclusivo *C.* Sane, ceteris omissis, Joan. XIX, 26, legitur : *Cum vidisset Jesus matrem . . . dicit matri suae : mulier ecce filius tuus* (1).

275. Ad 5. *D.* Praeferendo spiritualem cognationem cognationi carnali, *C.* excludendo carnalem *N.* Patet ex contextu.

276. Ad 6. *D. Coelestis* ratione personae divinae, vel admirabilis ipsius conceptionis, vel coelestis plane vitae, quam Christus duxit, *C.* ratione materiae seu substantiae, qua coagmentatum fuit ipsius corpus *N.* Apostolus porro ibid. opponit hominem coelestem terreno seu terrena cupienti atque sapienti; fideles propterea hortatur, ut, quoniam portaverunt imaginem terreni, coelestis jam exinde imaginem portare studeant, spiritualia nempe et coelestia cogitantes et consectantes (2).

COROLLARIUM III.

Animam eamque rationis participem Verbum divinum assumpsit

227. Profecto, si anima ad humanae naturae essentiam spectat, eam Verbum divinum assumpsisse necesse est. Etenim *non est homo perfectus*, ut arguebat s. Augustinus, *si vel anima carni, vel animae ipsi mens humana defuerit* (3). Propterea juxta veteres patres 1. Verbum corpus mediante anima assumpsit; 2. id omne assumpsit, quod reparavit ac sanavit; sanavit autem animam praecipue. Accedit, certissimum in Sacris Litteris, patribus ac fidei symbolis catholicum dogma esse, Christum post mortem ad inferos descendisse; jam vero nec corpore descendit, quod in sepulchro depositum est; neque divinitate, quae utpote immensa ubique est; neque figurate de Christo id dictum esse admitti potest, cum ex communi patrum et ecclesiae sententia de vero et proprie dicto descensu ad inferos symbolum apostolicum loquatur; restat igitur, ut anima Christum ab inferos descendisse credamus post mortem suam; quae quidem mors sine anima nec est nec intelligi potest (4).

278. Verum non minus evidens argumentum Sacrae Litterae suppeditant, ad animam et quidem rationalem in Christo adstruendam, in attributis seu proprietatibus et affectionibus, quas eidem adscribunt. Etenim Christi humanam voluntatem et operationem commemorant, ut inferius ostendemus, animae tristitiam, pavorem, metum, atque doloris sensum, quae sane omnia evidenter ostendunt Dei Verbum, praeter humanum corpus, humanam sibi animam eamque rationis participem copulasse.

DIFFICULTATES

279. Obj. Tum Scriptura tum recta

(1) Ἰησοῦς ἰδὼν τὴν μητέρα . . . λέγει τῇ μητρὶ αὐτοῦ. Γύναι, ἴδου ὁ υἱός σου.

(2) Cfr. Bernard. a Piconio in hunc locum.

(3) *Ep.* CLXXXVII *ad Dard.* num. 4, edit. Maur.

(4) Protestantes passim, quos secuti sunt jansenistae, articulum de Christi descensu ad inferos, quoad animam scilicet, expungunt; et contra sensum totius antiquitatis et ecclesiae universae de corporis Christi sepultura articulum illum intelligunt; etsi huic violentae expositioni obstet quod legitur I Petr. III, 19 et 20. Cfr. Petav. lib. XIII, capp. 15 et seqq.

ratio animam, eamque rationis participem, Christum minime habuisse suadent. 1. Aperte enim Joan. I, 14, dicitur *Et Verbum caro factum est.* Solam igitur carnem Verbum assumpsit; 2. idque merito; divinitas enim tum animae tum mentis vices gerere poterat; eo vel maxime, quod *duo perfecta*, ut aiebat Apollinaris, *non capiebat Christus*, id est, duas naturas perfectas in una persona, 4. alioquin quaternitas in Deo pro Trinitate constitueretur. His accedit necessario in mente humana carnales esse cogitationes carnisque prudentiam, quam reprobat Apostolus, Rom. VIII, 6. Ergo.

280. *Resp. N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, homo, *C.* caro sine anima *N.* Sic enim patres unanimiter, juxta perpetuum ecclesiae sensum, citata verba exposuerunt, qui plures praeterea ejusmodi locutionis rationes afferunt (1). Sane voces *carnis* et *animae* passim in Scripturis occurrunt ad totum hominem significandum, ex. gr. Gen. VI, 12: *Omnis caro corruperat viam suam.*

281. Ad 2. *D.* Ad vivendum et intelligendum, *Tr.* ad perfectum seu verum hominem constituendum *N.*

282. Ad 3. *D.* Perfecta sub ratione personae, *C.* naturarum *N.* ut inferius ostendemus.

283. Ad 4. *N.* Neque enim humana natura peculiarem quamdam constituit personam; sed eam Verbum adscivit in unitate personae divinae, ut idoneo loco exponemus et vindicabimus. Sic negamus, necessario inesse in humana mente carnales cogitationes, ut patet ex statu Adae innocentis; in Christo vero mens regebatur a Verbi persona (2). Idem dicatur de prudentia carnali, ne diutius in ejusmodi nugis refellendis immoremur.

COROLLARIUM IV.

Christus humanis affectibus, doloribus et corruptioni obnoxius fuit ex naturae suae conditione

284. Prior pars ad fidem spectat; altera vero, qua nempe dicitur *ex naturae suae conditione*, est tantum fidei proxima, ut ex dicendis patebit. Ad priorem itaque partem quod attinet, de ejus veritate omnia fidei nostrae symbola nos dubitare non sinunt quae nobis exhibent Christum passum ac mortuum, ideoque ante suam resurrectionem passibilem ac corruptibilem. Sane hujus rei non obscura argumenta Sacrae Litterae suppeditant, quae Christum testantur identidem esurientem, sitientem, flentem, ex itinere fatigatum, et prae doloris acerbitate clamantem. Quare, Is. LIII, idem Christus appellatur *vir dolorum et sciens infirmitatem, vulneratus, attritus*, atque haec quoad corpus. Quoad animam vero idipsum Christus expressit, cum Luc. XXII, 42, ait: *Pater, si vis, transfer a me calicem istum;* ubi idem evangelista subdit: *Apparuit illi Angelus de coelo confortans eum, et factus in agonia prolixius orabat;* quae locum non haberent, nisi doloris magnitudinem atque acerbitatem persensisset. Quod etiam ostenditur ex Matth. XXVI, 38, cum Christus, discipulos suos alloquens, dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* hinc reipsa *coepit pavere et taedere*, ut legitur Marc. XIV, 33.

285. De hoc fidei articulo nemo unquam catholicorum dubitavit; sed utrum ejusmodi affectiones Christus ex naturae conditione, seu insita naturae

(1) Cfr. Petav. lib. IV, cap. 2.

(2) Vid. Petav. lib. V, cap. 13, § 6.

humanae infirmitate passus fuerit, an vero non naturaliter, sed extraordinaria quadam lege, ac velut per miraculum eas sit expertus, magna olim extitit contentio inter Philippum abbatem Bonae Spei et Joannem quemdam monachum ac praepositum, aetate S. Bernardi. Partem negantem suscepit Philippus, qui acrius contendit, Christi carnem, quia sine peccato concepta fuerat, nullis poenis obstrictam et obligatam fuisse, adeoque nihil naturaliter pati potuisse. Contra vero Joannes praepositus Christum asserebat necessitate naturali, sed sponte tamen adscita et voluntaria omnia pertulisse. Haec posterior sententia communis evasit, cui adstipulantur satis aperte Scripturae atque ecclesiae patres. Apostolus enim, Hebr. II, 17, affirmat, Christum debuisse *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari;* tum cap. IV, 15: *Non enim*, inquit, *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Quae inepte ad solatium nostrum dicta viderentur, si quae Christus passus est, non humano more modoque suscepisset; quod magis confirmatur ex argumento, quod idem Apostolus instituit, ibid. V, 2 et seqq. Patres vero in eo pariter omnes consentiunt (1); etsi fateantur, quod et a nobis constitutum est, haec omnia in Christi humanitate ad nutum divinitatis tamquam moderatricis, administrata esse ac propterea non invite, sed libere nostri causa Christum passiones pertulisse (2).

(1) Cfr. apud Petav. lib. x, cap. 4, § 5 et seqq.

(2) Coronidis gratia hic juvat accuratam animadversionem afferre, quam Boëtius circa finem libri, *De duabus naturis et una persona Christi*, instituit, quaeque non modice confert tum ad eutychianorum commenta diluenda, tum ad hanc quaestionem, quam excutimus, explanandam. Etenim, si dicatur Christus carnem habuisse, qualem Adam habuit post peccatum, inferebant eutychiani, peccato eam obnoxiam fuisse; sin autem ejusmodi carnem suscepit, qualis ante lapsum illius extitit, concludebant, eam neque pati neque mori potuisse. Boëtius igitur tres status distinguit in Adam, duos extremos et alterum inter illos medium. *Primus status est* « ante delictum, in quo tametsi ab eo mors aberat, nec adhuc ullo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi ». *Secundus status est*, in quem mutari potuisset, si firmiter in Dei praeceptis manere voluisset. Tunc enim id addendum foret, ut non modo non peccaret, aut peccare vellet, sed ne posset quidem aut peccare aut velle delinquere ». *Tertius status* « est post delictum, in quo mors illum necessario subsecuta est, et peccatum ipsum voluntasque peccati ». Horum statuum extremi duo sunt secundus et tertius; etenim in secundo, qui tantum fuit possibilis, adfuisset *impeccantia*, in tertio *peccatum et peccandi voluntas*. Primus autem est medius inter hos extremos, in quo adfuit *possibilitas peccandi et moriendi*. Ex iis igitur statibus singulis proprium quiddam Christum assumpsisse Boëtius observat. « Nam quod mortale corpus assumpsit, ut mortem a genere humano fugaret, in eo statu ponendum est, qui post Adae praevaricationem poenaliter inflictus est *(ac tertius est ex recensitis)*. Quod vero non fuit in eo voluntas ulla peccati, ex eo sumptum est statu, qui esse potuisset, nisi voluntatem insidiantis fraudibus applicasset *(qui secundus est status)* ». Restat igitur medius status, qui primus est positus, « ille scilicet, qui eo tempore fuit, cum nec mors

DIFFICULTATES

286. I. Obj. Patres passim docent Christum nullo umquam dolore aut tristitia affectum fuisse ; 1. tum quia passiones affectionesque ejusmodi Deo indignas censebant tum quia imperfectionem redolere atque arguere arbitrabantur. 2. Insignis inter cetera est locus Hilarii Pictaviensis, *De Trinit.* lib. X, n. 23, ubi aperte negat, quidpiam poenae aut doloris Christi corpus pertulisse, scribens : *In quo* (Christo) *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent ; ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans . . . passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur ; sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exeruit ; dum et poenali ministerio illa desaevit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit.* Qui praeterea addit, Christum nullum metum aut mortis dolorem sensisse ; in quo conveniunt etiam aliqui patres, qui negant Christum de impendente morte contristatum fuisse, aut perturbatum. Ergo.

287. Resp. Ad 1. *D.* In natura divina, *C.* in humana, *subd.* passiones, quae ex humanae naturae vitio, vel ex prava hominis voluntate procedunt, *C.* quae sunt innoxiae congenitaeque ipsi naturae *N.* Illas porro a Christo patres excludunt, non istas, quae Deo indignae censeri amplius non debent, ex quo humanam naturam induere Deus dignatus est, nullamque arguunt imperfectionem (1).

288. Ad 2. *D.* Et s. Hilarius, prout patet ex ipsius scopo, loquitur de divina Christi natura, *C.* de humana, *subd.* quasi vere ab ea omnem dolorem et infirmitatem abigat, *N.* ut ostendat Christi passiones et infirmitates voluntarias esse ejusque imperio dominioque subjectas ac temperatas *C.* Etenim ipse, *De Trin.* lib. I, n. 32, declarat, se librum decimum instituisse adversus haereticos, *qui, divinae professionis naturaeque immemores, ad impietatis suae argumentum dispensationis gesta dictaque tenuerunt*, seu, ut planius loquitur, lib. XI, n. 5, qui, *quae ab eo* (Christo) *secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturae divinae infirmi-*

aderat, et adesse poterat delinquendi voluntas. In hoc igitur Adam talis fuit, ut manducaret ac biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, et alia, quae ei non defecerunt (*alias* defuerunt), humana quidem, sed concessa, et quae nullam poenam mortis inferrent ; quae omnia habuisse Christum, dubium non est. Nam et manducavit, et bibit, et humani corporis officio functus est. Neque enim tanta indigentia in Adam fuisse credenda est, ut, nisi manducasset, vivere non potuisset. Sed, si ex omni quidem ligno escam sumeret, semper vivere potuisset, hisque (*forte* sicque) non mori. Idcirco paradisi fructibus indigentiam explebat. Quam indigentiam fuisse in Christo, nullus ignorat, sed potestate, non necessitate ».

(1) Humanarum enim passionum duae sunt species : quaedam naturales sunt, et vitii expertes ; ut sunt fames, sitis, lassitudo ac ceterae ejusmodi. Aliae macula quadam turpitudinis infectae, ut est concupiscentiae morbus, et quae proprie passionum vocabulo censentur. His caruit Christus ; ast priores, quamdiu vixit, habuit, ut patres omnes graeci atque latini unanimiter tradunt. Cfr. Petav. lib. VIII et IX.

tatem mentiuntur. Hos igitur refellit, ostendens passiones non ad divinam, sed ad humanam Christi naturam esse referendas. Ostendit praeterea s. Hilarius, Christi infirmitates a nostris quadruplici ratione differre. Nostrae enim sunt coactae, promeritae, in nos dominantur, nec quidquam in nobis est, quod non eis subjaceat; contra vero ex s. Hilario infirmitates in Christo fuerunt voluntariae, propter nos susceptae, ad nutum voluntatis illius temperatae, nec naturam divinam, sed solum humanam attingentes (1).

289. Eodem sensu tum ipse tum reliqui patres negant, aut ullum metum aut mortis dolorem Christum sensisse aut de morte contristatum; de metu enim, dolore aut perturbatione loquuntur, quae in Christum dominarentur, aut invitum nolentemque possent commovere (2).

290. II. Obj. Saltem intelligi nequit, quomodo ejusmodi affectiones tristitiae et taedii quoad animam, doloris quoad corpus, naturales potuerint in Christo esse, cujus anima visione beatifica ob unionem hypostaticam fruebatur, ex qua profluebat gaudium, quo vel ipsius corpus perfundebatur. Tristitia enim aut dolor cum gaudio beatifico simul naturali ratione componi nequeunt, ut ex comprehensoribus patet, qui miseri esse non possunt. Si igitur Christus tum in anima tum in corpore passus est, non conditione naturae sed praeter naturam, seu per miraculum talia ipsum fuisse perpessum dicendum est. Ergo.

291. Resp. Cum Verbum humanam naturam una cum insita naturali infirmitate in eum finem assumpserit, ut pateretur ac moreretur, ita attemperavit gaudium, quod ex visione beatifica profluebat, ut non impedierit affectiones proprias humanae naturae. Utrumque enim certum est, tum Christi animam visione beatifica ab ejus creatione donatam esse, tum humanis affectionibus metus, tristitiae ac taedii obnoxiam fuisse, ut et Christi corpus doloribus affectum ex naturali infirmitate et conditione; reliquum proinde est, ut haec componantur per divinam dispensationem juxta exposita (3). Nec omittendum, gaudium et tristitiam, cum ex diverso objecto et motivo oriuntur, prout in Christo oriebantur, optime inter se consistere posse in uno eodemque individuo (4). Neque propterea obstat exemplum comprehensorum; etenim ipsis in termino constitutis nulla subesse potest tristitiae aut doloris affectio; Christus autem simul fuit viator. Sed de his consulantur scholastici (5).

(1) Cfr. P. Coustant, in praefatione ad novam a se curatam ejusdem s. Patris editionem anno 1693, ad n. 160, seu tota § 3, ubi nihil desiderandum reliquit circa germanam s. Hilarii mentem.

(2) Cfr. Petav. lib. x, cap. 5, § 9 et seqq.

(3) Cfr. Estius in III *Sent.* dist. XV, § 4. s. Augustinus, *De Peccat. merit.* lib. II, cap. 24, n. 48: « Quia in eo (Christo), inquit, erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Quae tamen mors in carne peccati inobedientiae debita redditur, in similitudine autem carnis peccati obedientiae voluntate suscepta est ». Cfr. etiam *Catech. rom.* part. I, art. 4, n. 2.

(4) Cfr. Suarez, in III part. s. Thom. disp. 38, sect. 2.

(5) Cfr. Platelius S. J. *Synopsis totius cursus theolog.* part. 4, n. 288 et seqq.

PROPOSITIO II.

Christus Dominus de Spiritu Sancto conceptus est, atque ex Maria Virgine salva ipsius integritate natus

292. Propositio haec est de fide, ut omnia fidei nostrae symbola expresse tradunt; sic in symbolo Apostolico de Christo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Eadem habent symbola Nicaenum et Constantinopolitanum.

293. Cum vero admirabilem ac supernaturalem hanc Christi Jesu conceptionem ac nativitatem duae hostium classes adoriantur, judaei scilicet et haeretici, et ex recentioribus rationalistae nonnullique biblici protestantes, ut praemisimus, ad eos propterea refellendos ejus generis argumentis uti debemus, quibus omnes simul perstringamus. Ex utroque propterea Foedere, atque ex constanti antiquiorum judaeorum et christianorum traditione, tum ex critica et exegesi argumenta promere cogimur ad rem nostram conficiendam.

294. Celebre est vaticinium, quod Isaïas VII, 14. edidit, cum Achaz rex Juda propositum sibi a propheta signum rejecit, de imminente liberatione Jerusalem a Rasin rege Syriae, et Phacee rege Israël, eam obsidentibus, dicens: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuël*. Ejusmodi autem oraculum de Virgine concipiente et pariente, Spiritus Sancti operante virtute, interpretatus est s. Matthaeus, I, 22 et seqq. ubi, cum retulisset supernaturalem B. Virginis conceptionem, addidit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuël, quod est interpretatum Nobiscum Deus*. Ad hoc ipsum oraculum manifeste alludit Angelus B. Virginem alloquens, Luc. I, 31; iisdem enim pene verbis utitur, quibus Isaïas. Exploratum igitur est apud christianos, tum vaticinium Isaïae ad Christi conceptionem ac nativitatem pertinere, tum de virgine matre esse intelligendum.

295. Sed praeterea adversus Judaeos et rationalistas patet, Matthaeum ac Lucam secutos esse verum Isaïae sensum ac receptam veteris synagogae interpretationem, 1. ex eo quod messiana explicatio jam coaevis prophetae ipsius fuerit communis; etenim Michaeae, V, 2, 3, tum illud *parturiens pariet*, tum *egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*, supponunt jam Messiae nativitatem absque viri opera. Michaeas enim ostendit divinam Messiae originem, Isaïas vero mirum ejus nativitatis modum. 2. Patet ex ipso Isaïae proposito, vocibus et contextu; propositum enim Isaïae erat, dare seu exhibere signum certum et extraordinarium promissae liberationis; exhibet autem ejusmodi signum in extraordinaria Messiae nativitate ex virgine, quae hoc ipso quod futura esset ex progenie David, ostendebat hanc non fore per illam obsidionem extirpandam. Utitur autem voce הָעַלְמָה cum articulo, indicans se loqui de re jam cognita dicens: *Ecce virgo* ILLA *concipiet et pariet;* promittit vocandum hujus virginis filium nomine symbolico *Nobiscum Deus*. Capite vero seq. nempe VIII, 8, exhibet propheta hunc Emmanuelem Dominum totius Judaeae; nam loquens de Assyriorum rege ait: *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuël*. Demum, cap. IX, 6 et seqq. de hoc ipso virginis parvulo agens, Deum simul et hominem eum exhibet, ejus regni na-

turam ac perpetuitatem magnifice describit, prout rursum idipsum praestat cap. XI, 1 et seqq. 3. Patet ex consensu veteris synagogae et antiquiorum rabbinorum, apud quos viguit antiqua traditio de supernaturali Messiae conceptione ac nativitate ex virgine (1); cujus vestigium occurrit, Joan. VII, 27; et sane nulla erat ratio evangelistis referendi Jesu Christi nativitatem ex virgine, nisi receptum apud omnes tunc temporis fuisset, talem fore ortum promissi Messiae. 4. Demum constat ex hujus traditionis propagatione apud omnes gentes, inter quas pervulgatum erat, praeter naturae legem e virgine matre nasciturum, qui salutem, justitiam, sapientiam laturus esset in terras, hanc opinionem accommodantes suis heroïbus ac magistris; ut apud Graecos, qui Minervam e capite Jovis, Plutonem e phantasmate Apollinis oppressa matre finxerunt atque e partu virginis editum; apud Romanos, qui auctores urbis et gentis suae Ilia virgine et Marte genitos arbitrati sunt (2); apud Indos, qui Budham principem religionis indicae e latere virginis procreatum esse censuerunt (3), quae opinio adhuc apud ipsos perseverat (4); apud Sinenses, qui id ipsum tradunt de

(1) Cfr. De Voisin, *Observat. in prooem. Pugionis fidei*, pag. 154, edit. Carpzov. item Raym. Martini, III part. dist. III, cap. 7; Cl. Drach, *Troisième lettre*, première partie, *Prophétie d' Isaïe* VII, 14, chap. 1 et 2, Romae 1833.

(2) Apud s. Hieronym. *Adv. Jovinian.* lib. I, n. 42, edit. Vallars. opp. tom. II.

(3) Ibid.

(4) Quae s. Hieronymus de Indorum Budha scribit, confirmantur a recentioribus, qui regiones illas perlustrando nuper inviserunt. Ita Paulinus a s. Bartholomaeo Malabariae missionarius, in *Systemate brahmanico liturgico, mythologico, civili*, etc. Romae 1791, Brahmanum doctrinam de Budha exponens, pag. 158, haec habet: « Natus est ex Maya, quae imaginationis dea est, ex mente, ex voluntate *Virgine*, et sine complexu carnali, quemadmodum filii Pandavarum apud Brahmanes per auriculam ex sole, ope orationis magicae, et sine complexu virili nati fuisse scribuntur in libro Sambhavam et yndhishtria ». Cfr. etiam Klaproth, *Asiat., Magaz.* seu *Repertorium Asiaticum*, part. III, Weimar 1802, *Von der Incarnation des Vischnou*, hoc est, *De incarnatione Vischnou*. De Zoroastre refert Tavernier, *Voyage en Perse*, tom. I, pag. 480: *Que sa mère eut une vision par un ange, et que, s'étant éveillée, elle connut qu'elle était grosse.* De Simone Mago, in *Hist. apostolica*, lib. I. de Petro, cap. I, apud Fabric. *Cod. apocryph. N. T.* tom. II, pag. 416, legitur eum dixisse: « Ego *(Simon)* sum prima virtus, qui semper et sine initio sum. Ingressus autem sum in uterum Rachel *(matris meae)*, *natus sum* ex ea ut homo, ut ab hominibus videri possim ». Huc spectant quae de υἱοῖς Θεῶν, *de filiis deorum* παρθενογένεσι seu *Virgine procreatis* referuntur apud Graecos antiquiores, de quibus Wetstein, N. T. tom. I, pag. 236, et Godl. Paulus, *Commentar. uber das N. T.* seu *Commentarius in N. T.* tom. I, pag. 136, egerunt. Quae de Aegyptiis referuntur, qui, teste Pomponio Mela, *De situ Orbis*, lib. I, cap. II, § 7, autumarunt Apim divinitus et coelesti igne conceptum, cfr. Tzschucke, *Comment. exeget.* vol. III, part. I, pag. 300, qui ex Herodoto, III, 28, et Aeliano, *Hist. anim.* lib. XI, 10, haec affert: Γίνεται ἐκ βοὸς, εἰς ἣν οὐράνιον σέλας ἐμπεσὸν σποράς αἴτιόν ἐστι . . ., id est, *Nascitur autem* (Apis) *ex vacca, in quam incidens coelestis fulgor conceptionis causa fit praedicto* (Apidi). Addantur Ovidius, *Metamorph.* lib. XV, v. 760 et seqq. et Varro, apud s. Augustinum, *De civ. Dei* lib. III, cap. 4, dicens: « Utile est civitati-

Foebi, seu Xaca (1). Verum hoc propius attingunt, quae poëtae de virgine Justitia seu Astraea cecinerunt (2), quo spectant quae de reversura aurea aetate Virgilius, *Ecloga IV*, v. 4 et seqq. scribit, ubi plura cum Isaïae vaticinio, quae de nascituro puero in suo carmine exornat, plane congruunt (3).

296. Cum igitur vaticinii Isaïae natura et adjuncta omnia manifestent, ibi de Messia e virgine matre nascituro praedictionem contineri; cum huic congruant prophetae ceteri, qui id tamquam notum assumunt, sensus ac traditio veteris synagogae, traditio apud omnes fere populos vulgata ac indidem orta; cum evangelistae juxta receptum hunc sensum oraculum exponant et adimpletum in Christo Jesu ejusque Virgine matre perhibeant; cum denique universa christiana ecclesia id constanter tenuerit ac professa sit, sequitur, tum argumenta interna tum argumenta externa adversus Judaeos ac rationalistas evincere quod proposuimus, nempe Christum Dominum de Spiritu Sancto fuisse conceptum, atque ex Maria Virgine, salva ipsius integritate, natum esse.

DIFFICULTATES

297. I. Obj. 1. Etymologia ipsa vocis עַלְמָה quae est a עָלַם (*alam*), *latitavit*, *absconditum* aut *occultum fuit*, ostendit, ejusdem conceptum neque fixum esse pro virginitate, neque pro matrimonio inito vel non inito, sed conditionem indicare aetatis. 2. Quare Judaei virginem illibatam indicant per בְּתוּלָה (*bethulah*); inverosimile porro est, duo omnino synonyma illos habuisse. Imo בְּתוּלָה (*bethulah*) Joël I,

bus, ut viri fortes se ex diis genitos esse credant, ut animus humanus, divinae stirpis fiduciam gerens, res magnas adgrediendas praesumat audacius ». Aegyptii statuebant, ut refert Plutarchus in *Numa*, cap. 4: Ὡς γυναικὶ μὲν οὐκ ἀδύνατον, πνεῦμα πλησιάσαι θεοῦ, καὶ τινας ἐνεγκεῖν ἀρχὰς γενέσεως, id est, « Nihil prohibere, quin halitus (*seu spiritus*) Dei appulsus mulieri principia infundat generationis ». Haec quidem aliaque ejusmodi ostendunt pervulgatam ex primigenia traditione persuasionem de supernaturali quadam ex Virgine conceptione et nativitate apud ipsos ethnicos; qui tamen ea abusi sunt, dum eam transtulerunt ad deos atque heroas suos, ut in plerisque aliis. Hoc interim lucri habemus: 1. has easdem mythologicas ethnicorum narrationes testes esse antiquioris veritatis originariae; 2. neque incredibilem, neque absurdum ejusmodi conceptum paganos ipsos existimasse, ut adversus eos arguebant jam antiquissimi patres; cfr. Origen. *Adv. Celsum*, lib. 1, n. 37; Clem. Alex. *Strom.* lib. 1, pag. 321, 24. edit. Sylburgii; Justin. *Dial. cum Triph.* n. 67, etc. 3. Colligitur, perperam rationalistas, ut Wegscheider, Bauer, praesertim vero Ammon in *Comment. de primordiorum J. C. fontibus, incrementis et nexu cum religione christiana*, in opp. noviss. Gottiog. 1803, undique corradere ex profana antiquitate ejusmodi dicta aut facta, ut inferant conceptionem ex Virgine referendam esse ad mythos paganorum. Neque omittendum, non pauca ex ejusmodi quae circumferuntur factis, si ad amussim revocarentur, sensum prae se ferre longe diversum ab eo, quem eisdem rationalistae affingunt.

(1) Cfr. Langlet, Not. ad versionem gallicam *Thunbergiani itinerarii*, tom. II. pag. 162.

(2) Vid. *Arati Foenom.* v. 96 et seqq. Manilius, *Astronomic.* v. 545 et seqq.

(3) Analogiam inter Isaïae vaticinium et Virgilianum carmen ostendit Rosenmüller, in hunc locum, ad finem tamen suum, de quo postea.

8, significat virginem juvenem. 3. Praeterea usus loquendi excludit sensum virginis illibatae a voce עַלְמָה *alma*. Nam, etsi hic sensus non necessario excludatur Ps. LXVII, 26, et Cant. VI, 7, excluditur tamen Prov. XXX, 19. 4. Hinc etiam veteres interpretes vocem עַלְמָה pro juvene seu puella verterunt, ut Aquila, Theodotion, Symmachus, qui habent Νεᾶνις, *juvenis*. Ergo.

298. Resp. ad 1. Esto, etymologiam per se non postulare conceptum *virginis*, cum non denotet nisi *puellam nubilem*, attamen, ut usuvenit, conceptus τοῦ *virgo illibata* et τοῦ *puella nondum nupta* apud Hebraeos confundebantur et promiscue usurpabantur; hinc optime s. Hieronymus adnotat cohaerenter ad usum simul et etymologiam, עַלְמָה (*alma*) non *virginem* generatim significare, sed *virginem in primis juventutis annis* (1).

299. Ad 2. *D.* Virginem illibatam tum juvenem tum aetate provectam, *C.* juvenem tantum, seu *non nuptam N.* Hinc negamus voces istas synonymas esse. Incertum porro est, utrum Joël loc. cit. loquatur de juvene nupta, quae mortem mariti, an vero de virgine sponsa, quae amissum sponsum deploret (2); quod verisimilius ex contextu videtur.

300. Ad 3. *N.* Etenim in universa Sacra Scriptura עַלְמָה (*alma*) non occurrit nisi sexies, Gen. XXIV, 43; Exod. II, 8; Ps. LXVII, 26; Cant. I, 3; VI, 7; Prov. XXX, 19, et numquam de nupta, sed ubique de innupta femina sumitur. In quinque autem primis locis citatis certissime sumi de *virgine* tori nescia, illa inspicienti patebit. Quod vero attinet ad illum Prov. XXX, 19, si quis eum attente perpendat, deprehendet profecto, ibi vocem illam usurpari ad denotandam virginem, quae talis saltem est ex communi fama, judicio et opinione aliorum (3); quod satis est ad concludendum usum loquendi apud Judaeos receptum invicte ostendere, עַלְמָה (*alma*) de *puella innupta* seu *virgine nubili* usurpari. Hinc in arabico et syriaco numquam citata loca de nupta

(1) *Alma*, scribit in hunc locum, *non solum* PUELLA vel VIRGO sed cum ἐπιτάσει, VIRGO ABSCONDITA *dicitur et* secreta, *quae numquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit*. Melius comparatur arab. غُلْمٌ (alima *adolescere*, hinc غُلَامٌ *(olamon)* et foem. غُلَامَةٌ *(olamaton)*, *adolescens*, perinde ac syriac. ܥܠܡ *(etalam) adolescere*, hinc ܥܠܡܬܐ *(alimto) Virgo*.

(2) Cfr. Hengstenberg, *Christologia V. T.* part. 1, sect. 2, *De vaticiniis messianis Isaïae*, pag. 70 et seqq.

(3) « Locus agit, *scribit Rosenmüller*, de furtivis et clandestinis amoribus, et congressu, quem vir cum *puella innupta* exercet, nemine praeter amantes conscio, dum interea illa pro virgine habetur, et quid vitii sibi haereat, ita dissimulat, ut ab aliis id frustra pervestigetur ». Hinc patet, hanc adolescentem ab auctore Proverbiorum distingui a *foemina adultera*, אִשָּׁה מְנָאֶפֶת de qua versu proximo loquitur, secus ac contendunt Hebraei.

accipiuntur. Denique advertit S. Hieronymus : *Lingua quoque punica proprie virgo* עַלְמָה (*halma*) *appellatur* (1).

301. Ad 4. *D.* Judaizantes et ad eripiendum christianis hoc vaticinium, *C.* vetustiores *N.* Etenim LXX Interpretes verterunt *πάρθενος, virgo*.

302. II. Obj. Natura et adjuncta Isaïae vaticinii excludunt messianam interpretationem. 1. Scopus enim erat praebere incredulo Achaz signum aliquod, quod cito adimpleretur, et quasi ob oculos poneretur. Ast promissio mirabilis Messiae nativitatis, multa post secula subsecuturae, talis esse non poterat. Nam quomodo potuisset Achaz promissionem multo serius adimplendam pro vadimonio aut pignore antecedentis eventus accipere ? Nec refert, Messiae promissionem consolatoriam esse potuisse universo populo, seu saltem hominibus piis, qui certi sic reddebantur, nec domum Achaz, nec rempublicam destructum iri ; 2. etenim in oratione prophetae agitur de signo dando, non autem de promissione in memoriam revocanda ; 3. hinc si de Messia ibi sermo esset, domui David nihil novi dictum fuisset, adeoque neque prophetia neque signum haberetur, sed merum motivum oratorium ; 4. praeterea motivum ejusmodi consolatorium in omnes aeque circumstantias quadrat et nimis generale est. Messias nasci poterat ex familia Achaz, etsi respublica in suo praesenti statu non conservaretur, nec Achaz in throno permaneret. Sane babylonicum exilium contigit, attamen Messias natus est. Isaïas igitur in tali hypothesi falsa ac sophistica argumentandi ratione usus esset. Ergo.

303. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Confirmando majoris et illustrioris beneficii promissione levioris beneficii promissum, *C.* exhibendo novum signum, quod praecedat promissi beneficii adimplementum *N.* Conjuratis enim Syriae atque Israëlis regibus, genti Davidicae regiae totique regno judaico interitus tum imminere videbatur ; hinc anxios demissosque animos vates erigit spe nascituri divini illius magnoque desiderio expectati Principis, quem virgo modo prodigioso esset paritura (2). Ejusmodi porro nativitatem omnium ore pervulga-

(1) Loc. cit.

(2) Hic autem approbare nequeo, quod Rosenmüller autumat, Isaïam censuisse hunc partum imminere ; nam nihil est, quod talem mentem prophetae fuisse innuat ; neque id supponi posse, evidens est. Fatente enim Rosenmüllero, hoc vaticinium ad Messiam refertur ; jam vero non poterat Isaïam latere vaticinium Jacobi, quo Messiae adventus futurus praedicitur, cum Judaeorum respublica jamjam ad interitum vergeret ; ut omittam, cum divina inspiratione prophetae hanc hypothesim componi non posse. Porro animadvertendum est, hunc auctorem ubique se rationalistam, imo et judaizantem exhibere, etiam in iis, in quibus videtur veram sententiam tueri, prout accidit in argumento, in quo versamur. Etenim non solum detrahit prophetae inspirationi, ut diximus, sed praeterea suae insistens praeconceptae sententiae de Messia Rege potentissimo, pro Judaeorum more Messiae adventum nihil aliud intelligit quam regnum florentissimum, aetatem auream prae se ferens a poëtis graecis et latinis passim celebratam. Neque senior factus sententiam mutavit, sed quasi ipsum poenituerit eorum, quae hoc loc. scripserat de Isaïae vaticinio, in novissima, quam dedit, scholiorum suorum editione anno 1835, in medium profert, quin ea improbet, verba Luzzati professoris in collegio rabbinico patavino, quae ita se habent : « Quant au mot עַלְמָה, je le prends comme dans la cantique 7, 8, une maîtresse, une favorite du roi, qui n'était pas

tam, ut ostendimus, exhibet propheta ut *argumentum*, *pignus* et *arrhabonem* certitudinis promissae imminentis liberationis, non vero tamquam *portentum* mox subsecuturum ac praecedens ipsam liberationem, quod nuspiam ex contextu apparet. Hinc nihil refert, sive citius sive serius prodigiosa Messiae nativitas eventura esset; satis enim erat ad Isaïae scopum, non interituram nec subversum penitus iri Judaicam rempublicam ante ejusmodi eventum, quo propheta Judaeorum animos afflictos moerentesque recrearet.

304. Ad 2. *N.* Etenim, ut modo dictum est, agebatur de signo rememorativo, ut vocant, expectationis, quae secum ferebat promissam liberationem, quodque tum in memoriam revocabatur, tum nova promissione confirmabatur.

305. Ad 3. *Tr.* et *Neg.* sequelam: etenim, etsi nihil novi intulerit Isaïas, nihilo secius in ejus oraculo tum prophetia tum signum continebatur. Vaticinium est quaelibet divinitus communicata notitia de rebus futuris; nec interest, utrum hae jam notae fuerint nec ne; alioquin concideretm agna vaticiniorum, praesertim messianorum pars; signum vero est quidquid inservit ad hoc, ut fides de futuro eventu firmetur. Utroque hoc modo inserviebat promissio Messiae, non tantum in memoriam revocata, sed denuo divina confirmata auctoritate, saltem quoad illam populi partem, quae prophetam ut divinum legatum habebat, ad quam praecipue hic sermo dirigitur.

306. Ad 4. *D.* Ita tamen ut idoneum esset ad populi animum erigendum a proxima, quam metuebat, internecione, *C.* secus *N.* Utique hoc motivum generale esse debuit; et sicut propheta versiculis praecedentibus, priusquam annunciaret liberationem a praesenti discrimine, occurrit timori de totali excidio, secum ducens filium suum Jasub, etsi non excluderet temporariam incolarum abductionem, ita et animos parat ad nuncium (v. 15 et 16) de proxima ex instanti periculo liberatione, ostendendo inanem esse de pleno interitu timorem; populus namque, cui quamvis remote futurus liberator divinus est mittendus, etiam in praesentiarum singulari Dei providentia perfruitur (1).

307. III. Obj. Conceptus biblicus *signi* אוֹת *(oth)*, alias usitatus, in messiana ejusmodi explicatione omnino negligitur; 1. nam juxta eam אוֹת, *signum*, referretur ad eventum futurum; at ex usu loquendi אוֹת, *signum*, est eventus praedictus, qui, cum adimpletus jam fuerit, certitudinem praebet de adimplendo futuro eventu posteriori. 2. Insuper splendido adeo nuncio minime conveniunt descriptiones infortunii, quas subdit Isaïas, v. 17 et seqq. 3. Praeterea narratio cap. VIII adeo similis est ei, quae exhibetur cap. VII, 14 et seqq. ut vix credas hic messianam explicatio-

sa femme légitime. Je ne sais pas quels caractères distinguaient une עַלְמָה d' une פִילֶגֶשׁ *(a pellice)*. Cependant ce texte de la cantique suppose, sans doute, que ce fussent deux conditions différentes » (Rosenmüller, *Schol. in V. T.* tom. II, part. 8). Debuisset saltem perpendere ea, quae de hac voce egregie adnotaverat in illustratione nostri vaticinii Isaïae Cl. Drach, in citata epistola ad suos contribules, data anno 1833. Haec admonere voluimus, quia hic auctor eo periculosior est, quod ad incautos fallendos hic illic boni aliquid interseruerit, ut sic facilius venenum propinet. Ceterum nec latum unguem a rationalistarum placitis discessit, ut ex iis, quae suis locis refutavimus, planum fit.

(1) Cfr. Hengstenberg, loc. cit. pag. 79.

nem convenire posse, si ea illic locum non habeat (non haberi autem cap. VIII omnes fatentur); nomen enim et nativitas pueri in utroque capite pro signo exhibentur liberationis a dominio Syrorum; porro, si cap. VIII, mater illa pueri et puer ipse non sunt nisi uxor prophetae et ejus filius eadem profecto in cap. VII adhibenda est explicatio. 4. Et sane, de filio prophetae VII, et seqq. sermonem esse, declarat aperte ipse Isaïas, VIII, 17, dicens: *Ecce ego et* PUERI MEI, *quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israël*. 5. Concludendum est igitur, *signum* de quo Isaïas loquitur, VII, 14, esse filium nasciturum ex uxore, quam ipse propheta virginem post priorem jam defunctam duxerat (1); vel si magis placet cum antiquis Hebraeis, esse filium Achaz, nempe Ezechiam; vel denique dicendum, loqui Isaïam de ideali aut possibili aliqua virgine, quae concepto semine paritura esset filium, qui lacte et melle esset nutriendus, cum campi inculti jacerent. Non alia propterea ratione ad Christum referri potest ejusmodi oraculum, nisi quatenus instans eventus, quem proxime propheta respexit, fuit signum et figura Christi nasciturі; quapropter, Deo dirigente, iis utitur phrasibus, loquens de puero mox nascituro, quae multo rectius Christo conveniunt, quam puero illi, in quem nonnisi sensu valde improprio quadrabant (2). Ergo.

308. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* ut patet ex Exod. III, 12, et Is. XXXVII, 30, ubi missio Moysis divina et excidium regno judaico frustra ab Assyriis intentatum ut signa adstruuntur, quae utrumque eventum subsequerentur. Huc accedit, quod eventus futurus, cui innititur certitudo eventus imminentis, hoc in loco, apud populum omnino firmissimus esset (quod tamen non accidit Exod. III, 2; Is. XXXVII, 30), ita ut aeque valeret pro testimonio appellatio ad illum futurum eventum ac ad signum coram patratum (3).

309. Ad 2. *D.* Nisi ita ferret consueta prophetarum agendi ratio, *Tr.* secus *N.* Cfr. porro Is. capp. IV, IX, XI, tum Mich. capp. II, V, etc., ubi inveniuntur hujusmodi abruptae transitiones.

310. Ad 3. *N.* Imo contrarium potius evincit haec ipsa prophetae agendi ratio; inverisimile enim est, prophetam dedisse duobus filiis suis nomina symbolica, quae ad idem prorsus objectum referrentur. Ast in expositione de Messia recte res procedit, si signo invisibili et in promissis tantum posito visibile aliquod ac praesens adjungeretur. Item narratio ipsa discrimen ostendit, quod intercedit inter ea quae in utroque capite proponuntur: etenim cap. VII mater pueri vocatur עַלְמָה (*alma*), quo nomine puella innupta seu virgo tantum designari potest, ut patet ex dictis; cap. vero VIII vocatur נְבִיאָה (*neviah*) *prophetissa*, seu *uxor* prophetae; cap. VII

(1) Nempe Gesenius hic supponit, priorem prophetae uxorem mortuam esse, alianique virginem ipsi fuisse desponsatam.

(2) Haec posterior expositio jamdiu excogitata fuerat ab anonymo, de quo s. Hieronymus scribit: « Quidam de nostris Isaïam prophetam duos filios habuisse contendit, Jasub et Emmanuel; et Emmanuel de prophetissa uxore ejus esse generatum, in typum Domini Salvatoris ». *Comment. in Is.* lib. III, edit. Vallars. part. 3. Eamdem postea adoptarunt Grotius, Richardus Simon, Clericus, aliique.

(3) Ut observat ipse Rosenmüller in hunc loc. saepe majoris et illustrioris beneficii promissione confirmatur levioris beneficii promissum, ut tunc *signum* idem valet ac *argumentum*, ut patet ex citatis exemplis.

nuncium tantum pueri nascituri habetur, ast cap. VIII fusior narratio cum apparatu testium, instrumenti, etc.; cap. VII mater nomen dat filio (1), cap. autem VIII, 3, nomen imponit pater. Constat igitur in cap. VIII confirmari promissum factum capite praecedenti, novo signo a priori omnino diverso (2).

311. Ad 4. *N.* Alioquin filius prophetae, nempe Emmanuel, dominus Judaeae foret (VIII, 8); quod falsum esse, nemo non videt. Itaque filii Isaïae, dati in signum, sunt *Schear-Jaschub*, vatis filius natu major, VII, 3, et natu minor, *Maherschalal-Chaschbaz*, VIII, 3, ob ipsorum symbolica nomina; nomen enim prioris filii convertendas esse denotat populi reliquias; posterioris filii vero nomine, brevi liberandam esse Judaeam a duobus regibus hostilibus, indicatur (3).

312. Ad 5. *N.* Nam, ut ex tota orationis serie patet, praesertim vero v. 11, agitur in nostro vaticinio de signo, ex quo manifeste cognosci possit, adesse Dei numen seu protectionem, ratumque haberi vatis effatum, ut infra XXXVIII, 7; Exod. III, 12; IV Reg. XIX, 29, ideoque exhiberi rem inauditam, mirandam, insolitam, uti vis latinae vocis *signi* postulat, quae de *portento*, *ac prodigio* intelligi debet (4). Jam vero quodnam *signum*, *portentum*, *prodigium* esset in eo, quod virgo suscepto semine aliarum more conciperet et pareret (5)? Addatur, hebraicam lectio-

(1) Etenim in hebraico textu legitur וְקָרְאָת שְׁמוֹ, *et vocabit* (Virgo) *nomen ejus*, etc.; nomina revera filiis imponere solebant matres, veluti Eva, Genes. IV, 1, 25; filiae Loth, Genes. XIX, 37 et seqq.; Lia, Gen. XXIX, 32; XXX, 18 et seq.; Rachel, cap. cit. 24.

(2) Cfr. Rosenmüller, ad cap. 8, v. 1.

(3) Hinc s. Hieronymus, *Commentar.* pag. 125, edit. Vallars. modo cit. ita sensum prophetae enarrat: « Expectabo Dominum meum, et non solum ego, sed et pueri, quos mihi dedit Dominus, alii videlicet prophetae et filii prophetarum, qui non ex voluntate carnis et sanguinis, sed ex Deo nati sunt. De quibus et Apostolus (Galat. IV, 19) loquebatur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Isti autem pueri, id est, prophetae in signa dati sunt et in portenta Israeli, juxta illud, quod in Ezechiele (XXIV, 24) legimus: *Et erit Ezechiel vobis in signum*. In Zacharia quoque (III, 9) sancti viri prophetarumque discipuli τερατοσκόποι, id est, portentorum signorumque spectatores appellantur, eo quod semper prophetae in signum praecesserint futurorum ».

(4) Dixerat enim Isaïas regi Achaz v. 11. « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra; » seu, ut exponit s. Hieronymus: « Vis, inquit (*propheta*), ut scindatur terra, et grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terrae esse dicuntur; an ut aperiantur coeli »? loc. cit. pag. 106. Cfr. Drach *Epist.* cit. pag. 84 et seqq.

(5) « Nisi enim partum miraculosum intelligas, *apposite scribit Rosenmüller*, quem Deus ipse signum non interiturae domus Davidicae constituat, nemo dixerit, quid illud sit in hac prophetia, quod sustineat locum et vicem signi. Par est credere, prophetam hac voce eodem sensu uti, quo eam usurpaverat V, 11, ubi manifeste sumitur de signo aliquo *prodigiali*, non memoriali, sive verbali, vel qualicumque alio. Quis vero *signi prodigialis* aut miraculi loco haberet, si ex congressu viri evadit gravida, quae virgo esse desiit »? Hoc ipsum argumentum jam urgebant patres antiquissimi adversus Hebraeos, ut Tertullianus, *Adv. Judaeos*, cap. IX: « Si-

nem ejusmodi expositionem excludere, cum habeat : *Ecce virgo illa concipiens et pariens* (1), quae indicant virginem illibata virginitate *concipientem* et *parientem* ; gratuitam praeterea esse adversariorum suppositionem de nova uxore a propheta ducta vel ducenda ; nec filium prophetae exhiberi posse ut dominum regionis Palestinae, cujusmodi esse perhibetur Emmanuel, ut ex superius dictis liquet ; nec alii cuipiam posse aptari, quae de eodem puero praedicantur cap. IX, 5, 6 ; XI, et seqq. ipsa rei natura clamat.

315. Ex his praeterea plane concidunt omnes illae violentae et gratuitae expositiones, quibus interpretes antimessiani mire se torquent ad inveniendum istud signum seu prodigium, sive in uxore prophetae, sive in uxore Achaz, sive in virgine ideali et possibili. Omittam, uxorem Achaz virginem non fuisse, et Ezechiam novem annos natum fuisse, cum hoc vaticinium editum est (2). Alia vero ejusmodi, quae liberiores hi homines commenti sunt, quae nec referre vacat, omnino ipsis vaticinii verbis excluduntur.

314. Concidit pariter aliorum expositio de sensu figurato seu duplici sensu, proximo et remoto ; haec enim expositio ferme nata est ex apparentibus difficultatibus messianae explicationi inhaerentibus, et ex impotentia eas solvendi, atque ex desiderio simul tuendi s. Matthaei auctoritatem. Porro, si vere et proprie adimpletum est Isaïae oraculum tempore Achaz, nulla jam ratio habetur supponendi in textu illo sublimiorem relationem ad Messiam ; imo omnis similitudo penitus evanescit. Nam verba in utraque explicatione diverso omnino sensu sumuntur. In expositione enim messiana עַלְמָה est virgo, quae post conceptum talis permanet ; in non messiana vero aliqua est, quae virgo quondam fuit, sed talis postea esse desiit ; in priori Emmanuel est *Nobiscum Deus*, in posteriori est *divinum auxilium*. Si ergo hanc adversariorum expositionis partem tenemus, nullam amplius habemus ad tempus Messiae applicationem ; sensus verborum est prorsus exhaustus ; nec nota remanet aliqua, quae ad Messiam quoquomodo alludat (3).

gnum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstrosa fuisset, signum non videretur . . . Nihil signi videri possit res quotidiana, juvenculae scilicet praegnatus et partus ». Cfr. Irenaeus, *Contra Haeres.* lib. III, cap. 21, n. 6 ; Justinus, *Dial. cum Tryph.* num. 84 ; Theodoretus, *Comment.* in hunc loc. Hieronymus, loc. cit. Quare interpretes non-messiani, qui עַלְמָה de *nupta foemina* exponunt, hic haerent, nec, quomodo se se expediant, facile inveniunt.

(1) Nam in hebraico textu duobus participiis dicitur הָרָה וְיֹלֶדֶת, *concipiens et pariens* ; seu, ut exponit R. David Kimchi : *Ipsa* (virgo) *est actualiter concipiens et actualiter pariens* ; vel etiam, ut addit R. Salomon Jarchi : *Participium praesens* הָרָה *habet significationem futuram : Ipsa erit actu concipiens*. Cfr. Drach, pag. 89 et seq.

(2) Cfr. Rosenmüller, loc. cit.

(3) Cfr. Hengstenberg loc. cit. pag. 90 et seqq. ubi refellit etiam Isenbiehl, qui quamvis catholicus eam interpretationem vaticinii hujus amplexus est, quam postea Gesenius suam fecit, nec veritus est de filio prophetae hoc oraculum exponere ; a Pio VI propterea damnatus, ab episcopo suo in carcerem conjectus est, donec ad saniora consilia se recipiens, suam expositionem retractavit.

315. IV. Obj. Non defuerunt, recentiore potissimum aetate, qui conceptionem illam miraculosam testimoniis satis idoneis confirmari negarent, rationibus usi criticis, exegeticis et historicis. Monuerunt 1. critici homines, priora duo capita Evangelii secundum Matthaeum in archetypo hujus Evangelii aramaeo, Epiphanio teste (1), sicut in Tatiani Evangelio nondum adfuisse; itemque Marcionis Evangelium, quod, si non e Lucae Evangelio decerptum, tamen ejusdem simillimum fuisse videtur, nec initium nec finem hujus habuisse (2). 2. Verum gravioribus premuntur difficultatibus *exegeticis*, oriundis praecipue ex dissensu manifesto ipsius argumenti, maximeque duplicis genealogiae Josephi, qui tamen pater Jesu fuisse negatur, a Matthaeo, I, 1 et seqq. et Luca, III, 23 et seqq. exhibitae. 3. *Accedit*, quod neque Jesus unquam, neque Joannes, qui quidem certissimam hujus rei notitiam afferre poterat (Joan. XIX, 27), neque alius apostolus ad originem illam miraculosam provocavit. 4. Imo Maria Josephum patrem Jesu appellavit (Luc. II, 48); quod Jesus quoque data opportunitate minime denegavit (Joan. VII, 27); et Paulus, ipsum ἐκ σπέρματος Δαβὶδ (*ex semine David*) genitum esse, diserte affirmat, Rom. I, 3; II Tim. II, 8, collat. Rom. IX, 5; Gal. IV, 4, 29. *Adde* 5, quod fratres ejus ipsi fidem non habuerunt (Joan. VII, 3 et seqq.), et, comite ipsa matre, Jesum aliquando, tamquam mentis non compotem, prehendendum curarunt (Marc. III, 21, 31). *Deinde* 6. effatis Angeli, ad vulgarem Judaeorum opinionem accommodatis, de Jesu thronum Davidis occupaturo (Luc. I, 32), neque Jesu ipsius consilium (Luc. XVII, 20, 21; Joan. XVIII, 36), neque eventus unquam respondit. 7. Quod si vero *historiae* luce narrationes istae collustratae fuerint, dubitare non licet, quin jam prioribus seculis plures extiterint, qui, praeeuntibus Cerintho, Carpocrate, ebionitis aliisque, Jesum Josephi filium fuisse contenderent, et quin apud omnes fere populos incultiores (quippe qui humana miscendo divinis, primordia civitatum vel religionum augustiora facere, ideoque fata resque gestas virorum insignium ad numinis auxilium referre conati sint), similia de incarnationibus deorum et de hominibus a natura quadam coelesti progenitis reperiantur commenta. Ita Wegscheider (3), qui inde concludit, tum Christi primordia inter mythos esse referenda, tum universalem illam sententiam, quae apud omnes fere populos viguit, qualis et in Christo Jesu reperitur, eminentiore quodam sensu esse accipiendam, de eo quod Deo probatum eoque dignum est, et ab eo repetimus auctore ac moderatore sapientissimo.

316. Resp. *D. A.* Non defuerunt recentiore aetate, qui protestantismi progressus sequuti eo impietatis delapsi sunt, ut omnem respuentes divinarum Scripturarum inspirationem et veritatem, quique omnibus reclamantibus hermeneuticae, exegeseos et historiae principiis, pro lubito religionem omnem sus deque verterint, *C.* qui omnem adhuc pudorem non amiserint, et in rationalismum nondum deflexerint *N.* Haec enim pessima rationalismi labes protestantismi principio accepta referri debet, cui reservatum erat christianam religionem e fundamentis convellere, si tamen fieri posset, causam suam protegente Deo.

317. Ad 1. *D.* Monuerunt pseudo

(1) *Haeres.* XXX.

(2) S. Iren. *Adv. haeres.* l. 1, c. 29.

(3) § 123.

-critici ex systemate arbitrario, imo et falso, *C.* veri nominis critici et aliquo fundamento innixi *N.* Nam 1. arbitrarium est systema de quodam communi archetypo Evangelio aramaeo seu syro-chaldaico, ex quo suas narrationes hauserint tres evangelistae Matthaeus, Marcus et Lucas, a nonnullis divinando excogitatum sine ullo vel levi fundamento, atque ab ipsis non paucis recentioribus biblicis repudiatum (1). 2. S. Epiphanius loquitur loc. cit. de Evangelio hebraico s. Matthaei, quo utebantur ebionitae, ab ipsis conciso et depravato (2); sane ibid. n. 14, refert s. Epiphanius, a cerinthianis integrum hoc ipsum Evangelium cum duobus prioribus capitibus, ac propterea cum genealogia fuisse retentum; in hypothesi praeterea adversarii de archetypo aramaeo, mendacii ipse convincitur, dum asserit, Epiphanio teste, his capitibus archetypum destitutum fuisse (3); idipsum dicatur de nazareis, qui ebionitis aut anteriores fuerunt aut coaevi, quique, ipso Epiphanio testante, *Haeresi XXIX*, n. 9, eodem Evangelio integro utebantur (4). Sic mentitus pariter est Wegscheider, dum scribit, a Tatiani Evangelio duo priora Matthaei capita abfuisse. Etenim, ut ex Theodoreto discimus, *Haeret. fabul.* lib. I, cap. XX, non amputaverat ille nisi genealogias et alia omnia, *quae Dominum ex semine David secun-*

(1) Hoc systema de communi evangelistarum fonte in archetypo aramaeo sive syro-chaldaico primus insinuavit Clericus. *Hist. eccl. duor. prim. saecul.* Amstel. 1716; confirmavit Semlerus ad *Towson*, *Abhandlungen über die vier Evangelien*, seu: *Tractatus in quatuor evangelia*, part. 1, p. 221-290; Lessing, *Theolog. Nachlass*, pag. 45 et seqq.; Niemeyerus, *Conjecturae ad illustrandum plurimorum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitae J. C.* Halae 1790; Godl. Paulus, *Introductio in N. T. capita selectiora*. Ienae 1799. Illud demum vario modo exornarunt Eichhorn, *Allgem. Biblioth. der. bibl. Litteratur*, seu *Bibliotheca universalis litteraturae biblicae*; Marsh, *Anmerk. und Zusätze*, etc. seu, *Notae et appendices*; Gratz, *Neuer Versuch*, etc. idest, *Novum tentamen*, etc.; Bertholdt, *Theol. Einleit.* seu *Introductio theologica*: postremo vero Kuinoel, in *Proleg. ad Comm. in libros hist. N. T.* pag. 16 et seqq. secutus Marshium et Eichhornium. Verum nondum convenit inter ipsos, quid sit ejusmodi archetypon, utrum unum idemque cum Evangelio, quod inscriptum erat *Secundum Hebraeos*, an diversum. Hanc opinionem evertit Rosenmüller senior, *Schol.* in *N. T.* argumentis internis et externis; et ejusmodi archetypum merito vocat *fictitium*, quod nemo veterum novit et vidit. Cfr. tom. 1, edit. sexta, pag. 5 et seqq.

(2) N. 13.

(3) Scribit enim: Ὁ μὲν γὰρ Κήρινθος καὶ Καρποκράτης τῷ αὐτῷ χρώμενοι δόξῃ παρ' αὐτοῖς Εὐαγγελίῳ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου, διὰ τὰς γενεαλογίας βούλονται παριστᾶν ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας εἶναι τὸν Χριστόν. Id est: « Cerinthus enim et Carpocrates eodem Matthaei, ut quidam volunt, Evangelio freti, ex ejus initio Christique genealogia probare nituntur, Christum et Josephi et Mariae semine esse procreatum ».

(4) Ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον ἑβραϊστί. Παρ' αὐτοῖς γὰρ σαφῶς τοῦτο, καθὼς ἐξ ἀρχῆς ἐγράφη ἑβραϊκοῖς γράμμασιν ἔτι σώζεται. « Est vero penes illos *(Nazaraeos)* Evangelium secundum Matthaeum, hebraice scriptum, et quidem absolutissimum. Hoc enim certissime, prout hebraeis litteris INITIO SCRIPTUM EST, in hodiernum tempus usque conservant ».

dum carnem natum ostendunt (1). Reliqua retinuit, ita ut non advertentes fraudem plures catholici decepti fuerint, eodem auctore teste (2). Si quid igitur evincit illa amputatio Tatiani, probat praecise quod nollet adversarius, nempe Jesum non esse ex Joseph progenitum. Et sic rursum mentita est iniquitas sibi.

318. Marcion utique s. Lucae Evangelium *decurtatum* exhibet, ut veteres loquuntur, Irenaeus, *Adv. haeres.* lib. III, cap. XIV, n. 4; *Contra Marcionem*, tum lib. I, cap. II, tum lib. IV, cap. VI; Epiphanius, *Haer. XLII*, n. 11. At sero nimis prodiit sacrilegus hic Evangeliorum mutilator; jam enim apud omnes ecclesias integrum Evangelium extabat, iisdem testibus. cum Marcion sacrilegum facinus aggressus est; hinc Tertullianus Marcionem provocat ad codices, qui apud ecclesias Marcione vetustiores asservabantur, imo ad communem consensum et publicum testimonium (3). Quid igitur evincit haec Marcionis Evangeliorum corrasio? Lex criticos est, cum aliqua clausula vel redundat vel desideratur in eorum codicibus, quorum partibus aut favet aut adversatur, ab iis eam additam vel detractam censeri, qui tempore sunt posteriores, auctoritate minores, et quorum causa iis additionibus vel detractionibus juvatur. Judicet nunc Wegscheider, quid de suis criticis censendum sit, ac de eorum monito.

319. Ad 2. *N.* Graviores enim dici nequeunt difficultates exegeticae, si *criticae*, ut vidimus, *nullae* sunt. Nego praeterea ejusmodi exegeticas difficultates oriundas esse *ex manifesto dissensu ipsius argumenti*. Quare adversarius saltem non innuit, in quo iste manifestus dissensus positus sit? Uterque evangelista Christum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptum et natum docet, uterque vel expresse vel tacite provocat ad Isaïae vaticinium, uterque eum natum in Bethlehem refert. In quo igitur est *manifestus dissensus argumenti?*

320. Sed neque obstant binae genealogiae, quas ambas Josephi esse pro certo sumit adversarius, nec pauci tamen nec infimi subsellii interpretes negant (4). Verum et hoc transmisso, prorsus inficior, quod ipse deducere

(1) Καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν Κύριον δεικνῦσιν.

(2) Ibid.

(3) Cfr. *Cont. Marc.* lib. IV, cap. 5, et *De Praescript.* cap. 36. Cfr. I. D. Michaelis, *Introduction au Nouveau Testament*, tom. I, chap. 2, sect. 7, Genève 1822, circa finem, ubi ostendit, ejusmodi haereticorum interpolationes novum argumentum praebere *authentiae* librorum N. T.

(4) Non pauci praesertim ex recentioribus interpretibus, sive catholicis, sive potissimum protestantibus, longe probabilius esse censent, Matthaeum texuisse genealogiam Josephi, Lucam vero genealogiam B. Virginis. Longum esset nimis, velle istorum omnium catalogum exhibere. Satis itaque sit auctorem adversariis non suspectum adducere, nempe Georg. Rosenmüllerum. Hic autem, *Schol. in Matth.* cap. I, v. 17, scribit: « Difficultates non quidem plane tolluntur, minuuntur tamen, si, quod verisimile est, statuamus, eam, quam Matthaeus habet genealogiam, esse Josephi, quam Lucas, Mariae. A Matthaeo recenseri genealogiam Josephi, a Salomone ducentis genus, patet ex commate 16, coll. 6, 7; Mariam vero genus duxisse ab alio filio Davidis, Nathano, discimus ex Luc. III, 31. » Rosenmüller praeterea citat pro hac sententia Vethusenium, ex Godl. Paulusio, quibus addi potest Kuinoel,

inde contendit; dissensus enim genealogiarum, etiamsi supponeretur adesse, quod minime fatemur, non evincit Christum esse filium naturalem Josephi. Hoc autem ut pateat, satis est in medium afferre adversarii argumentum: genealogiae Josephi dissentiunt inter se; ergo Jesus est Filius naturalis Josephi. Praeclara dialectica! Praeterea juxta adversarium in archetypo aramaeo, in *Evangelio* seu *Diatesseron Tatiani* et in *Evangelio Marcionis* utraque haec genealogia desiderabatur, dein vero addita est; nullam igitur earum dissensus ad probandum vim habet. Nempe mendacem oportet esse memorem. Qua vero ratione bene inter se componantur hae genealogiae, docent interpretes (1).

321. Ad 3. *D.* Quia Joannis consilium id non ferebat, *C.* quia aliter ipse sensit *N.* Joannis consilium, ut alias animadvertimus, potissimum fuit, supplere ceteris evangelistis, et ea fusius prosequi, quae spectant ad Christi divinitatem adstruendam. Hinc, cum Matthaeus ac Lucas abunde, quae ad prodigiosam Christi humanitatis conceptionem spectant, retulerint, hac praetermissa, Joannes solam aeternam ejusdem generationem exponit. Adde Joannem, ut communi consensu veteres tradunt, quales sunt Clemens Alex. (2), Eusebius (3), Hieronymus (4), Epiphanius (5), tria priora Evangelia, quae in omnium jam erant notitia, legisse et probasse, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse, antequam manum appulisset ad suum Evangelium exarandum. Quid si Joannes, imo et Christus ipse aperte idipsum tradidissent, num iis fidem adhiberent rationalistae? Nihil minus, prout vidimus eos se gessisse, cum ageretur de divinitate Verbi a Joanne praedicata, de Jesu ac futura corporum resurrectione, de extremo judicio, toties a Christo inculcatis, et non solum a reliquis tribus evangelistis, sed et a Joanne, a Paulo, ac reliquis apostolis omnibus praedicatis (6).

322. Ad 4. *D.* Id est, prout vulgo putabatur, *C.* reipsa *N.* Nondum enim divina Christi missione comprobata, imprudenter omnino ejusmodi mysterium patefactum fuisset, cui nemo fidem adhibuisset. Adeo stolidi sunt rationalistae, dum haec effutiunt! Sic praepostera fuisset, neque opportuna hujus rei manifestatio, Joan. VII, 27; non obscure tamen veritatem hanc innuit, dum v. 28 et seqq. divinam suam originem Christus Judaeis inculcavit, ostendendo, reipsa eos nescivisse, *unde esset*, ut illi fidenter asserebant. Dum vero Paulus *ex semine David secundum carnem* Christum natum affirmat, perinde est ac si diceret: *ex stirpe David*, et hoc necesse erat, ut adimpleretur id, quod Deus patriarchis et Davidi promiserat, nasci-

Proleg. § 4, qui plures alios recenset, siquidem est haec sententia apud ipsos communis. Plura tamen vetant, quominus hanc sententiam admittamus atque probemus.

(1) Cfr. Maldonatus, *Comm. in s. Matth.* cap. 1, v. 16, ubi fuse de hoc argumento disserit; vid. etiam dissertationes duas de *Genealogia Jesu Christi*, Joan. Jac. Hottingeri, in *Novo thesauro theol. philolog., sive sylloge dissertt.* p. 73 et seqq. tom. II, Lugd. Batav. 1732; in quibus confirmatur sententia de duplici genealogia Josephi et Mariae.

(2) Apud Euseb. lib. VI, cap. 14.

(3) Lib. III, cap. 24.

(4) *De viris illustrib.* cap. 9.

(5) *Haeres.* LI, n. 19.

(6) Cfr. Tract. *De Deo creat.* n. 850 et seqq.

turum scilicet Messiam ex eorum semine. Aliud porro est dicere de semine David, aliud vero de semine Josephi; Beata enim Virgo ex semine David orta est; cum vero ex ejus sanguine Spiritus Sancti virtute Christi corpus efformatum sit, hinc Christus filius David est, non autem Josephi; quod perpetuo innuit Apostolus, toties repetens, Christum *factum ex muliere*.

523. Ad 5. *D.* Id est *cognati* seu propinqui, *C.* fratres uterini *N.* Hujus rei vadem habemus totam antiquitatem (1), quod et usus loquendi biblicus ostendit (2). Mendacem porro jam tertio se prodit adversarius noster, dum addit, *comite ipsa matre* Christi, propinquos eum ut insanum prehendere voluisse. Nam in primo loco, nempe Marci III, 21, de matre ne verbum quidem legitur; sed erant fratres illi, quos refert Joannes, loc. cit., in Jesum non credidisse; versu autem 31: *Et veniunt*, inquit, *mater ejus et fratres; et foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum*. Quod quidem est factum a primo omnino diversum (3).

524. Ad 6. *D.* Sensu materiali, *C.* spirituali *N.* Nam Angelus non opinionibus vulgi, sed spiritui seu vero sensui Scripturarum effata sua accommodavit, qui sub verborum cortice latebat, prout Christus patefecit, et eventus ostendit, ac nos suo loco probavimus. Quid autem hoc commune habeat cum consilio adversarii, scilicet ostendendi Jesum Christum filium Josephi esse, non video, nisi fortasse ut proderet se non meliorem *exegetam* esse quam *criticum*.

525. Ad 7. *Neg.* narrationes illas historiae luce collustratas quidpiam efficere pro adversarii thesi. Quid enim si Cerinthus, Carpocrates, ebionitae aliaeque obscurae, contemptae et profligatae ejusmodi pestes haereticorum, quos evangelista perstringit (4), Christum filium Josephi autumarunt? Vere testes dignos se adversarius appellat. Non magis illorum perditorum hominum impietas officit veritati, quam officiant rationalistae, dum falsitatis arguunt evangelistas, apostolos et Christum ipsum.

526. Tantum denique abest, ut vulgata opinio apud gentes de hominibus coelesti natura progenitis causae obsit, quam timemur, ut rem nostram mirifice confirmet, quod ex dictis apertissime constat. Omnium enim ejusmodi opinionum originaria seu primigenia idea in vera religione reperitur, quam postea suis commentis gentes plus minus depravarunt, ut in aliis similibus casibus factum esse animadvertimus (5). Ex his patet, quid sentiendum sit de conclusio-

(1) Cfr. Maldon. in cap. XII, Evang. s. Matth. v. 46.

(2) Ibidem, innumeris prope allatis exemplis, ostendit idem auctor, talem loquendi usum esse receptum in Scripturis.

(3) Imo nec desunt qui contendant, illud, quod refert s. Marcus III, 21: *Et cum audissent sui* (graece οἱ παρ' αὐτοῦ, id est, *ii qui ab ipso erant*, seu *qui ad eum pertinebant*) *exierunt tenere eum; dicebant enim: quoniam in furorem versus est*, non de propinquis Christi esse intelligendum, sed accipiendum impersonaliter: *Fama erat*, *dicebant homines*, etc. Alii illud *dicebant* referunt ad pharisaeos. Cfr. Rosenmüller ad hunc loc.

(4) Cfr. S. Hieronym. loc. cit.

(5) Tract. *De Deo creat.* n. 317 et seqq. et alibi.

Haec scilicet haud est rationalistarum, quod biblicas narrationes ad paganam mythologiam referant, ut ex hac illas exponant, cum e converso paganam mythologiam ad Scripturam, quae illis anterior est, exigere deberent, ut constanter apologetae religionis christianae, adversus philosophos disputantes, se se gesse-

ne istius rationalistae, qui nempe se pessimum criticum, exegetam et historicum praebet, sacramque Scripturam ut mythographiam traducit; nec operae pretium est diutius in hisce commentis refellendis immorari.

327. Inst. 1. Repugnat tamen Mariae virginitati, quod legitur Luc. II, 22: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus . . . sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum, Domino vocabitur.* Quare 2. Apostolus Gal. IV, 4, dicit Christum *factum ex muliere*. Ergo.

328. Resp. Ad 1. *N.* Sola enim prudenti oeconomia B. Virgo se purificationis legi ultro subjecit, quemadmodum et Christus subjecerat se legi circumcisionis; cum neuter ejusmodi legibus teneretur; quod ex admirabili conceptionis modo, hucusque vindicato, abunde constat. Recitans autem evangelista verba legis, non insinuat Christum nativitate sua vere matris vulvam adaperuisse, sed solum fecunditatem Beatae Virginis ortu suo ostendisse, prout phrasis illa *primogeniti* ei accommodata ex usu biblico, accipitur, ac veteres exposuerunt (1).

329. Ad 2. *D.* Dicit Apostolus Christum factum ex *muliere*, denotando sexum, *C.* conditionem *N.* Nempe docet ibi, Filium Dei, qui est ab aeterno, factum esse ex substantia mulieris, ab eaque natum secundum humanitatem in tempore; propterea hoc ipso ostendit, mulierem illam, ex cujus substantia factus est Christus secundum carnem, virginem fuisse; alioquin dixisset, factum ex virili semine (2).

runt, eos adigentes, ut fatercntur, nullum mythum esse in pagana religione, qui originem non habuerit ex Sacris Litteris atque ex primaeva traditione, neque aliud esse eorum mythos nisi corruptionem veritatis.

330. Reliquas difficultates, quae peti solent vel ex voce *primogeniti*, vel ex Matth. I, 25, utpote ad praesentem thesim non spectantes, missas facimus.

CAPUT III.

DE UTRIUSQUE CHRISTI NATURAE HYPOSTATICA CONJUNCTIONE

331. Christum verum Deum ac verum hominem esse, seu in Christo tum divinam tum humanam naturam integram atque perfectam inesse, ostendimus. Qua autem ratione ambae naturae simul consistant atque conjunctae sint, ad catholicae veritatis normam inquirendum superest.

332. Qui alterutram in Christo negant naturam, hoc ipso omnem prorsus proprie dictam conjunctionem ejusmodi naturarum eliminant ac funditus mysterium Incarnationis evertunt. Verum non minus idem mysterium labefactant, qui, utraque in Christo admissa natura, nonnisi accidentalem aut moralem inter utramque naturam unionem intercessisse contendunt. Doctrina igitur ecclesiae catholicae est, hypostaticam seu personalem et substantialem in Christo intercedere utriusque naturae conjunctionem, in qua sola integrum Incarnationis mysterium consistere potest, et in hoc conjunctionis modo nucleus, ut ita dicam, seu ratio formalis ejusdem mysterii continetur.

333. Quandoquidem vero ex germana unionis hypostaticae notione maxime pendet dicendorum intelligentia, juverit

(1) Cfr. Maldon. *Comment. in Luc.* II, 22 et seqq.

(2) Cfr. Bernardus a Piconio, *Tripl. expos.* in hunc loc.

ejusdem praemittere definitionem, eamque per partes, maxima qua fieri poterit perspicuitate, explanare, et praecipua consectaria deducere.

334. Est igitur hypostatica unio sive unitio conjunctio illa, qua duae naturae, divina et humana, integrae, inconfusae, impermixtae, ac suis proprietatibus et operationibus praeditae, in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona.

335. Ex hac porro definitione, 1. patet ejusmodi conjunctionem duarum naturarum factam esse, saltem immediate, *in persona*, qua fit ut una eademque sit ambarum naturarum subsistentia et personalitas, sive ratio suppositi; ac propterea *hypostaticae* seu *personalis* unionis nomen sortita sit (1). 2. Cum hypostasis seu persona divini Verbi jam extiterit ante unionem seu assumptionem humanae naturae, patet humanam naturam non concurrere tamquam partem ad constituendam personam, prout nomen personae (quae simplicissima est) *formaliter*, ut ajunt, accipitur; sed eatenus, peracta incarnatione, *composita* persona dicitur, quatenus totum suppositum, quod est Christus, ex utraque natura coalescit (2), atque idcirco quatenus *materialiter* persona sumitur. 3. Cum nonnisi ratione ejusdem subsistentiae divina et humana natura unum sint, patet subsistentiam sive personam Verbi non esse respectu humanitatis instar *subjecti*, quod humanitatem sustentet velut accidens, sed instar *termini*, quatenus ejusmodi conjunctio in unam subsistentiam ac personam desiit (3). 4. Cum subsistentia humanae Christi naturae eadem sit ac subsistentia Verbi, constat ejusmodi humanam naturam factam esse *propriam* personae Verbi, quae, peracta Incarnatione, coepit operari per hanc humanitatem, et in assumpta humanitate eadem ratione ac ante Incarnationem, vel etiam ea peracta, distincte operata est, vel operatur, prout est *principium quod*, ut loquuntur scholae, in divina natura; utraque porro natura in persona Verbi subsistens operatur, seu exerit proprios actus realiter distinctos ut principium *quo*, ut vocant. Peracta enim Incarnatione, realiter semper inter se distinctae sunt hae duae naturae. 5. Cum igitur inter subsistentiam et naturam in concreto tam arcta conjunctio intercedat, ut nonnisi *ratione* seu *cogitatione* altera ab altera distinguatur, hinc fit ut natura in sua existentia pendeat a subsistentia, a qua terminatur ac regitur. Hinc nec ante nec post Incarnationem vel uno temporis instanti supponi aut concipi potest humanitas Christi existens nisi in persona Verbi. Si enim seorsum haec humanitas ab illa subsistentia aut persona spectetur, jam non esset amplius humanitas Christi, id est, Verbi incarnati, sed mera abstractio, seu ens rationis (4). 6. Cum haec conjunctio facta sit immediate in persona, ut diximus, non autem in naturis, sequitur has naturas realiter inter se distingui, quarum unaquaeque naturales suas proprietates retinet ac proprias operationes et actus uniuscujusque proprios; cum tamen, ut diximus, natura nonnisi ratione ac virtualiter distinguatur a persona, sequitur *mediate* factam esse conjunctionem inter naturas. Hinc haec unio sub hoc respectu *physica* et *substantialis* pariter appellatur (5).

336. Atque haec de unionis hypo-

(1) Cfr. Petav. *De Incarn.* lib. III, cap. 4, § 2 et seqq.

(2) Ibid. cap. 12, § 4 et seq.

(3) Ibid. cap. 3, § 16.

(4) Ibid. lib. XII, cap. 4, § 6.

(5) Ibid. lib. III, cap. 4, § 17.

staticae notione innuisse ad rem nostram sufficiat. Reliqua pro opportunitate attingemus. Interea ex dictis inferimus, unicam in Christo esse personam eamque divinam; hanc personam subsistentem in duabus naturis, seu Christum Deum hominem esse Filium Dei naturalem; post duarum naturarum unitionem duas integras, perfectas atque impermixtas permansisse naturas, inter se realiter distinctas; unamquamque propterea naturam suas conservare proprietates naturales suasque operationes. Singulis his veritatibus fidei nostrae vindicandis opera in hoc capite impendenda nobis erit. Quod ut facilius assequamur, rem totam in suos articulos dispertiemur, in quibus singulorum haereticorum commenta veritati hactenus expositae adversantia refellemus.

ARTICULUS I.

De unica Christi persona

337. Nestorius Germaniciae in Syriae oppidulo natus, prius monachus antiochenus et presbyter, Theodori autem Mopsuesteni discipulus, anno 428 episcopus Constantinopolitanus renunciatus, vix in ea sede confirmatus fuit, cum haustam a Theodoro haeresin disseminare coepit. Primum vero vocem Θεοτόκος sive *Deipara* insectandam sibi proposuit, tum per alios a se submissos (1), tum aperte per se ipsum, Beatam Virginem Χριστοτόκον sive *Christiparam* vocandam esse contendens, quippe quae non Deum, sed hominem peperisset. Ipse enim contendebat, inter divinam humanamque naturam in Christo non intercessisse nisi *moralem* seu habitudinis, σχετικήν et externam conjunctionem. Hinc duas personas in Christo profitebatur. Incarnationem non aliud esse affirmabat nisi ἐνοίκησιν, *habitationem* Dei in homine, velut in domicilio suo, vel in templo, quemadmodum in Moyse ac prophetis reliquis habitasse dicitur. Hinc Christum Θεοφόρον seu *Deiferum* appellabat et possessorem divinitatis, non vere Deum, nec sustinebat dici *Deum bimestrem aut trimestrem*. Ex ejus enim sententia non antea Deus conjunctus est cum Christo, quam cum demum is formatus fuerit in utero virginis homo integer atque perfectus, atque ex ista conjunctione, quam συναφείαν seu *connexionem* vocabat, Christus homo nominari Deus coepit, quemadmodum et Moyses Deus appellatus est.

338. Hoc latiori sensu non dubitavit Nestorius interdum Christum Deum appellare, ac B. Virginem Deiparam, et hac ratione, ut moris haereticorum est, sub larva catholica haereticam impietatem tegere satagebat. Verum ei larvam detraxit s. Cyrillus episcopus Alexandrinus, qui erroribus Nestorii duodecim opposuit capitula, quae vocavit *Anathematismos*, quos ei subscribendos dedit, si catholicus esse ac dici vellet. Tantum vero abfuit, ut haeresiarcha eis subscriberet, ut totidem anathematismos ad Cyrillum miserit, in quibus impium totius haereseos suae systema majori in lumine collocavit (2). Quare in concilio oecumenico Ephesino anno 431. Nestorius depositus est ab episcopali sede, et

(1) Ibid. lib. I, cap. 7, § 4 et seqq.

(2) Vid. *Epistola synod. s. Cyrilli ad Nestorium* cum XII anathematismis in *Actis Concil.* Harduini, tom. I, col. 1285 et seqq. et ibid. coll. 1298 et seqq. Anathematismi Nestorii oppositi anathematismis s. Cyrilli. Vid. etiam Petav., *De Incarn.* lib. VI, cap. 17.

una cum haeresi sua damnatus (1); a Theodosio autem imperatore Antiochiam primum, deinde quadriennio post Oasim relegatus est, ubi aerumnis calamitatibusque confectus, vermibus exesa ejus lingua, supremum diem obiit (2).

339. Ex hac porro catholica ad speciem loquendi ratione, qua Nestorius usus identidem est, sive ad invidiam innovationis declinandam, sive ad propria sensa magis tegenda, factum est, ut audaciores nonnulli critici inter protestantes totam illam nestorianam controversiam traduxerint ut puram logomachiam (3). Ast perperam. Si enim recte atque orthodoxe Nestorius sentiebat, nec nisi in verbis erat discrepantia inter ipsum et Cyrillum ac catholicos reliquos, quare exortis tot commotionibus sententiam suam catholicam apertis verbis nunquam ipse patefecit? Nestorius unam personam reipsa fatebatur in Christo, eumque Deum simul et hominem admittebat, ac Beatam Virginem vere Deiparam esse censebat, quare ejus discipuli nestoriani utrumque inficiati sunt atque adhuc inficiantur? Itaque mala prorsus fide egit Nestorius, ac merito anathemate percussus et depositus est. Hae solae observationes, quae aeque quadrant in eos omnes, quos iidem imprudentes critici, ut videbimus, ab haeresis aut erroneae doctrinae crimine vindicare satagunt, ut invidiam in ecclesiam catholicam ejusque doctores conflent, abunde sufficiunt ad s. Cyrillum et ecclesiam vindicandam; et propterea non opus est in ceteris persequendis immorari.

340. Interim ex iis, quae de haeresis nestorianae indole ac natura exposuimus, colligitur, duo a nobis esse praestanda; tum unicam scilicet assorere et vindicare debemus in Christo personam, eamque divinam, tum ostendere Beatam Virginem, ex qua haec unica divina persona secundum carnem in tempore edita est, vere vocandam et esse Deiparam; in his enim ceterae veritates, quae ad hoc argumentum spectant, includuntur, atque ex iis pendent. Huc pariter referimus, quae adversus felicianos disputari solent de Christi *filiatione*, ut vocant, naturali, non autem adoptiva, quam isti in Christo commenti sunt. Hic enim error tantum habet cum nestoriana haeresi necessitudinem, ut ab ea separari nequeat, quod ex dicendis constabit. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Unica in Christo admittenda eaque divina persona

341. Propositio haec est de fide,

(1) Cfr. *Acta Concil.* cit. col. 1422.

(2) Cfr. Joan. Garnerii *Dissert. de haeresi et libris Nestorii*. Cfr. praeterea de Nestorio ejusque haeresi scriptores, quos recenset Fabricius, *Bibliothecae graec.* tom. IX, pag. 286 et seqq. et, qui post eum scripsit, Joseph Simonius Assemanus, *Bibliot. orientalis*, tom. III, part. 2. Hic enim prae ceteris uberius et accuratius haec est persecutus.

(3) Inter ceteros David Derodon calvinista, in lib. *De supposito*; Elias Saurin, pariter Calvini assecla, in *Apologia contra Jurieu*; Albertinus, in *Tract. de Eucharistia*; Christ. Aug. Salig. in lib. cui titulus *Eutychianismus ante Eutychen*; Mathurinus Veyssère la Croze, in *Hist. Christianismi Indorum*; Paul. Ern. Jablonski; *Exercit. histor. eccles.*; Sam. Basnagius, *Annal. politico-eccles.* ad annum Christi 430 et seqq.; Bayle, *Dict. hist. crit.* art. *Nestorius*; a quibus non abhorruit Elias Dupin celebris jansenista, *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclesiastiques*, tom. III, part. 2.

quam tradit symbolum Athanasianum, dicens: *Non duo tamen, sed unus est Christus*. Qui quidem Christus, ut definitur in concilio oecumenico Constantinopolitano II, can. VII et VIII, est *ex duabus naturis in una subsistentia et in una Verbi persona* (1).

342. Sic vero ejusdem veritatem adstruimus: Ibi unica eaque divina persona agnosci debet, ubi uni eidemque divino supposito attribuuntur, quae in duabus naturis gesta sunt, ac de uno eodemque individuo, eoque divino, subsistente in duabus naturis, constanter praedicantur; atqui talia tribuuntur Christo, et ita praedicantur de Christo.

343. Etenim Apostolus, Philipp. II, 6 et seqq. ita de Christo scribit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Quibus verbis ille idem dici ur accepisse formam servi, qui erat in forma Dei; atque idem praedicatur aequalis Patri propter formam Dei, qui minor est Patre propter formam servi; ille idem, qui, cum esset in forma Dei, formam servi accepit, dicitur exinanitus. Atqui haec omnia de Christo praedicare ea ratione non potuisset Apostolus, si duplex in Christo esset persona sive suppositum, ac Verbum nonnisi moraliter et externe se humanae Christi personae ac jam in se subsistenti junxisset. Paulus igitur unam dumtaxat, eamque divinam personam in Christo praedicavit.

344. Id ipsum praedicavit Joannes his verbis: *Verbum caro factum est*. Neque enim Verbum factum est caro conversione divinitatis in carnem, quod repugnat, atque ex dicendis patebit; neque unione tantum morali et externa, quam licet in Sanctis suis operetur Deus, attamen dici nequit Deum factum esse aliquem Sanctum; ergo Verbum caro factum est unione naturali, substantiali, intima, hypostatica; ideoque una est in Christo persona, eaque divina.

345. Praedicant denique Divinae Litterae, ubicumque unum eumdemque declarant esse Filium Dei et Filium hominis; velut cum Dominum gloriae crucifixum memorant, I Cor. II, 8, Auctorem vitae interfectum, Act. III, 15, Deum ecclesiam proprio sanguine sibi acquisivisse, ibid. XX, 28, Filium hominis existentem, antequam Abraham esset, Joan. VIII, 58, Filium Dei factum ex muliere, Gal. IV, 4, atque idem Filium hominis existentem in coelo, dum loqueretur in terris, Joan. III, 13. Ibi enim unica adstruitur persona, ubi unum idemque individuum Deus et homo dicitur, et ubi uni eidemque tribuuntur ea, quae sunt Dei et hominis, quemadmodum ea in allatis aliisque divinarum Scripturarum oraculis tributa esse luce clarius apparet. Ergo.

346. Huc accedunt fidei nostrae symbola, Apostolicum nempe, Nicaenum et Constantinopolitanum, in quibus constanter unus idemque exhibetur Christus, qui Filius Patris, Deus de Deo, descendisse de coelo, incarnatus et homo factus in utero B. Virginis, passus et crucifixus dicitur. Unus autem idemque non est ratione naturae, ut ostendemus; ergo unus idemque est ratione suppositi, subsistentiae et personae.

347. Neque alia unquam fuit doctrina patrum sive graecorum sive latinorum, quorum longam seriem profert Petavius (2); nos unum aut alterum proferemus. S. Ignatius ep. *ad Ephes.*:

(1) Collat. VIII. Cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. III, col. 198. vid. etiam ib. col. 195, cap. V.

(2) Lib. III, cap. II.

Unus, inquit, *medicus est, carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus* (seu *factus* et *non factus*), *in carne genitus Deus . . . et ex Maria et ex Deo, primo passibilis et tunc impassibilis Jesus Christus Dominus noster* (1); et postea: *In uno Jesu Christo secundum carnem ex genere David, Filio hominis et Filio Dei* (2). Ergo ex Ignatio unus idemque est Jesus Christus, non factus secundum naturam divinam, factus secundum carnem seu naturam humanam, unus idemque pro diversa natura passibilis atque impassibilis, Filius Dei et Filius hominis, ex Deo et Maria genitus. Nec minus luculenta sunt, quae pro catholico dogmate scripsit s. Augustinus in *Enchiridio*, cap. XXXV, ante exortam nestorianam haeresim (3): *Christus Jesus Dei Filius, est et Deus et homo. Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo. Deus, quia Dei Verbum*, Deus *enim* erat Verbum; *homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro*. Et iterum ibid. concludit. *Unus Dei Filius, idemque hominis Filius; unus hominis Filius, idemque Dei Filius; non duo Filii Dei, Deus et homo, sed unus Dei Filius; Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus*.

348. Ratio demum theologica id ipsum evincit. Posita enim quacumque morali unione, etsi in summo gradu, jam non unus sed duplex Christus esset; a quo dogmate abhorrent aures christianae, quod totum labefactaret Incarnationis mysterium, ac everteret redemptionis oeconomiam; neque amplius de uno eodemque praedicari possent, prout in universa Scriptura et traditione fit, diversae Christi actiones, quandoquidem non ad unum, sed ad duo distincta supposita spectarent in hypothesi nestoriana; actum praeterea esset de Christi divinitate (4).

DIFFICULTATES

349. I. Obj. 1. Quoties Scripturae generationem Christi ex B. V., vel Christi mortem commemorant, eum nusquam Deum appellant, sed aut *Christum* nominant aut *Jesum* aut *Dominum*. Ergo eadem non est persona Christi hominis et Verbi Dei. 2. Joannes praeterea, I, 14, tradit, Christum *habitasse* in carne; et, II, 19, Christum ipsum 3. corpus suum seu humanitatem vocasse *templum;* item Apostolus, Hebr. VIII, 2, et IX, 11, eamdem Christi humanitatem dicit *tabernaculum;* Philipp. vero II, 7, *habitum*. Jam vero nulla personalis et intima unio intercedit inter templum et tabernaculum, atque habitantem in eis, inter habitum seu vestimentum et eum, qui eo induitur. Moralis igitur et externa est unio, quae inter Deum et hominem in Christo intercessit, quae in *voluntatum* consensione et gratia consistit, 4. prout declarat ipsemet Christus, Joan. VIII, 29, dicens: *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum*,

(1) Cap. VII: Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς . . . καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν. Apud Galland. *Bibl. Patrum min.* tom. I. pag. 266.

(2) Ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ Θεοῦ, Ibid. cap. 20, pag. 270.

(3) Nam hic liber anno 421 aut paulo post conscriptus est; haeresis autem nestoriana exorta est anno 430.

(4) Cfr. S. Thom. *Cont. gent.* lib. IV, cap. 34.

QUIA *ego, quae placita sunt ei, facio semper*. 5. Quare Christus in Sacris Litteris modo hominis, modo Dei Filius dicitur. Non ergo unus filius neque una persona.

350. Resp. Ad 1. *N.* Paulus enim, Gal. IV, 4, de Christi humana generatione loquens, ait: *Misit Deus Filium* SUUM *factum ex muliere;* ac rursum, Philipp. II, Christum dicit in *forma Dei* fuisse *aequalem Deo;* et Act. XX, 28, affirmat, *Deum acquisivisse ecclesiam sanguine suo* (1).

351. Ad 2. *N.* Sed Verbum, carnem factum, *in nobis*, id est, inter homines habitasse affirmat; quo solo nestoriana evertitur impietas.

352. Ad 3. *D.* Christi humanitas, seu potius Christi corpus vocatum fuit templum, tabernaculum, habitus improprie seu sensu figurato, *C.* proprie *N.* Alioquin, cum et corpus nostrum ab apostolo Paulo, II Cor. V, 1 et seqq. *domus, habitatio et tabernaculum* vocetur, prout etiam vocatur ab apostolo Petro, II Epist. I, 13, sequeretur, inter animam et corpus nostrum non intercedere nisi moralem conjunctionem; eo magis quod ita fuerit nuncupatum Christi corpus relate ad animam, non autem ad ejus divinitatem, uti ex contextu apparet. Apostolus autem, Philipp. II, tantum significat, Christum externa specie purum hominem apparuisse, etsi Deus pariter esset; et hinc rursum labefactatur nestorianus error.

353. Ad 4. *N.* Nec enim particula *quia* hic causalis est, sed *signum* exprimit et effectum missionis suae, velut si Christus diceret: ex hoc poteritis cognoscere divinam missionem meam, quia Ego quae placita sunt ei facio semper, prout clarius v. 42 exponit, dicens: *Ego ex Deo processi et veni* (2).

354. Ad 5. *D.* Tamquam unum idemque suppositum, *C.* tamquam diversum suppositum *N.*

355. II. Obj. Sancti ecclesiae patres eadem qua Nestorius ratione de Christo et Incarnatione locuti sunt. Nam 1. quidam Deum assumpsisse *hominem* affirmant, ut s. Ambrosius (3) et s. Augustinus (4), qui praeterea, *Enchir.* cap. XXXV, dicit, Christum *esse* ALIUD *propter Verbum et* ALIUD *propter hominem*. 2. Nonnulli Christum dixere hominem *Deiferum*, ut s. Basilius passim (5). Alii eum vocarunt hominem *dominicum*, ut s. Athanasius (6), s. Epiphanius (7), s. Augustinus (8). 3. Alii denique Christi humanitatem aut *organum* aut *templum* aut *vestem* divinitatis dixerunt, imo et *sponsam* (9). 4. Sed inter ceteros eminet s. Joan.

(1) Cfr. etiam Rom. I, 3; Joan. III, 16.

(2) Cfr. Maldonatus in hunc loc.

(3) *De Fide*, lib. V, cap. 8, n. 108, edit. Maur. tom. II.

(4) *De Civ. Dei*, lib. XI, cap. 2.

(5) Lib. *De Spiritu S.* cap. 5, et in Ps. LXI, n. 4; in Ps. XLV, in Ps. LIX, Hom. XXV, *De Nativ.*, etc. Quare Theodoretus Cyrillum incusat, quod anathemate feriendos existimaverit eos, qui Christum dicunt θεοφόρον ἄνθρωπον, quum tamen a plurimis patribus, maxime vero a M. Basilio eam vocem usurpatam noverimus. Apud s. Cyrill. *Defens. anath.* V, tom. VI, pag. 220.

(6) Tom. I, pag. 394. D.

(7) In *Ancorato*, § XCV.

(8) *Lib.* LXXXIII *Quaest.* q. XXXVI.

(9) Ita s. Athanas. lib. *De Incarn.* pag. 70, *C.* et alibi, Euseb. Caesar. *Demonst. Evang.* lib. IV, cap. 13, pag. 107; Epiphan. *Haer.* LIX, § II, pag. 763; Cyrillus Alex. *Dial. de Incarn.* pag. 692, tom. V, *C. Vestem.* vocarunt S. Cyrillus, *Ep.* II *ad Success.* pag. 142, *A*; Fulgentius vocavit humanam naturam *trabeam*, *Serm. de s.*

Chrysostomus, qui *Homil. III, in cap. I. Epist. ad Hebr.* n. 1, exponens verba Psalmi XLIV, relata ab Apostolo: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, scribit: *Hic* (Apostolus) *et Judaeos et Pauli Samosateni asseclas et Arianos, Marcellumque et Sabellium feriit et Marcionem. Quomodo? Judaeos quidem, ostendens* UNUM ESSE DUO (1) *et* DEUM ET HOMINEM .... *adversus Marcellum et alios* QUOD SINT DUAE PERSONAE *divisae* PER HYPOSTASIN. *Adversus Marcionistas autem, quod divinitas non ungatur, sed humanitas*. (2). Ergo tum patres reliqui, tum praesertim Chrysostomus duas agnoverunt in Christo personas.

356. Resp. *D. A.* At sensu longe diverso, *C.* eodem quo Nestorius *N.* Nondum enim exorta nestoriana haeresi, liberius quandoque patres loquebantur, praesertim cum de oeconomia potius mysterii, quam de mysterii theologia agebatur. Verumtamen errore detecto cautiores fuerunt in delectu verborum, ut in epistola ad Valerianum scribebat s. Cyrillus. Ceterum ss. patres interdum vocabula haec usurpasse sensu plane diverso ab eo, quem postea Nestorius protulit, diversa in utriusque adjuncta, contextus ac fidei professio omnino declarant.

357. Sic igitur distinguendum: 1. asserunt Deum assumpsisse *hominem*, id est, humanitatem, *C.* personam seu individuum humanum *N.* Qua significatione tum ecclesiae patres ac primi de schola theologi, Anselmus et Hugo Victorinus, tum ecclesia ipsa in suis precibus, illa loquendi ratione usi sunt, absque ulla labis nestorianae suspicione, concretum pro abstracto usurpantes (3). Dum vero s. Augustinus asserit, Christum esse *aliud* propter Verbum, *aliud* propter hominem, de *natura* id affirmat, non de *persona*; alioquin dixisset *alium* et *alium*, atque in eodem capite conceptis verbis unam Filii Dei et Filii hominis personam et unum Filium esse non affirmasset (4).

358. 2. Alii Christum dixerunt hominem *Deiferum*, *dominicum*, aut etiam *deificatum*, ratione hypostatici nexus inter utramque naturam, *C.* ratione moralis unionis inter utramque personam *N.* Sic enim explicant has voces s. Ma-

Stephano; *sponsam* vocavit s. Augustinus, *Tract.* VIII, *in Joan.* Horum omnium aliorumque SS. patrum in hanc rem testimonia exhibet Petavius, *De Incarn.* lib. VII, capp. 10, 11, 12, 13.

(1) Haec verba: Δύο τὸν αὐτὸν δεικνὺς, καὶ Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον, a Mutiano scholastico interprete sic vertuntur: *Duas personas et unum Deum*.

(2) Ἐνταῦθα καὶ Ἰουδαίους, καὶ τοὺς Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, καὶ Ἀρειανοὺς καὶ Μάρκελλον καὶ Σαβέλλιον ἔβαλε καὶ Μαρκίωνα. Πῶς; Ἰουδαίους μὲν, δύο τὸν αὐτὸν δεικνὺς, καὶ Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον ... πρὸς δὲ Μάρκελλον καὶ τοὺς ἄλλους, ὅτι δύο ἐστὶ ταῦτα πρόσωπα διηρημένα κατὰ τὴν ὑπόστασιν. Πρὸς δὲ Μαρκιωνιστὰς ὅτι ἡ θεότης οὐ χρίεται, ἀλλ' ἡ ἀνθρωπότης. Pag. 26, tom. XII, opp. edit. Maur.

(3) Cfr. Petav. lib. IV, cap. 12, § 6, 7.

(4) Quo spectat illud monitum Vincentii Lirinensis: « Quomodo in Trinitate *alius* atque *alius*, non *aliud* atque *aliud*? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed tamen Patris et Filii et Sp. Sancti non alia et alia, sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore *aliud* atque *aliud*, non *alius* atque *alius*? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen Deitas et humanitas non alter atque alter, sed unus idemque Christus, unus idemque Filius Dei, et unius ejusdemque Christi et Filii Dei una eademque persona ». (*Commonit.* cap. XIII.)

ximus martyr et Theodoretus ipse (1). Minus tamen castigatae ejusmodi locutiones videntur, cum Christus non praecise *Deifer*, sed *Deus*, neque *Dominicus*, sed *Dominus* sit; quod ipse advertit s. Augustinus se corrigens (2).

359. 3. Alii dixerunt Christi humanitatem *organum*, *instrumentum*, *templum* divinitatis, cum Verbo iis utente et in iis habitante atque hypostatice conjuncto, *C.* secus *N.* Nempe eo sensu, quo manus aut brachium dicitur hominis organum et instrumentum, corpus vero animi tabernaculum. Hinc neque Cyrillus ipse *instrumenti* vocabulum repudiabat (3). *Vestis* autem et *indumenti*, imo et *sponsae* voces adhibitae sunt ad significandam utriusque naturae distinctionem et proprietates (4).

360. 4. Nec magis nestorianae haeresi favet s. Joan. Chrysostomus, sive dum asserit *unum esse duo*, quod de duplici Christi natura apertissime usurpat, dicens et *Deum et hominem*; sive dum ait, quod sint *duae personae divisae per hypostasin*. Loquitur enim hic de duabus personis, Patre nempe et Filio, qui distinguuntur per hypostasin seu personalitatem uniuscujusque propriam, prout ejus scopus exigit. Sibi enim proposuerat evincere, sabellianos illis verbis refelli, qui distinctionem personarum in Deo auferebant. Hunc autem finem profecto haud assecutus esset, si de distinctione inter personam Christi divinam et humanam ejusmodi dictum usurpasset. Atque hinc factum est, ut neque Nestorius neque nestorianus aliquis unquam ad Chrysostomi patrocinium confugerit, imo et a Cyrillo et a Coelestino Papa adversus nestorianos agentibus Chrysostomi orthodoxia summopere commendetur (5).

361. III. Obj. 1. Naturam inter atque

(1) Eo tantum sensu de Christo vox *Deiferi* usurpari potest, quatenus caro Christi, seu potius humanitas, Deum ut suum habet ac proprium, hoc est, intime ac substantive conjunctum, et unum eumdemque secum factum. Cfr. Maximus Mart. in *Schol. ad cap.* 7 Dionysii *De coelesti hierar.*; Theodoretus, in *Confut. Anath.* v. Neque omittendum, s. Basilium, in lib. *De Spiritu S.* loc. cit. n. 12, et *in Psal. L*, minime vocasse Christum Θεοφόρον ἄνθρωπον, *hominem Deiferum;* sed solum ab ipso sic Christi caro vocata fuit, tum locis citatis, tam *Hom. in in Ps.* XXXIX, et *Comment. in cap.* 2, *Isaïae*, Θεοφόρος σάρξ, *caro Deifera*. Hinc merito doctus P. Fronto Ducaeus observat, Theodoretum graviter hallucinatum fuisse in reprehensione anathematismi quinti, ubi ait a s. Basilio Christum vocatum esse Θεοφόρον ἄνθρωπον. Non enim parum interest inter hominem deiferum et carnem deiferam.

(2) Ea ipsius verba, *Retract.* lib. I, cap. XIX, n. 8: « Sed non video, utrum recte dicatur *homo dominicus*, qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus: Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Sed ubique hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi ».

(3) Loc. cit.

(4) Cfr. Petav. lib. VII, cap. 13, § 5 et seqq.

(5) S. Cyrillus, *Epist. ad Clerum constantinopolitanum: Numquid*, inquit, *qui illum* (Nestorium) *antecesserunt, doctrinae fidei operam non dederunt? Numquid eloquentior est Joanne?* etc. opp. edit. Paris. 1638, tom. V, part. 2, pag. 35. S. Caelestinus, *Epist.* XIV, pariter *Ad Clerum et populum constantinopolitanum: Ut a recentioribus*, scribit, *inchoemus, quid nos animis vestris eruditio sanctae memoriae Episcopi Joannis infudit, cujus serm*

personam vel nulla prorsus vel metaphorica tantum distinctio intercedit, quae ex diversis atque in infinitum variantibus philosophorum notionibus pendet. Quis autem notionibus tam ambiguis, tam variis, tam inter se oppositis innixum dogma constituat? 2. Eo vel magis quod nullum ex creatis rebus desumi possit exemplum, quo catholicorum doctrina explicetur. 3. Certe si, amotis philosophorum subtilitatibus, rem discutiamus, perspicuum esse videtur ad hominis constituendam personam hoc unum requiri, ut mens et corpus una jungantur, 4. alioquin dubitare semper liceret, utrum nobis insit persona hominis, etsi animo praediti simus et corpore (1). 5. Quod si divina virtute fieri potuit, ut in Christo esset natura humana sine persona, atque in divini Verbi persona subsisteret, cur divinae ejusdem omnipotentiae virtute fieri non potuit, ut in Christo persona humana cum divini Verbi persona substantialiter conjungeretur? Utrumque sane miraculum est, sed hoc posterius valde convenientius, tum quia tunc revera Christus esset perfectus Deus et homo perfectus, 6. tum quia mysterium rectissime explicaretur, simulque absurda omnia vitarentur, quibus catholicorum sententia urgetur, atque illud in primis, quod de una eademque persona enuncientur ea, quae inter se pugnant. 7. Quis demum neget, personalitatem ad naturae nostrae dignitatem ac perfectionem spectare? Si eadem caruisset Christus, dignitate ac perfectione humanae naturae propria caruisset, quod nefas est dicere. Ergo.

362. Resp. Ad 1. *D.* Et ejusmodi notiones dogmati declarando, quod in divina revelatione continetur atque fundatur, accommodatae sunt, *C.* his notionibus philosophicis dogma catholicum innititur *N.* Hallucinatur itaque Bayle, dum pro certo assumit, dogma catholicum ab ejusmodi philosophicis notionibus pendere, cum contra certum sit, nonnisi serius accommodatas esse dogmati a Deo revelato ejusmodi notiones. Quemadmodum enim ex revelatione scimus, Deum unum ac simplicissimum esse, ac simul in Deo esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ita ex eadem revelatione novimus, unum eumdemque esse Christum, qui est Deus et homo. Haec semper professa est ecclesia catholica a Deo edocta. Insurgentibus vero haereticis sabellianis, qui realem Patris et Filii et Spiritus Sancti distinctionem negarunt, coepit Patrem, Filium et Spiritum S. vocare hypostases seu *personas;* quod vero iisdem commune est, seu quod unum de Deo praedicatur, vocavit *naturam*, analogia ducta ex iis, quae de natura et personis philosophi de rebus naturalibus, praesertim humanis, disserentes tradebant. Sic, cum novatores alii, quae in revelatione de uno eodemque Christo diversa praedicantur, dispescerent, ut nestoriani, vel

adstruens catholicam fidem toto orbe diffusus est? Apud Constant, *epist. RR. Pontificum* col. 1134. Sed neque necesse est, ut cum nonnullis suspicemur textum hunc s. Joan. Chrysostomi fuisse corruptum. De hoc s. Jo. Chrysostomi textu duae prostant dissertationes in *Thesauro theolog.* Zachariae, tom. IX, quarum altera inscribitur. *P. Gabrielis Danielis S. J. dissertatio de judiciis criticorum et nuperi interpretis gallici super loco S. Chrysostomi ex hom.* III, *in epist. ad Hebr. ubi nonnullis nestoriano more loqui visus est;* altera vero: *De sententia B. Joan. Chrysostomi quoad duas in Christo personas, dissertatio Ignatii Tentseher e S. Jesu.*

(1) Ita quidem Bayle, *Dict.* art. *Pyrrhon.* rem. B.

quae eidem tribuuntur, confunderent, ut eutychiani, ecclesia ipsis sese opponens, quod unum de Christo dicitur, vocavit *hypostasin*, *personam*, aut *suppositum*; quae distincte de eo enunciantur, vocavit *naturas*. Metaphysici postea, in ejusmodi voces et notiones subtilius et accuratius inquirentes, theorias suas de natura, substantia, subsistentia, persona et supposito tradiderunt juxta id, quod christiana religio ex revelatione divina de Trinitate et Incarnatione jam docebat. Quare non religio christiana a philosophia, sed a religione accuratiores suas theorias mutuata est philosophia (1).

365. Ad 2. Esto; frustra enim exemplum quaeritur ex iis, quae in creatarum rerum ambitu continentur, cum agitur de eo, quod creata omnia transcendit. Apposite huc quadrant, quae scripsit s. Augustinus, *Epist. CXXXVII, ad Volusianum*, n. 8: *Si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare; demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

364. Ad 3. *N.* Ut enim suo loco exposuimus, ad personam constituendam requiritur praeterea, ut sui juris natura sit, in se subsistat, neque cum alio veluti persona sive supposito conjungatur, a qua regatur; seu requiritur, ut habeat propriam subsistentiam, scilicet proprium existendi modum.

365. Ad 4. *Neg. sequelam*, nempe nos inde incertos esse, utrum propriam, an vero alterius cujuspiam personam geramus; intimo enim sensu intelligimus, nos in nobis subsistere, neque cum alia natura conjungi, quae rationem personae vindicet sibi ac nobis eripiat. Qua in re si falleremur, error certe refunderetur in Deum, qui non solum nos perpetuo decipi pateretur, sed invincibiliter nos in errorem impelleret, quod alienum maxime est a sapientia et bonitate divina.

366. Ad 5. Resp. 1. Fides ab auctoritate pendet; hinc non quod nobis magis minusve consonum videtur, sed quod a Deo revelatum esse constat, tenendum est. 2. In adversariorum hypothesi, tum Incarnationis mysterium tum redemptionis oeconomia destrueretur, prout supra animadvertimus. 3. Demum implicat ejusmodi hypothesis; siquidem, ea constituta, idem simul esset et non esset. *Persona* enim dicit naturam in se subsistentem suique juris. Ergo qui affirmat duas personas esse inter se hypostatico nexu conjunctas, idem asserit duas naturas esse alteram ab altera independentes suique juris, et simul dependentes et alieni juris, quod manifeste contradictionem involvit. Tantum igitur abest, ut in adversariorum systemate Deus perfectus et homo perfectus habeatur, aut mysterium rectius explicetur, ut utrumque potius penitus subruatur (2).

367. Ad 6. *Neg.* absurda, quae in doctrina catholica de Incarnatione adversarii inesse comminiscuntur, in ea contineri; apprime enim semper omnia conciliata sunt. Profecto, si pro diversis substantiis, quibus homo constat, hic recte dicitur spiritualis et immortalis secundum animam, materialis et mortalis

(1) Ex his patet, tantum abesse ut religio scientiis noceat, ut potius eas perficiat; certe veteres philosophi nec suspicati quidem sunt distinctionem inter subsistentiam et naturam.

(2) Cfr. Petav. lib. V, cap. 9, praesertim § 4.

secundum corpus, quae sibi contradicentia dici nequeunt, quia licet de eodem, sub diverso tamen respectu enunciantur; sic recte Christus dicitur aeternus, impassibilis, immensus secundum divinitatem, creatus, passibilis, limitibus circumscriptus secundum humanitatem, mediator et redemptor secundum utramque.

368. Ad 7. *D.* Ceteris paribus, *C.* si a longe superiore ac perfectiore suppleatur, ut in casu nostro, *N.* Subsistentia enim in suo conceptu nil aliud dicit nisi existendi modum alicujus substantiae. Etsi vero substantia fingi non possit in concreto, seu in rerum natura absque *aliquo* modo existendi, cum tamen hic modus varius ac multiplex esse possit, patet nullum peculiarem ac determinatum ei essentialem esse (1); potest propterea esse hic vel ille, proprius vel alienus, seu ei esse ab intrinseco aut supervenire ab extrinseco. Porro, quamvis naturalis existendi modus sit naturae perfectio, longe nobilior haec eadem evadet, si divina virtute existat natura, modo naturae excellentioris proprio, ab eaque compleatur. Jam vero in mysterio Incarnationis divina omnipotentia factum est, ut humanae naturae in ipso ejus creationis instanti communicaretur modus existendi divinae Verbi personae proprius, ita ut coeperit illa existere in Verbo, ab eo compleri ac regi. Hinc ex illo instanti persona Verbi, quae a tota aeternitate subsistebat in sola natura divina, eam sub suo peculiari respectu complebat atque regebat, coepit in tempore complere, regere ac moderari etiam naturam humanam, quae facta est ei propria, utpote quae in ea et per eam subsistat. Quis autem non videat, longe perfectius esse, naturam humanam subsistere modo divinae personae proprio quam suo, regi a persona Verbi quam a sua, ab eaque dirigi et compleri? Quot inde decora ac perfectiones, quantam sublimitatem consecuta est? Haec admirari quidem, at assequi mente non possumus. Ergo Christus non solum perfectus homo est ratione integrae naturae humanae, sed perfectissimus plane ratione personalitatis seu subsistentiae divinae, qua existit, completur et regitur.

369. IV. Obj. 1. Quamquam negari nequeat, Scripturarum effatis ad litteram intellectis semina quaedam doctrinae ecclesiasticae (nempe *catholicae*) vere inesse, et unione naturarum in Christo posita, facillime communicationem etiam idiomatum inde deduci potuisse; attamen universa haec doctrina, qualis a theologis per tot discrimina rerum sensim stabilita est, nullius est frugis ad veram virtutem consequendam; 2. imo exempli Jesu Christi, ad imitandum nobis propositi, vim quam maxime debilitat; 3. praeterea repugnat et sanae rationi et aliis quibusdam Scripturae effatis certissimis, quibus monotheismus commendatur; 4. quamobrem integrae christianorum familiae et singuli multi, recentioribus praesertim temporibus, ab ea deflexerunt. 5. Subsistamus igitur in simpliciore illo doctrinae typo, qui in ipsa Scriptura sacra nobis exhibitus est; atque hoc potissimum agamus, ut Jesum Christum pia mente colamus tamquam legatum vere divinum (Joan. XVII, 3), per quem tot ac tanta beneficia in genus humanum collata sunt, qui vere divinae voluntatis interpres regnique divini conditor est, et ipse plenus numine (τῷ θείῳ), non sine Deo talis tantusque nobis propositus (2).

(1) Nempe *in creatis;* in Deo enim proprietates personales determinatae omnino ac essentiales sunt, ideoque necessariae.

(2) Ita Wegscheider, § 128.

370. Resp. Ad 1. Id est, quamquam doctrina catholica in Scripturis contineatur (cum enim fatentur rationalistae ejusmodi doctrinae *semina vere inesse*, argumento est indubio reipsa in Scripturis eam reperiri), juxta adversarios rejici tamen debet ut inutilis, perniciosa ac rectae rationi contraria. Talis est idea, quam de sacris Scripturis ingerunt novi ejusmodi increduli, biblico velamine obducti. Ast falsum est, doctrinam catholicam de Incarnatione nullius frugis esse ad consequendam virtutem. Validiores enim stimuli addi non possunt ad virtutem consequendam, quam ii, quos dogma catholicum suppeditat, quo docemur peccata nostra Dei hominis facti sanguine esse expiata, ac Deum ipsum, humana carne indutum, nobis magistrum ac morum institutorem extitisse, prout colligit Apostolus, Hebr. X, 29, et XII, 2, 3.

371. Ad 2. *N.* Quin potius vehementer exempli Jesu Christi vim promovet catholicum dogma, juxta quod, cum Christus *esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam; et consummatus, factus est obtemperantibus sibi causa salutis aeternae . . . qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*, Hebr. V, 8, 9 et XII, 2. Cum scilicet esset Deus et Filius Dei, ultro ac sponte sibi vitam pauperem, aerumnis, contemptui doloribusque obnoxiam atque refertam, eligere dignatus est, mortemque denique atrocissimam obire, ut nobis in se exemplar virtutum omnium absolutissimum praeberet, quod imitaremur; ut praetereram gratias uberrimas, quas nobis passione ac morte promeruit ad id efficiendum. Profecto omnes scriptores sacri, ut vidimus suo loco, atque in primis Joannes, fatentibus adversariis, Christi divinitatem unanimiter praedicarunt; attamen ad unum omnes Christi exemplum sequendum proponunt. Argumento igitur est, dogma catholicum, nedum vim exempli Christi nobis propositi imminuat, ipsum potius commendare, atque ad ipsum imitandum vehementius accendere.

372. Ad 3. *N.* Nam satis non est affirmare, sed praeterea ostendere adversarii deberent doctrinam catholicam rectae rationi adversari, quod profecto numquam efficere poterunt. Recolantur modo dicta in responsione ad 7. Scripturarum insuper effatis, quibus monotheismus adstruitur, neque Trinitatis neque Incarnationis dogmata adversari abunde constat ex iis, quae suo loco disseruimus (1).

373. Ad 4. *D.* Id est, sociniani, deistae ac rationalistae, *C.* qui adhuc revelationi credunt *N.*

374. Ad 5. *Neg.* eum, quem supponunt adversarii simpliciorem doctrinae typum, qui non in Scripturis, sed in sola rationalistarum seu incredulorum mente residet; quo semel constituto, Christus non extitisset nisi vaferrimus veterator, qui non solum nulla bona in genus humanum contulisset, sed innumera mala, deceptionem, idololatriam, superstitionem abjectissimam invexisset. Nec aliam sane Salvatoris nostri, sub verborum lenocinio, ejusmodi scriptores ideam seu conceptum ingerunt. En pauca auctoris, quem impugnamus, verba: *Quum adstantibus vere expirasse* (in cruce) *visus, paucis horis post, e cruce sublatus et sedulae amicorum curae traditus, in novo sepulcro repositus esset; tamen, Deo providente, tertio die in vitam rediit, et postquam discipulos aliquoties convenerat, eosque de consilio suo, novum religionis institutum condendi atque propagandi, denuo certiores fecerat, ab iis secessit,*

(1) Tract. *De Trin.* n. 131 et seqq.

nec unquam postea ab illis conspectus est (1). Ex ungue leonem.

PROPOSITIO II.

Beata Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est

575. Propositio haec est de fide, ut patet ex concilio oecumenico Constantinopolitano II, collat. VIII, anathematismo VI, definiente, quod B. Virgo *proprie et veraciter Dei genitrix est* (2). Sic vero ejus veritatem propugnamus: Illa vere et proprie mater Dei vocatur et est, quae, licet divinitatem minime genuerit, illum tamen concepit et peperit, qui ex sacris Litteris Deus et Filius Dei vocatur et est; atqui talis est, quem genuit B. Virgo. Etenim, Luc. I, 35, dicitur: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* Apostolus item Rom. IX, 5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula;* tum Gal. IV, 4: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. Huc pariter referuntur omnia illa Scripturarum loca, in quibus Christus Deus et Filius Dei dicitur, quae prope innumera sunt (3).

576. Atque hinc factum est, ut a remotissima antiquitate, seu ab apostolica traditione denominatio ista B. Virgini tributa fuerit, cujus rei testes locupletissimos habemus duos Nestorii fautores. Joannes enim Antiochenus in Epistola ad Nestorium data, qua eum hortatur, ut, posita contentione, *nomen* illud impugnare desinat, *quod a permultis patribus compositum, scriptum et pronunciatum est* (4), subdit: *Hoc enim* NEMO *doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres; et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt* (5). Theodoretus item, in *Haeresi nestoriana*, testatur: *Antiquissimos catholicae fidei praecones,* EX APOSTOLICA TRADITIONE, *docuisse, matrem Domini memorandam, colendamque esse ut Dei genitricem* (6). Sane alii nominatim B. Virginem Θεοτόκον appellant, ut Origenes, Dionysius Alex., Alexander item Alexandrinus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, apud Petavium (7); alii aequivalentibus verbis id ipsum tradiderunt, docentes Filium Dei,

(1) § 121, ubi et illud addit: *Jesum, nonnullis V. T. effatis potissimum adductum*, firmissime sibi persuasisse, *sibi concessam messianam dignitatem, ac munus doctoris divini a Deo fuisse demandatum, et quidem ad sensum aequalium suorum accommodate*. Seu paucis: eum traducit uti vaferrimum seductorem. Profecto est nova ars, uti Scripturis ad christianam religionem destruendam.

(2) Ubi Concilium illud subdit: *Si quis abusive, sed non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam . . . anathema sit*. In *Act. Conc.* Harduini, tom. III, col. 195.

(3) Cfr. Petav. lib. V, cap. 17.

(4) Ὄνομα πολλοῖς τῶν πατέρων καὶ συντεθὲν, καὶ γραφὲν, καὶ ῥηθέν.

(5) Τοῦτο γὰρ τὸ ὄνομα οὐδεὶς τῶν ἐκκλησιαστικῶν διδασκάλων παρήτηται· οἵτε γὰρ χρησάμενοι αὐτῷ πολλοὶ καὶ ἐπίσημοι· οἵ τε μὴ χρησάμενοι οὐκ ἐπελάβοντο τῶν χρησαμένων. In *Act. Concil.* Harduini, tom. I, col. 1329.

(6) *De Haer.* lib. IV, cap. 12, tom. IV, pag. 245: Τῶν πάλαι καὶ πρόπαλαι τῆς ὀρθοδόξου πίστεως κηρύκων, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, Θεοτόκον διδαξάντων ὀνομάζειν, καὶ πιστεύειν τὴν τοῦ Κυρίου μητέρα.

(7) Lib. V, cap. 15.

semel ex Patre genitum, rursus ex Maria Virgine altera generatione prodiisse; quos iterum longo agmine recenset laudatus auctor aliique post ipsum non solum inter catholicos, verum etiam inter protestantes (1). Sed quod communem et translatitiam apud christianos vocem illam extitisse maxime ostendit, est amara irrisio, qua impius apostata Julianus christianos exagitabat, quod Christi matrem Dei genitricem nominarent: *Atqui vos*, inquit, *Mariam non cessatis vocare* Θεοτόκον, *id est, Dei genitricem* (2). Constat igitur, tum receptam tum universalem hanc vocem fuisse, et cum vocabulo fidem per ipsum significatam de vera ac proprie dicta divina B. Virginis maternitate, antequam Nestorius novam doctrinam inveheret.

377. His accedit ratio theologica, et quidem multiplex, qua idem dogma adstruitur. Terminus generationis est persona, seu totum et integrum suppositum; haec autem, ut demonstravimus, in Christo, quem genuit B. Virgo, unica est, eaque divina, regens utramque naturam; ergo B. Virgo, quae genuit personam divinam, seu Deum in assumpta carne, Dei genitrix vere et proprie est, ac talis est nuncupanda. Rursum: Dei et hominis Filius unus idemque est Christus; hunc autem, fatente Nestorio, Beata Virgo genuit; ergo, hoc ipso quod Virgo Christum genuerit, vere Filium Dei genuit, adeoque Dei genitrix jure meritoque nuncupatur et est. Alioquin in duos Filios secare Christum deberemus, quod absurdum est, atque, ut ex dictis patet, constanti ecclesiae catholicae fidei et Scripturarum effatis repugnat. Nec dissimilis est ratio hujus appellationis, quae petitur ex eo, quod in utero Virginis Verbum carnem sibi assumpserit, feceritque sibi propriam, ex quo Deus homo esse coepit; quas quidem rationes patres attulerunt et illustrarunt (3).

378. Dogmate porro vindicato, ad praecavendas difficultates, quibus illud tum nestoriani tum increduli impetere solent, animadvertenda haec sunt: Alicujus pater aut mater naturalis esse quis potest duplici ex capite; vel *generatione*, quae definiri solet: *Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae;* vel *unione hypostatica* duplicis substantiae, uti esset animae et corporis, cum sermo est de homine, aut etiam naturae divinae et humanae, cum sermo est de Christo. Jam vero ratione *generationis* prima divinarum personarum est Pater Verbi, quod communicatione suae propriae substantiae ab aeterno gignit, et B. Virgo est mater Christi, cui propriam substantiam communicavit, prout homo est; ratione vero *suppositi* seu *unionis hypostaticae* eadem prima Trinitatis persona est Pater Christi, etiam prout homo est, et B. Virgo est mater Christi, prout ipse Deus est. Quare Christus, qui est Verbum caro factum, consubstantialis est Patri secundum divinitatem, consubstantialis est matri secundum humanitatem, ratione duplicis generationis et originis, aeternae scilicet ac temporalis; cum vero utraque natura propria sit ejusdem personae divinae seu sup-

(1) Inter ceteros eminent Suicerus in *Thesauro*, verbo Θεοτόκος, Pearsonius, in *Expositione symboli apostolici*, et Joan. Ernestus Grabius, tom. ult. edit. LXX Interpretum.

(2) Cyrill. opp. tom. VI, pag. 262: Θεοτόκον δὲ ὑμεῖς οὐ παύεσθε Μαρίαν καλοῦντες.

(3) Cfr. Petav. lib. V, cap. 17.

positi, ratione ejusdem personae est filius utriusque (1).

579. Exinde colligimus, 1. latius patere terminum *filiationis* quam *generationis*, quia *filiatio*, ut cum schola loquamur, se porrigit etiam ad eum, cui quis non dedit originem ex eadem substantia; *generatio* vero non item. Colligimus, 2. quo sensu B. Virgo sit et dicatur Deipara, nempe ratione hypostaticae unionis Verbi cum humanitate, cui humanitati ipsa originem dedit, quemadmodum et Deus Pater Christi pater est, prout nempe humanitas ejus a Verbo in unitate personae assumpta est. Quae si probe teneantur, nullo negotio retundentur, quae adversus propositam thesim tela conjiciunt Deiparae osores.

DIFFICULTATES

580. I. Obj. 1. B. Virgo divinitatem non genuit, nec divinitati originem dedit, quod tamen ad matrem constituendam requiritur. Ergo Dei genitrix seu mater B. Virgo nec est, nec dici potest. 2. Ejusmodi praeterea denominatio eunomianorum et apollinaristarum errori favet, qui naturas in Christo miscebant, et libenter divinae Christi naturae ea adscribebant, quae abjecta quodammodo et vilia de eodem Christo in Scripturis recensentur. 3. Ceterum, cum homo per se proprieque dumtaxat genitus sit, non autem Deus qua Deus est, non proprie *Dei genitrix* est Maria vocanda, quae catenus solum Deum genuit, qua-

(1) Cfr. Petav. lib. VII, cap. 5, § 5, ubi proposito sibi dubio: *Non videtur Filius esse naturalis Dei Patris homo Christus, quoniam non de illius substantia, quatenus est homo, genitus est*, respondet, quidpiam nobis per Incarnationis mysterium innotescere, quod humana numquam consequi sapientia, ac ne suspicari quidem potuisset. Atque illud primo constituit, in *filii* notione duo quaedam contineri, sine quibus intelligi non potest, alterum, ut sit aliqua communicatio substantiae naturaeve, vera generatione facta; alterum est, proprietas ipsa, sive forma relativa termini producti, quae originis principium respicit. Quo posito, pergit eximius theologus, duplicem ex Incarnationis mysterio didicimus esse viam ac rationem, qua utrumque, hoc est, et communicatio naturae, et forma, sive proprietas relativa, quam *filietatem* vocant, obtinetur. Primus modus est, cum terminus ipse, qui Filius dicitur, vera et proprie dicta generatione communicatam sibi naturam illam accipit, a qua denominatur; ita ut *physice*, ut in scholis loquuntur, et *formaliter* gigni, vel ut sit habere dicatur. Sic in Trinitate Verbum vera generatione communicatam accipit essentiam a Patre, qua est hic Deus; ac *formaliter* generatur: ideoque proprie dictus est Filius, quod in omnibus etiam creatis filiis universe reperitur. Posterior modus, cujus nobis Incarnationis fides notitiam attulit, per substantivam unitionem et applicationem fit ad prioris generis terminum: cum peregrina alioqui natura, nec vera generatione transfusa, eo ipso filii proprietatem excipit, quod cum vero et naturali filio, hoc est, cum divina natura divinae itidem *filietatis* modificata proprietate, naturaliter et substantive conjungitur in unam personam, et unum adeo eumdemque filium. Sic humana natura, non illa quidem generatione procedit vel communicatur a Patre, neque Christus, qua homo est, gignitur a Deo; neque Dei similitudinem naturalem aut imaginem habet, quod filii conditio postulat. Verum naturali copulatione cum Verbo conjuncta, eadem unitione communicatam sibi divinitatem obtinet ac divinitatis modum, sive proprietatem, qua Verbum constat, quae *filietas* dicitur. Ideo proprie dictus et naturalis est Dei Filius, non generatione, sed unitione, quatenus ut homo est spectatur.

tenus homo ille, qui ex ea natus est, cum Deo conjunctus erat, ac Deus per uterum Virginis solum *transiisse* (παρῆλθεν) dicendus (1); 4. eo vel maxime quod implicet, duas substantias ex una substantia generari. 5. Hinc, qui Mariam vere ac proprie Dei genitricem vocandam esse contendunt, divinitatem ei adscribant ac Deam faciant necesse est, cum mater debeat esse consubstantialis ei, quem gignit, quo nihil absurdius excogitari potest; atque ethnicis passim a christianis exprobratum invenimus, quod Cybelem aliasque matres deorum facerent. 6. Quare, ne Scriptura nos in ejusmodi superstitionem conjiceret, nusquam hanc vocem usurpat; 7. nec satis unquam commendari Nicaenorum patrum prudentia potest, qui Dominum Jesum Christum quidem, non autem *Deum* ex Maria genitum dixerunt, nec Virginem *Theotocon* compellare sustinuerunt. Ergo.

381. Resp. Ad 1. *D.* Et hac de causa B. Virginem Dei genitricem esse aut appellandam catholici contendunt, *N.* et eo nomine honorandam B. Virginem docent, quod cum genuerit, qui per hypostaticam unionem subsistit in Verbo *C.* Hinc negamus, quod nestoriani assumunt, ad matrem nempe constituendam requiri, ut originem det substantiae, quae ex ea nascitur. Matres enim nostrae tales reipsa vocantur et sunt, etsi animae originem minime tribuant, attamen tales censentur, quia terminus generationis est natura subsistens, seu totum suppositum aut persona; cum vero talis persona humana sit, id est, homo, hinc ejus mater vocatur mater hominis; si autem haec persona divina, scilicet Deus sit, cujusmodi in Christo esse ostendimus, ejus mater vocanda est mater Dei (2). Verum recolantur, quae in hanc rem adnotavimus.

382. Ad 2. *N.* Haec enim putida calumnia est, a qua catholicae fidei professio est prorsus aliena, quae semper agnovit utriusque naturae cum suis proprietatibus et operationibus distinctionem in Christo, ut nos paulo post ostendemus. Falsum praeterea est, sive arianos, sive apollinaristas et haereticos ceteros vocem *Theotocon* vero ac legitimo sensu arripuisse (3).

383. Ad 3. *D.* Homo subsistens in persona Verbi, *C.* homo aut in abstracto, aut subsistens personalitate propria *N.* Haec enim hujus erroris princeps causa extitit, quod Nestorius homini Christo, jam constituto atque perfecto subsistentia propria, Deum accessisse, eique se copulasse conjunctione morali autumaverit, quare Deum *transiisse* per Mariae uterum, *non* autem *genitum*, modo seu ratione exposita, ab ea esse dictitabat; cum tamen non coeperit existere Christi humanitas nisi in Verbo, quod eam efformando, et, si de anima sermo sit, creando assumpsit, suamque effecit.

384. Ad 4. *D.* Separatas seu disjun-

(1) Ita Nestorius apud Cyrillum lib. I, contra ipsum, tom. VI, pag. 10.

(2) Cfr. Petav. loc. cit. cap. XIX, § 1 et seqq.

(3) Apollinaristae et eutychiani, autumantes naturam Christi humanam, seu potius ejus carnem e coelo delapsam, non autem ex B. V. substantia assumptam, non alio sensu eidem B. Virgini titulum Θεοτόκου tribuebant, quam quod ipsa pepererit Christum. Hinc non sensu catholico, a quo illi abhorrebant, nempe *gignendi*, sed tantum *pariendi* eidem Virgini nomen *theotocon* accommodabant. Ceterum graeca vox τίκτειν non tantum *parere*, sed etiam *gignere* significat, ut notum est. Cfr. Suicerus in *Thesauro eccles.* ad vocem Θεοτόκος.

ctas, *C.* hypostatico nexu consocialas ratione subsistentiae divinae *N.* Responsio patet ex dictis (1).

385. Ad 5. *N.* Ex praemissa enim animadversione, ut quaepiam mater sit, satis est ut originem dederit naturae, quae subsistat in tali supposito seu persona, quae ex ea nascitur. Hinc B. Virgo consubstantialis est Christo in natura humana, quae subsistit in persona divina. Atque inde cetera corruunt, quae superextruuntur de matribus deorum, quae in systemate ethnicorum censebantur vere dedisse originem ipsi naturae divinae, a quo erroris portento longe absunt catholici.

386. Ad 6. *D.* Quoad sonum materialem, *C.* quoad rem ipsam per vocem expressam, sive aequivalenter *N.* ut ex dictis constat (2).

387. Ad 7. *D.* Nulla urgente causa, seu nemine suspicionem in eam vocem ingerente, *C.* rem ipsam non tradiderunt *N.* Hoc ipso enim quod Nicaeni patres unum Christum, seu unam Christi personam professi sunt, eumque dixerunt Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, conceptum de Spiritu Sancto et natum ex Maria Virgine, hanc vere Dei genitricem esse declararunt. Quod si vocem ipsam non protulerunt, ecclesiae morem secuti sunt, quae numquam consuevit ea definire, quae in controversiam non vocantur.

388. II. Obj. Etsi anima intimo quoque nexu corpori uniatur, inepte tamen mulier vocaretur animae mater, sed hominis mater dici debet; ergo, etsi natura divina hypostatico nexu cum humana jungatur, attamen B. Virgo non Dei sed Christi mater est appellanda. 2. Rursus, si illa Dei mater vocanda est, quia ex illa natus est Dei Filius, cur Deipater non vocetur Spiritus Sanctus, de quo eumdem conceptum fuisse in symbolo profitemur? 3. Verum his omissis, nec vere nec proprie, si strictius loqui velimus, Dei matris nomen B. Virgini competit, neque expedit tali titulo eam salutare. Nec *vere* nec *proprie*, quia, ut ratiocinatur Bayle, numquam femina vocaretur mater Angeli, quae corpus humanum gigneret, cui ipso conceptionis instanti Angeli persona

(1) Praeclare Ferrandus diaconus, cum sibi illud opposuisset ex haereticis: « Ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, *ita respondit :* Veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo et mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est, nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit; sed adunando eam sibi proprie nata est . . . Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas; in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero: Maria semper Virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum caro factum proprie genuit ». *Epist. ad Anat.* § 17, in *Biblioth. Patrum* Galland. p. 353, tom. XI.

(2) Sane s. Elisabeth, Luc. 1, 43, vix non conceptis verbis B. Virginem Dei matrem nuncupavit, dicens: *Et unde hoc mihi, ut veniat* mater Domini mei *ad me?* Quo autem sensu hic *Domini* nomen acceperit, patet ex v. 45: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi* a Domino; ubi *Domini* nomen pro *Dei* nomine eam usurpasse nullum dubium esse potest. Quare eodem sensu B. Virgo erupit in illa verba: *Magnificat anima mea Dominum.*

conjuncta esset unione hypostatica. Deiparae igitur appellatio ex hypostatica unione necessario minime sequitur (1). Quin potius, Deiparae appellatione semel admissa, Dei quoque avum et aviam, aliosque vario conjunctionis vinculo cum Deo conjunctos agnoscamus necesse est, quod quidem quam absurdum sit nemo non videt; sane Romae proscriptus est liber Joannis Thomae a s. Cyrillo, *De laudibus B. Annae*, in quo auctor docuerat Annam Verbi incarnati esse aviam. Sed neque *expedit* B. Virginem Deiparam compellare, cum hoc nomen erroris causam afferre possit, maxime vero imperitis, qui existimare facile possunt, Dei matrem divinitatem ipsam genuisse. Ergo.

389. Resp. Ad 1. *D.* Si generatio ad hanc vel illam seorsum geniti partem referretur, *C.* si ad suppositum ipsum, ut saepius diximus, *N.* Jam vero una est in Christo persona, quam genuit Maria cum humana natura conjunctam; jure igitur Dei matris nomen et rem sibi vindicat, ut caeterae matres hominis matres dicuntur, etsi animam non procreent.

390. Ad 2. Resp. Spiritui Sancto denominationem Deipatris minime competere, quia nihil de suo contulit ad Christi conceptionem, si excipias tantum fecunditatem, quam virtute et efficacia sua Mariae tribuit (2).

391. Ad 3. *Neg.* quoad utrumque membrum. Ac *primo* quidem, si severius loqui velimus, B. Virgini potius competit titulus Deiparae, quam competat ceteris mulieribus titulus matris cujusdam hominis; quia in ceterorum hominum conceptu, ex communi sententia, prius est corpus quam anima, quae corpori non accedit nisi organis vitae jam instructo; contra vero nec ullo temporis puncto Christi corpus sine anima in Virginis utero extitit, ac propterea antequam subsisteret integra ejus humanitas, hypostatico nexu conjuncta cum divini Verbi persona. *Secundo* maxime expedit B. Virginem Deiparae titulo honestare; quia in hac una vocula plena catholicae fidei professio continetur adversus impietatem nestorianorum, photinianorum, arianorum, sabellianorum, ac novissime socinianorum, rationalistarum, eorumque omnium, qui eamdem fidem labefactare quoquomodo ausi sunt, quibus propterea odiosus nimis et ingratus ejusmodi titulus effectus est.

392. Neque obstat, 1. quod de Angeli matre a Bayle opponitur; nihil enim vetat, quominus in tali hypothesi vere Angeli mater illa diceretur, cum eadem rationum momenta vigeant.

393. Non obstat, quod additur de Dei avo et avia, dummodo addatur *secundum carnem*; cujus assertionis argumento sunt Christi Domini fratres et sorores, qui in Scripturis commemorantur, in quibus pariter Christus dicitur filius Abrahae ac filius David; quin et David ipse *Deipater* a veteribus interdum appellatus est (3). Quid igitur erit absurdi, si dicamus, Deum in assumpta car-

(1) *Dict. hist.* art. *Nestorius*, remarque *A*.

(2) Cfr. de hoc argumento Petavius, lib. VII, cap. 5, § 1-5. De obscuro S. Hilarii loco ex lib. X *De Trin.* § 16, ubi negare videtur B. Virginem corpori Christi originem dedisse, quo tantopere abusus est Erasmus, cfr. P. Coustant, tum in nota in hunc loc. tum in *Praefatione generali*, quam praemisit novae a se adornatae editioni, n. 41 et seqq.

(3) Cfr. Suicerus in *Thesauro ecclesiast.* ad vocem Θεοπάτωρ, et ad vocem Δαυίδ, n. 11. ubi plures recenset patres graecos, qui hoc nomine Davidem compellarunt.

ne habuisse avum et aviam et proavos et cognatos ?

394. Quod si Romae proscriptus fuit liber Thomae a s. Cyrillo, non praecise ille liber proscriptus est, quod Annam Dei aviam dixerit, sed propter consectaria, quae inde deducebat, Annam videlicet esse socrum Spiritus Sancti, Angelorum dominam, cognationem habere divinam, atque in ipsa hypostatica unione partem aliquam habuisse. Quae partim insolentia sunt et nimis dura, partim a veritate remota (1).

395. Non obstat denique, quod opponunt de erroris causa, quam afferre posset hoc nomen, dummodo fideles catechismum edoceantur, ipsisque ejus vocis vis et sensus exponatur. Si tamen adeo bardus existat, qui in animum inducat suum, B. Virginem originem divinitati dedisse; prout nemo est qui censeat, animam a matribus procreari, etsi illae homines gignere dicantur.

396. Dices : saltem negari nequit, hunc titulum tributum B. Virgini principium dedisse superstitioni, quae in ecclesia Catholica ex eo tempore inolevit, et eo progressa est, ut in turpem sit idololatriam delapsa. 2. Hinc melius meritus de ecclesia Nestorius fuisset, si praevalere potuisset, quam Cyrillus, qui contra jus et regulas omnes vi et machinis adversarium suum oppressit (2). Ergo.

397. Resp. Ad 1. *N.* 1. Quia cultus erga B. Virginem anterior est haeresi nestoriana, ac propterea concilio Ephesino, ut suo loco ostendemus; 2. quia ex allatis documentis constat, titulum *Deiparae* delatum fuisse B. Virgini a primis ecclesiae patribus, nec superstitioni locum dedisse. 3. Propter confessionem ipsiusmet Bayle, qui aperte fatetur, easdem consecutiones ex titulo *Matris Christi* proficisci ac ex titulo *Matris Dei* (3). Quod vero additur de supposita idololatria in ecclesia Romana, pariter idoneo loco diluemus (4).

398. Ad 2. *N.* Nestorii enim triumphus fuisset christianae religionis subversio, cum everteret haeresi sua totum Incarnationis mysterium. S. Cyrillus, ut ex certissimis ac luculentis documentis constat, omnes tentavit vias ad abducendum Nestorium ab errore suo. Sed nec ipse, nec s. Coelestinus, nec ipsius Nestorii amici unquam ejus pervicaciam vincere potuerunt. Quare nonnisi perditae conscientiae ac nullius fidei homines ejus patrocinium suscepere (5).

(1) Sane, ut patet ex Indice librorum prohibitorum, non absolute hujusmodi liber damnatus est, sed cum clausula : *donec corrigatur*.

(2) Ita Bayle, art. *Nestorius*, *Junon*, etc. et cum ipso protestantes passim.

(3) Ea verba ipsius, art. cit. *Nest.* remarque A : « Il me semble, au reste, que les abus par rapport au culte de la Sainte-Vierge étaient à craindre également, soit qu'on l'appelât Mère de Jésus-Christ, soit qu'on l'appellât la Mère de Dieu. Car jamais sans doute les dévots les plus outrés n'ont cru que le Verbe, en tant que tel, ait reçu de la Sainte-Vierge sa vie et sa substance, comme les enfants la reçoivent de leurs mères. Et il est sûr qu'en pressant les conséquences du titre de Mère de J.-C., comme on a pressé les conséquences du titre de Mère de Dieu, on aurait pu parvenir au culte de la Sainte-Vierge aussi promptement que l'on a fait . . . Ceci réfute ceux, qui trouvent dans la conduite de Nestorius quelque chose, qui était capable de prévenir l'idolâtrie ». Quomodo autem hic auctor sibi cohaereat, ipse viderit.

(4) In tract. *De cultu Sanctorum*.

(5) Satis est oculos conjicere in *Acta Conciliorum*, part. 1, act. concilii Ephesini, ut pateat ex documentis, quae ibidem af-

ARTICULUS II.

De Adoptianismo

399. Nestorianismi propago est *Adoptianismus*, quem sec. VIII. labente Felix episcopus Urgellitanus et Elipandus archiepiscopus Toletanus in Hispaniam primum intulerunt, ac dispertitis inter se provinciis longe lateque propagare irrito conatu sategerunt. Docti et eruditi viri in Galliis, Italia ac Germania obstiterunt istorum conatibus, ac plura celebrata concilia per eam aetatem fuerunt in diversis locis, a quibus unanimiter error ille proscriptus est (1).

400. In eo autem adoptianismi perversitas sita erat, ut pro numero naturarum in Christo totidem filios respectu Dei Patris distinguerent, alterum scilicet *naturalem* secundum naturam divinam, alterum *adoptivum* secundum naturam humanam. Cum vero terminus *filiationis*, ut vocant, sit persona, duas propterea personas in Christo cum Nestorio ab adoptianis seu felicianis, ita dictis a praecipuo haeresis auctore, admitti debuisse consequens erat (2). Quare Christum, prout homo est, *gratia* et *adoptione* filium Dei esse autumabant, et *servum* dicebant.

401. Ut omnis ambiguitas tollatur, juverit in primis secernere, quae in hac controversia fidei dogma attingunt, ab iis quae, salva fide, a nonnullis disceptata sunt. Est fidei dogma, Christum agnoscendum esse ut unicum Filium naturalem Dei, existentem in duabus naturis, divina nempe et humana, quae simul hypostatice junctae, non sunt nisi unus Christus. Idcirco Christus, prout *hic homo* est in concreto, est Filius naturalis Dei, quia ob unionem hypostaticam ejus humanitas subsistit in persona Verbi divini. Quatenus vero natura humana *in abstracto*, seu per mentis operationem, concipitur distincte a divini Verbi persona, in qua subsistit, utrum possit dici *adoptata* nec ne, haec quaestio fidem ipsam non afficit. Sane partem affirmantem Scotus, Durandus nonnullique alii scholastici tenuerunt. Ipsi viderint. Nobis plane otiosa et aleae plena

feruntur ante concilii celebrationem, quot vias pertentaverit s. Cyrillus privatis admonitionibus, deinde publicis, ut Nestorium ab impia doctrina, quam praeconceperat, revocaret. Ibi pariter occurrunt epistolae s. Coelestini Papae, Joannis Antiocheni aliorumque ad eumdem Nestorium datae. Verum adversus anonymum impugnatorem Cyrilli, cfr. Petavius lib. VI, *De incarnat.* cap. III et seqq. Cfr. etiam *Histoire du Nestorianisme*, par le P. Louis Doucin, S. J. qui egregie defendit s. Cyrillum et concilium Ephesinum, ac refert praeterea Dupinium, qui iniquior fuit in S. Cyrillum, in nova sua Bibliotheca loco superius citato, de pristina sententia discessisse. Pro eodem Sancto scripserunt Thomassinus, Leo Allatius, in *Vindiciis synodi ephesinae*, et Cotelerius, tom. I; *Monum. eccles. graecae*.

(1) Cfr. eruditissimi Joan. Francisci Madrisii, *De Felicis et Elipandi haeresi historico-chronologica dissertatio*, in calce opp. S. Paulini Aquileiensis, Venet. 1737.

(2) Notandum tamen est, adoptianos non docuisse duas in Christo admittendas esse personas; nimis enim aperte fidem in oecumenicis conciliis anterioribus saepius definitam impugnassent, atque hoc ipso se haereticos esse nestorianos professi essent, quod ipsi maxime cavebant; attamen hic error ex eorum principiis profluebat; hinc videmus, ab illius aevi scriptoribus hunc errorem adoptianis perpetuo objici atque adscribi. Cfr. Joan. Wesselius in *Nestorianismo et adoptianismo redivivo*, cap. 3, tum Madrisius, diss. cit. pag. 207 et seqq.

videtur ea sententia, ut cuilibet rem bene perpendenti patebit (1). Verum ex his colligimus, minus accurate a nonnullis auctoribus propositionem catholicam his verbis enunciari : *Christus, qua homo, non fuit Filius Dei adoptivus, sed naturalis*, cum dici debuisset: *Christus, qua hic homo, non est Filius Dei adoptivus, sed naturalis ;* alioquin permiscetur dogma fidei cum quaestione mere scholastica.

402. Arrepta occasione duplicis recensitae controversiae, dogmaticae scilicet atque scholasticae, nonnulli tum inter catholicos, tum potissimum inter protestantes contenderunt, Felicem et Elipandum cum suis asseclis non de natura Christi humana in concreto, sed solum in abstracto spectata, docuisse Christum, qua homo est, esse Filium Dei adoptivum ac servum (2). In hac hypothesi tota illa discrepatio, qua conturbata ecclesia est, non fuisset nisi pura logomachia. Veneratio autem, quam erga ecclesiam profitemur, et novatorum vafrities eorumque aperta confessio vetant, quominus in ejusmodi sententiam concedamus. Adde, nobiscum sentire testes coaevos, qui ab ipsorum adoptianorum ore verum illorum sensum acceperunt ; recolantur quae diximus de Nestorio, quae huc pariter collimant. Rejecta igitur istorum temeritate, atque in pleno lumine controversiae nostrae statu collocato, sit

PROPOSITIO

Jesus Christus est Filius Dei naturalis, non autem adoptivus

403. Propositio haec est de fide, prout definitum est in concilio Francofordiensi, in epistola synodica approbata a Romanis Pontificibus, praesertim vero ab Hadriano I. atque ab universa ecclesia, ubi Christus in utraque subsistens natura declaratur *Filius Dei proprius et naturalis, nequaquam adoptivus* (3).

(1) Etenim, ut superius animadvertimus, humana Christi natura in abstracto et per mentis operationem distincta seu separata a divinitate spectari nequit ; nam non esset amplius subsistens, siquidem tota subsistentia hujus humanitatis est persona divini Verbi; hac porro subsistentia sublata, neque existeret in rerum natura ejusmodi humanitas. Nihil enim existit in concreto nisi per subsistentiam. Praeterea humanitas Christi separata a divinitate non esset amplius humanitas Christi, sed alterius cujuscumque, qui non esset Christus ; *Christi* enim notio necessario involvit notionem Verbi incarnati. Ex utroque propterea capite liquet, non solum otiosam, sed periculi plenam recensitam quaestionem esse.

(2) Ita Vasquez, in III part. s. Thom. disp. 89, cap. I et seqq. et post ipsum Juvenin, *Diss.* VI *De Incarn.* q. 4, aliique pauci. Cum his vero catholicis auctoribus confundi non debet Walchius, qui in sua *Adoptianorum historia*, Gotting. 1755. contendit immerito s. Paulinum Aquileiensem, Alcuinum, Patres Francofordienses, Hadrianum Papam nestorianos errores Felici et Elipando affinxisse, cum eorum mentem assecuti non fuerint. Idem dicatur de Basnagio, qui tom. II *Thesauri monum. eccles.* n. v. aperte pronunciat : *Nos ingenue fatemur, meram fuisse logomachiam, quae saepius occurrit apud theologos*. Quem passim protestantes secuti sunt, ut Dorscheus, Georg. Callixtus, Spanhemius, Mosheimius, Iablonski, etc. ut concilia et Romanos Pontifices imperitiae atque fanatismi arguerent. Cfr. Madrisius, *De Felicis et Elipandi haeresi, dogmatica dissertatio* III loc. cit.

(3) Cfr. *Acta Conc.* Hardouini, tom. IV col. 886.

404. Jam vero in sacris Litteris verus, proprius atque unigenitus Dei Filius vocatur ille, in quo Pater sibi complacuit Luc. III, 22; quem dedit pro mundi salute, atque pro nobis omnibus tradidit, Joan. III, 16; Rom. VIII, 32, atqui Pater complacuit sibi in Christo homine recens baptizato, eumdem vero dedit et tradidit, ut ad redimendos homines crucifigeretur, non fuit autem crucifixus nisi ut homo; ergo Christus, etiam ut hic homo est, verus, proprius, unigenitus Filius Dei est; adeoque non adoptione seu gratia, sed natura est Dei Filius. Rursus: quem Petrus Filium Dei confessus est, Matth. XVI, 16, quem tamquam Dei Filium caecus natus adoravit, Joan. IX, 38, quem tamquam affectatae divinitatis reum Caiphas traduxit, est Christus homo; ergo Christus homo est et naturalis Filius Dei.

405. Patres unanimes sunt in hac veritate adstruenda, ut patet 1. ex illis omnibus testimoniis, quibus Christi divinitatem adstruunt, quaeque suo loco retulimus (1); 2. ex illis omnibus, quibus tum ante tum post exortam Nestorii haeresin unam eamdemque Christi personam praedicant, unum eumdemque Dei hominis Filium Jesum Christum esse docent, quae pariter jam retulimus; quibus addere placet verba concilii oecumenici Chalcedonensis, in cujus fidei professione patres ajunt: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum et eumdem confiteri Filium et Dominum Nostrum Jesum Christum communi omnes consensu docemus* (2). 3. Huc accedunt fidei symbola, in quibus Christus perhibetur ut Filius Dei, qui natus est ex Maria Virgine. Jure propterea synodus Francofordiensis auctorem haeresis adoptianae ita compellat: *Tu vero, quisquis es, qui Christum praedicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire; ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchae nescierunt, Prophetae non dixerunt, Apostoli non praedicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostrae non docuerunt* (3).

406. Ratio demum theologica ineluctabilis adversus adoptianos ex ipsa adoptionis natura desumitur. Adoptio enim est assumptio personae extraneae in propriam haereditatem (4); atqui Christus qua hic homo est, dici nequit persona Deo extranea, nisi duas in ipso personas Dei et hominis esse velimus. Cum igitur Christi Dei et hominis una sit persona, Filius Dei proprius et naturalis, necessario consequitur, Christum, et qua Deum et qua hominem, sensu exposito, naturalem esse Dei Filium, neque enim filii ratio ad naturam, sed ad personam refertur (5).

407. Et hic ad praeoccupandas difficultates, quae moveri possunt adversus thesin a nobis propugnatam, revocari in mentem debent, quae adnotavimus in causa nestorianismi, praecipue vero discrimen, quod intercedit inter *filiationem* et *generationem*, quod ista scilicet communicationem ejusdem substantiae exposcat, illa vero non item, sed solam hypostaticam unionem.

(1) Tractat. *De SS. Trinitate*, n. 203 et seqq.

(2) Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Χριστὸν συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν. *Acta Conc. Chalced.* actio. v, in *Coll.* Hard. tom. II, col. 455.

(3) In cit. *Epist. synod.* l. c. col. 982.

(4) Cfr. Petav. lib. VII, cap. 1, §§ 3 et 4, in quibus dilucide adoptionis naturam et conditiones evolvit.

(5) Cetera argumenta in unum collecta, quibus usi sunt adoptianismi impugnatores, vide apud Petav. loc. cit. cap. 5.

DIFFICULTATES

408. I. Obj. Apostolus de Christo homine loquens, ejusdem ac nos conditionis eum esse affirmat ; 1. etenim, Rom. VIII. 17, de hominibus justis, *qui sunt filii Dei*, ait : *Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi ;* 2. et v. 19, Christus vocatur ab eodem Apostolo *primogenitus in multis fratribus*. Si igitur hominis Christi *cohaeredes* sunt justi, si ipse, qua homo, primogenitus in multis fratribus est. gratia et adoptione filius Dei Christus homo, perinde ac justi, dicendus est, non natura. 3. Quod clarius etiam apparet ex iis, quae cap. I, 4, ejusdem Epistolae scribit de Christo B. Apostolus : *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ;* quae profecto praedestinatio non est nisi adoptio in filium ; non autem adoptatus est Christus in filium secundum naturam divinam, ergo secundum naturam humanam, qua sola Christus vere est Filius Dei adoptivus. 4. Haec vero omnia patrum auctoritate confirmantur, qui passim Christo secundum naturam humanam tribuunt adoptionem in Filium Dei ; praesertim vero s. Hilarius, qui lib. I. *De Trin.* aperte scribit : *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Ergo.

409. Resp. *N. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Cohaeredes Christi, id est, participes effecti illius haereditatis, quae Christo competit ut naturali Filio Dei, *C.* id est, participes communis illius haereditatis, quae Christo proveniat titulo adoptionis *N.* Non solum hoc nusquam tradidit Apostolus, sed oppositum plane docuit, Hebr. III, 5. et 6.

410. Ad 2. *D.* Primogenitus, quatenus Christus frater noster fieri dignatus est per *gratiam unionis*, ut loquitur s. Thomas, sibi copulans nostram naturam, *C.* per *gratiam adoptionis*, cujus est incapax *N.* Alioquin idem Apostolus, ib. v. 32, minime vocasset Christum *Filium Dei proprium et suum ;* nec s. Joannes, I, 14, Christum pariter *Unigenitum a Patre* appellasset.

411. Ad 3. *D.* Praedestinatus est ad gratiam unionis, *C.* adoptionis *N.* Ita hunc locum post s. Augustinum exponit s. Thomas, part. III, q. 24, art. 1, qui adnotat, aeternam praedestinationem Jesu Christi in Filium Dei respicere seu habere pro objecto gratiam unionis duarum naturarum, quae fieri debebat in tempore, et per quam Deus factus est homo, et homo Deus. Unio quippe duarum naturarum in persona Christi cadit sub aeterna praedestinatione, et ratione hujus Christus dicitur praedestinatus Filius Dei (1).

412. Ad 4. *N.* Multiplici porro ratione et catholico sensu patres interdum adoptionem Christo tribuunt secundum humanam naturam ; ac 1. improprie dictam, quatenus significant, humanam Christi naturam *susceptam* atque *assumptam* fuisse a Verbo in suae personae

(1) Praestat apponere ipsius sancti Doctoris verba : « Praedestinatio proprie accepta, *inquit*, est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab aeterno non praeordinaverit hoc se facturum in tempore ; quia sequeretur quod divinae menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub aeterna Dei praedestinatione ; et ratione hujus, Christus dicitur esse praedestinatus ». Cfr. etiam Petav. loc. cit. cap. 4, §§ 5 et 6.

unitatem. Latinis quippe scriptoribus idem saepe est adoptare ac *eligere*, *adsciscere*, *suscipere* atque *assumere*, quidquid tamen illud sit quod adsciscitur, sive filius, sive quidvis aliud. Unde Cicero in Verrem: *Quem sibi illa defensorem sui juris.... adoptavit*, hoc est, assumpsit, destinavit, elegit. Sic, ceteris omissis, Ovidius ait: *Fac ramum ramus adoptet*, id est, cum ramo jungatur. 2. Si vero, de adoptione proprie dicta loquentes, humanae Christi naturae eam vocem patres accommodarunt, ut s. Augustinus et Facundus Hermianensis, qui *gratia* hominem in Christo Filium Dei factum asseruerunt (1), de causa seu ratione remota naturalis filiationis Christi hoc dixisse intelligendi sunt; quia gratia provecta est ad hoc humana natura, ut in personae cum Verbo consortium adhiberetur (2). Alterutra igitur admissa expositione hujus vocis, apte omnia patrum dicta, quae difficultatem primo intuitu facessere videntur, explicantur; quare non necesse est singillatim ea ad trutinam revocare, cum de germana eorum sententia aliunde constet. Juxta priorem autem expositionem, quam dedimus, accipiendum esse s. Hilarii effatum, ipsa ejus ratio postulat; quare opus non est, ut cum Germonio illud corruptum asseramus, ac legamus *adoratur* pro *adoptatur* (3).

413. II. Obj. 1. Filius Dei naturalis a Patre procedit per aeternam generationem atque est ejusdem cum Patre substantiae; atqui Christus ut homo non procedit per aeternam generationem, nec est ejusdem cum Patre substantiae. 2. Hinc recepta est in catechismis ea dicendi ratio, Christum ut Deum habere patrem sine matre, ut hominem habere matrem sine patre. Quod si Christus ut homo non habet Deum tamquam patrem naturalem, ejus certe filius naturalis esse non potest. 3. Quare in Christo fuit gratia habitualis, quae quidem efficit homines justos et filios Dei adoptivos, seu membra adoptiva ejusdem corporis, quod est ecclesia; 4. necesse porro est, ut membra adoptiva caput adoptivum habeant, quod est Christus homo. 5. In hac doctrina illud vitatur inconveniens, quod in sententia opposita sequeretur, posse nempe unum eumdemque hominem duos habere patres naturales; esset enim homo Christus naturalis filius David et naturalis Filius Dei. 6. Quod si denique nos possumus affirmare, Christum hominem natum, passum, mortuum, imo 7. et servum possumus illum cum Scripturis

(1) S. Aug. lib. *De praedest. sanct.* cap. 15, num. 31, ubi inter cetera scribit: *La gratia fit ab initio fidei suae homo christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*. Facundus Herm. lib. IX, cap. 5, edit. Sirmondi, pag. 144, ait: *Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus*, etc.; aliaque non pauca ibid. in eumdem sensum congessit.

(2) Cfr. Petav. lib. VII, cap. 4, §§ 5 et 6.

(3) Germon. *De veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, pag. 478; et ante ipsum Vasquez, *In* III *part. s. Thom.* disp. LXXXIX, cap. 15 contenduut, tum ex auctoritate Hincmari tum ex argumentis intrinsecis, legendum esse *adoratur* potius quam *adoptatur*. Refragatur autem huic lectioni Petavius loc. cit. § 2, et hanc lectionem praetulit D. Coustant nixus codicibus ante exortam Felicis et Elipandi haeresim exaratis, in quibus legitur *adoptatur*, quae vox idem sonat in sensu Hilarii ac *assumitur*; qui quidem sensus contextui et ejus scopo congruit. Sed cfr. not. *(a)* ejusdem eruditi editoris, pag. 43, tom. II. Veronae, 1730.

vocare, quare non etiam filium adoptivum, 8. cum aeque relativa sint nomina *servi* et *filii*? Ergo.

414. Resp. Ad 1. *D.* Si generatio et ejusdem substantiae communicatio unica ratio esset filiationis naturalis, *Tr.* si alia praeterea sit, nempe unio hypostatica, prout exposuimus, *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, quia non desunt qui contendant, Christum etiam secundum naturam humanam generatione quoque esse Filium Dei naturalem; non quod humana ejus natura gignatur a Patre, sed quia una cum divinitate sempiterna quoque illi generatio communicatur, quae propria Verbi est, et qua a ceteris personis distinguitur. Cum vero Verbum cum sua proprietate personali, et quatenus a Patre et Spiritu Sancto distinguitur, assumpserit sibi per hypostaticam unionem humanam naturam, huic communicavit personalem hanc proprietatem generationis, qua filius est. Quare Petavius affirmat de Christo homine vere dici posse, Christum qua hic homo est, esse Filium Dei, et a Patre gigni atque procedere (1).

415. Ad 2. *D.* Ita ut Christus qua Deus divinum patrem habeat absque matre divina, contra vero qua homo habeat matrem humanam absque humano patre, *C.* ita ut non habeat patrem divinum naturalem, prout hic homo est, et matrem humanam naturalem, prout hic Deus est *N.* Unus enim idemque est Christus, ut iidem catechismi docent, Filius Dei et hominis ratione ejusdem suppositi, ut toties declaravimus (2).

416. Ad 3. *D.* Quae tamen ex unione hypostatica proveniret, *C.* quae esset causa ipsius adoptionis *N.* Et sic refellitur, quod opponebatur de effectu gratiae habitualis, evehendi scilicet ad filios Dei adoptivos eos, qui tali gratia praediti fuerint. Ejusmodi certe est gratiae habitualis effectus quoad eos, qui adoptionis sunt capaces; cum vero Christo, jam Filio naturali Dei per hypostaticam unionem constituto, gratia habitualis, logice saltem, supervenerit,

(1) Lib. VII, cap. 5, §§ 5 et 6. Juverit integra ejus verba afferre, quae lucem affundunt iis quae diximus; sic enim loquitur § 6: « Cum autem persona divina Verbi, ut et alia quaelibet, non sit relativa sola proprietas, sed maxime ac praecipue natura ipsa, qua relativa ista forma determinatur ac modificatur, necesse est, ut humanitati Christi etiam divinitas communiceter, et quidem generatione adeoque generatio ipsa. Est enim sempiterna et numquam interrupta Verbi generatio. Sed non eodem modo, quo Verbum, per generationem formaliter, ut sic dicam, divinam illam naturam accepit, sed per unitionem cum eodem Verbo, hoc est, cum natura ejus et proprietate personali, et ipsa quoque divina Verbi generatione. Nam et ista cum tota Verbi persona communicatur. Hinc de Christo homine usurpari potest: Hic homo Deus est, et Dei Filius, ac Verbum, et a Patre procedit, ac gignitur. Quod postremum dici non posset, nisi et generationis, uti proprietatum ceterarum, fieret communio ». Hactenus summus theologus, qui deinde § 7 et seqq. pergit refellere Vasquezium et Suarezium, qui hac exclusa naturali proprietate Filii Dei, quam Christus ut est hic homo vel in humana natura subsistens habet, aliam quamdam introducunt ex gratia et sanctitate petitam.

(2) Eadem ratione explicandum est Apostoli testimonium, Hebr. VII, 3; *Sine patre, sine matre, sine genealogia*, quo abutitur Walchius. Apostolus enim, Christum carere patre humano tantum significat, non autem divino, ibidem *Filium Dei* Christum appellans, cum subdit: *Assimilatus autem* (Melchisedech) Filio Dei, *manet sacerdos in aeternum*.

adoptionis idoneum subjectum esse amplius non poterat (1).

417. Ad 4. *D.* Si quae sunt in membris, non adessent in capite *excellentiori modo* sive, ut aiunt, *eminenter*, *C.* secus *N.* Alioquin, cum nos redempti ac liberati simus a peccatis, Christus pariter caput nostrum redemptus ac liberatus a peccatis dicendus esset, quod absurdum est.

418. Ad 5. Vel *N.* vel *D.* Sub eodem respectu eademque ratione, *C.* sub diverso respectu ac diversa ratione *N.* Porro Christus pro diversitate naturarum Filius naturalis Dei est ac naturalis filius David, nempe generatione quoad naturam divinam, et unione hypostatica quoad naturam humanam respectu Dei, et e converso respectu David (2).

419. Ad 6. *D.* Ratione humanae naturae atque in humana natura, seu secundum carnem dicere possumus Christum natum et passum, *C.* alias *N.* Nasci enim, pati ac mori per se et primario spectant ad naturam, nec praedicantur de persona divina nisi indirecte et propter communionem idiomatum. Mirum proinde non est, si Christus ratione humanae naturae dicatur passus et mortuus; at ratio Filii est proprietas personae, ipsam directe et primario afficiens, ac propterea Christo etiam ut homini in concreto ea tantum ratio Filii potest attribui, quae personae Verbi propria est. Atqui sola ratio filii naturalis est propria personae Verbi, minime vero ratio filii adoptivi; ergo ratio seu denominatio filii adoptivi tribui nequit Christo etiam ut homini subsistenti in eadem Verbi persona.

420. Ad 7. *D.* Latissimo sensu, spectato nempe debito humanae naturae in se ipsa, atque ratione voluntariae Christi subjectionis, *Tr.* vel *C.* rigoroso sensu et absolute *N.* Nam neque legali conditione Christus servus est, neque naturali dependentia, quae in eo consistit, quod quaelibet creata natura ob id ipsum, quod ex nihilo facta est, Deo tamquam supremo opifici ac Domino subjicitur. Etsi enim humana Christi natura, utpote creata res, secundum se naturali obnoxia esset servituti, attamen, cum ipsa ne uno quidem momento sibi relicta fuerit, sed in Verbo semper substiterit, omnem propterea servitutis rationem ita amisit, ut Domini potius quam servi natura sit appellanda, prout Dominus, Deus ac Dei Filius Christus ut homo in N. F. constanter appellatur et in fidei nostrae symbolis (3). Ubicumque igitur aut divini nonnulli scriptores aut patres de Christo loquentes formam servi commemorant, aut eum servum simpliciter appellant, facile intelligitur eos vel naturam Christi humanam in se ipsa seu secundum essentiam considerasse, quae debitum involvit naturalis servitutis, et natura servi esse poterat, vel considerasse voluntariam Christi subjectionem et obedientiam, ejusque exinanitionem, humilemque statum, atque servilem mortem, quam pro nobis ipse volens suscepit atque sustinuit (4).

421. Ad 8. *D.* Sed diversa plane ra-

(1) Cfr. quae praeclare et accurate scribit de hoc argumento Petavius, lib. VII, cap. 4, § 6.

(2) Cfr. Petav. ib. § 9.

(3) Cfr. Petav. ibid. cap. 8 et 9.

(4) Cfr. Petav. ib. cap. 9, § 12, tum § 17, ubi concludit: « Si proprie loqui volumus, neque Christus, neque homo subsistens in Deo, servus nominari debet; quoniam *servi* vocabulum ex usu et proprietate nominis ad personam refertur, et ad *actum* velut *secundum*; quem in Christo removet, excluditque persona Verbi in creatae ac revera servae vicem locumque succedens ».

tione, *C.* eadem ratione *N.* Etenim nomen servi potest congruere Christo duplici illo sensu nuper exposito, nempe vel ratione humanae naturae in se spectatae, seu secundum essentiam, prout mentis operatione concipitur distincta a persona Verbi atque in *actu primo*, ut loquuntur scholae, vel ratione voluntariae subjectionis. Contra vero nomen filii tale est relativum, ut nonnisi personam afficiat, quae est terminus generationis et filiationis subjectum. Ceterum in concreto Christo Dei homini neque adoptivi filii, neque servi appellatio ullo modo competere potest; quia tam adoptio quam status ille servilis cum filii proprietate ac naturali conditione pugnant, nec in eamdem personam cadunt.

ARTICULUS III.

De distinctione duarum naturarum in Christo post unionem hypostaticam

422. Odio, ut fertur, nestorianae haereseos, cui extinguendae optimam navaverat operam Eutyches, presbyter et archimandrita Constantinopolitanus, in oppositum errorem dilapsus est. Occasionem nactus ex perperam intellecta Cyrilli sententia, de qua postea, docere coepit, ex duabus ante Incarnationem naturis post Incarnationem in Christo unam esse effectam. Siquidem accitus ad synodum Constantinopolitanam anno 448. a Flaviano praeside, et adactus ad mentem suam aperiendam circa accusationem in eum illatam ab Eusebio Dorylaei civitatis episcopo, in eam vocem erupit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem, post unitionem vero unam naturam confiteor*. Cum adigi non potuerit ad stolidam et impiam ejusmodi haeresin ejurandam, sententia depositionis in eum lata est, a qua frustra ad Leonem M. Romanum Pontificem appellavit. Hic enim certior factus a Flaviano de tota rerum serie per acta synodalia ad ipsum transmissa, sententiam synodi ratam habuit et confirmavit. Attamen agente Dioscoro in latrocinio Ephesino anno 449. absolutus est Eutyches, et damnatus Flavianus atque in exilium pulsus; verum hic a Dioscoro factionis coryphaeo adeo graviter percussus est, eo quod ab iniqua sententia Romam appellasset, ut triduo post in insula Delo morte praeventus animam Deo reddiderit. Interea Chalcedone anno 451. coacta oecumenica Synodo, asserta est catholica fides, Eutyches iterum depositus est una cum Dioscoro episcopo Alexandrino, qui paulo post in exilium, jubente Marciano Imperatore piissimo, deportati sunt (1).

423. Ex Eutychis confessione patet, totius eutychianae perfidiae caput, et quidem praecipuum ac veluti *characteristicum* haeresis illius fuisse, quod unam tantum agnosceret in Christo naturam post unionem. Errores reliqui istius factionis primum illum vel supponunt vel sequuntur; ex. gr. duas ante

(1) Eos, qui de Eutyche ejusque sectatoribus scripserunt, refert Fabricius, *Biblioth. graecae*, tom. IX, pag. 310 et seqq. quibus adde eruditum P. Cacciari Ord. Carmel. *De eutychiana haeresi et historia liber primus et secundus*, qui inveniuntur in op. quod inscripsit *Exercitationes in universa S. Leonis M. opera*, fol. Romae 1751, pag. 310 et seqq. Praecipue vero cfr. Joan. Sim. Assemanus, *Bibliotheca orientalis*, tom. II, dissert. *De Monophysitis*.

unitionem naturas Christi fuisse, quo Eutyches in nestorianismum, quem oppugnabat, stultorum more relapsus est (1); tum Christi carnem ex Virgine minime esse sumptam, ac propterea Christum secundum carnem consubstantialem matri minime fuisse, nec B. Virginem esse *Theotocon*, quo iterum in Nestorii impietatem, quam detestabatur, Eutychen proruisse constat.

424. In praecipuo tamen illo, quod diximus, eutychianae haereseos capite exponendo neque erroris architectus neque ejus asseclae consentiunt. Ex duabus enim naturis unam factam esse alii contendunt per quamdam utriusque naturae inter se *commixtionem*, alii per alterutrius consumptionem et in alteram *mutationem*, alii per duarum naturarum extinctionem et in tertiam *conversionem*, alii demum per duarum naturarum in unam coalitionem seu *compositionem* id contigisse affirmant (2). Nec magis cohaerent eutychiani circa tempus, quo haec naturae unitas contigerit; siquidem nonnulli in ipso conceptu id accidisse autumant; nonnulli vero post resurrectionem factum istud prorogant, imo et post ascensionem protrahunt, dum cerae instar ab igne naturam humanam a divina consumptam autumant. Nempe eadem semper haereticorum est indoles, ut non minus discordes inter se sint, quam cum veritate pugnantes.

425. Quidquid porro sit de varia ratione, qua eutychiani ex duabus naturis unam evasisse exponunt, illud certum est, una semel in Christo natura constituta, totam subverti Incarnationis veritatem et redemptionis oeconomiam; prout et nestoriana hypothesi utrumque labefactari animadvertimus. Ex catholicae igitur fidei regula, quae media inter utramque haeresin via incedit (3), uti unicam in Christo personam adstruimus, sic duplicem in eodem Christo vindicare tenemur naturam, eamque integram atque perfectam Incarnatione peracta.

PROPOSITIO

Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae atque impermixtae

426. Propositio haec est de fide, ut constat ex definitione concilii Chalcedonensis, statuentis: *Christum, Filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum post unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentem concurrente* (4).

427. Cujus quidem definitionis veritatem illa omnia Scripturarum te-

(1) Quod insolens in haereticis non est, iisque omnibus, qui semel a fidei ac veritatis tramite deflexerunt; sic nostra aetate in janseniana synodo Pistoriensi variae recensentur propositiones, quae tamquam pelagianae ac semipelagianae a Pio VI, Constit. *Auctorem fidei*, proscriptae sunt, etsi jansenistae dictitarent se ad pelagianismum ac semipelagianismum oppugnandum insurrexisse. Id ipsum jam contigerat Bajo ac postea Quesnello.

(2) Cfr. Petav. lib. I, cap. 14.

(3) Duabus hisce haeresibus aptari optime possunt, quae de sabelliana et cerinthiana impietate non minus vere quam eleganter scripsit Novatianus, vetus auctor, *Lib. de Trinitate*, cap. 30: « Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est, et ita excipit haereticorum istorum ex utroque latere sacrilega convitia. » In calce opp. Tertull. edit. Pamelii, pag. 1052, *E*.

(4) Χριστὸν, υἱὸν, κύριον, μονογενῆ,

stimonia invicte ostendunt, quibus singillatim Christum verum Deum et Filium Dei vindicavimus, et eumdem verum hominem et filium hominis esse ostendimus, ac rursum eumdem Filium Dei et hominis esse adstruimus adversus socinianos, phantasiastas ac nestorianos, quae non sine fastidio hic denuo congereremus. Brevitatis causa duo hic tantum urgemus, alterum ex s. Joanne collato cum Evangelistis reliquis, alterum ex apostolo Paulo. Joannes, loquens de Verbo, quod erat apud Patrem, et quod Deus erat, I, 14, ait: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis;* hujus autem Verbi incarnati genealogiam texuerunt s. Matthaeus et s. Lucas, ut ostenderent, ipsum ex semine Abraham et David progenitum esse; atqui Verbum genitum non est ex Abraham et David secundum naturam divinam: ergo genitum est secundum naturam humanam. Ergo Verbum caro factum utramque habet naturam, divinam secundum aeternam generationem ex Patre, humanam secundum temporalem generationem ex matre. Quare idem Joannes Christum verum hominem esse ostendit his verbis ab ipso prolatis: *Quaeritis me interficere,* HOMINEM, *qui veritatem vobis locutus sum,* VIII, 40; et verum Deum praedicat, dicens: *Hic est verus Deus et vita aeterna,* I Ep. V, 20. Et haec quidem Joannes de Christo affirmat post unitionem duarum naturarum; ergo, si Christus post unitionem verus Deus et verus homo praedicatur, utramque naturam post unitionem integram, distinctam, inconfusam atque impermixtam habuit; alioquin neque vere Deus et vere homo fuisset et esset. Non minus luculenta sunt, quae in hanc rem scribit apostolus Paulus, Rom. I, 3: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* ergo Christus et Deus est, utpote Filius Dei proprius, et homo est, utpote ex semine David procreatus; idemque recurrit argumentum modo institutum.

428. Eamdem veritatem concilia oecumenica ante Chalcedonense celebrata professa sunt in fidei symbolis. Nicaena enim synodus, postquam definivit, Filium unius substantiae esse cum Patre, mox de humana natura haec subjicit: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo, et incarnatus est . . . et homo factus est: passus,* etc. Duplicem igitur in Christo post unitionem naturam agnovit synodus. Hoc vero symbolum tum Constantinopolitana synodus tum Ephesina ad verbum recitarunt et amplexae sunt, ut de subsequentibus taceam.

429. Tot vero patres ejusdem veritatis assertores et testes habemus, quot vel adversus cerinthianos, ebionitas, samosatenos, paulicianos, photianos, arianos Christi divinitatem, vel adversus docetas, valentinianos, gnosticos omnes Christi humanitatem propugnarunt; tot insuper habemus, quot adversus apollinaristas utriusque naturae integritatem

ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον· οὐδαμοῦ τῆν τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴς ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. Action. V, in *Collect. Hard.* tom. II, col. 455. Animadvertendum tamen est, in graeco textu Harduini legi: Ἐκ δύο φύσεων, *ex duabus naturis*, in latino autem *in duabus naturis*, prout pariter legitur in collectione labbeana; in posteriori autem editione Binii habetur: Ἐν δύο φύσεσι. Petavius contendit, veram lectionem esse: Ἐν δύο φύσεσιν, *in duabus naturis*. Ipse cfr. lib. III, cap. 5, §§ 11 et 12.

et distinctionem vindicarunt; tot denique, quot naturas duas in Christo unitas expresse post Incarnationem asseruerunt, qui innumeri prorsus sunt; quorum loca singillatim si quis percensere vellet, vix integro volumine complecteretur (1).

430. Reliquum est, ut argumentis theologicis rem totam absolvamus: Si ex duabus naturis ante unitionem, ut monophysitae contendunt, una post unitionem natura effecta est, id vel *commixtione* seu *mutatione*, vel *conversione*, vel *compositione* contigisset. Totidem enim modos diversos factionis eutychianae fautores ad commentum de unica Christi natura exponendum recensuisse vidimus; atqui nullo eorum contingere id potuit:

431. Non *commixtione*, quae in elementis apparet, ex quibus mixtorum corporum substantia conflatur. Nam praeterquamquod a sano sensu abhorret, excogitare divinam substantiam cum alia qualibet commisceri, ita ut amittat proprietates suas, sic commixta nova substantia nec divina nec humana foret; Christus propterea nec Deus nec homo esset, sed nova natura novo nomine appellanda. Longe aliter profecto SS. Litterae et antiquitas exposcunt, quae Christum Deum et hominem praedicant consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem vero matri secundum humanitatem.

432. Non *conversione*, per alterutrius nempe naturae extinctionem, ut aqua in vinum conversa est in nuptiis Canae, vel, ut exemplo utar eutychianorum, perinde ac gutta mellis in oceanum projecta omnem naturalem suam amittit proprietatem et in aquam vertitur. Etenim vel divina natura conversa esset in humanam, ut stolide nonnulli illius factionis homines commenti sunt; vel humana natura, quod plerique illorum dicunt, conversa esset in divinam, aut ab ea saltem fuisset absorpta et extincta. Porro primum repugnat divinae naturae immutabilitati; alterum repugnat finitae naturae conditioni; tertium denique si admitteretur, unica permanente divina natura in Christo, jam actum esset de unitione naturarum ac de Incarnationis mysterio, et divina natura passa et mortua esset; quae omnia et a fide et a ratione repudiantur.

433. Non denique *compositione*, cujusmodi reperitur in humana natura, quae ex substantia spirituali et corporea coalescit, prout jam fert communis eutychianorum sententia; sane ideo duae substantiae concurrunt ad unam hominis naturam constituendam, quia neutra in se perfecta est in ratione naturae, sed sunt sibi invicem coordinatae ad integram naturam efformandam. Hinc anima non est homo, neque homo seu natura humana est corpus, et una pars altera indiget ad totum illud perfectum unumque constituendum, quod humana natura est. Contra vero utraque natura in Christo integra est, perfecta atque in ratione naturae completa, nec altera natura naturam alteram ut partem postulat, ut talis sit. Siquidem natura divina tota in se perfecta est, neque est ordinata ad aliam substantiam, ut naturam constituat; sic etiam natura humana in se perfecta est, nec alia substantia indiget, ut naturam pariter efficiat. Hinc anima et corpus inter se coire debent ad naturam, quae humana dicitur et sub hoc respectu simplex et individua est, constituendam; divinitas vero et humanitas, utpote perfectae et in ratione naturae completae, nequeunt tamquam partes inter se componi ad unam naturam efficiendam, quae in absurda Acephalorum hypothesi, nec divina nec

(1) Cfr. Petav. lib. III, capp. 6 et 7.

humana foret, ac propterea Christus nec Deus nec homo esset (1).

454. Sive igitur sacras Scripturas, sive universam traditionem, sive demum theologica principia consulamus, constat, quod ab initio proposuimus, duas esse in Christo naturas integras, distinctas, inconfusas atque impermixtas.

DIFFICULTATES

455. I. Obj. Totam Incarnationis oeconomiam complexus est Joannes, I, 14, scribens: 1. *Verbum caro factum est*, 2. eodem scilicet sensu quo, cap. II, 9, refert, *aquam vinum factam;* porro aqua vinum facta est per veram conversionem. 3. Quod pariter Apostolus, Philipp. II, 7, declarat, scribens: *Qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;* nulla autem intercessit Verbi exinanitio, nisi aliqua supponatur facta conversio. Ergo.

456. Resp. Ad 1. *D.* Per assumptionem humanitatis in Deum *C.* per conversionem divinitatis in carnem, *N.* Quod patet ex verbis immediate sequentibus: *Et habitavit in nobis. Hoc est*, ut ait s. Ambrosius, *illud Verbum, quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana, et ideo Emmanuel dictus est, nobiscum Deus* (2); sic etiam s. Joan. Chrysostomus: *Subdit enim: Et habitavit in nobis, ac si diceret: nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto, factum est. Non enim immutabilis naturae mutationem, sed habitationem dixi. Habitans autem non idipsum est quod habitaculum, sed aliud. Aliud enim in alio habitat; alias non esset habitatio . . . . Aliud vero dixi secundum substantiam. Nam unitate et conjunctione Deus verbum et caro unum sunt, sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione; sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque* (3). Adde ex monophysitarum expositione illud absurdum sequi, incommutabilem divinitatem in carnem esse mutatam atque conversam. Adeo stupidi sunt haeretici in suis erroribus propugnandis!

457. Ad 2. *N. paritatem* ex diversa substrata materia; alioquin, si quoties in Scripturis occurrit vox Ἐγένετο, *factum est*, conversionem proprie dictam significaret, sequeretur Christum conversum esse in *maledictum*, Gal. III, 13, in *peccatum*, II Cor. V, 21; ut recte patres adversus apollinaristas colligebant (4). Quod impium pariter ac insanum esset.

(1) Cfr. Petav. lib. III, capp. 8, 9 et 10; nec non S. Thom. *Cont. gent.* lib. IV, cap. 35; et III part. q. II, art. 1.

(2) Lib. *De dom. incarn. sacramento*, cap. 4, num. 59, edit. Maur.

(3) *Hom.* XI (alias X) *In. Joan.* num. 2: Ἐτήγαγε γάρ· Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· μόνον οὐχὶ λέγων, μηδὲν ἄτοπον ὑποπτεύσῃς ἀπὸ τοῦ, Ἐγένετο. Οὐ γὰρ τροπὴν εἶπον τῆς ἀτρέπτου φύσεως ἐκείνης, ἀλλὰ σκήνωσιν καὶ κατοίκησιν· Τὸ δὲ σκηνοῦν, οὐ ταὐτὸν ἂν εἴη τῇ σκηνῇ, ἀλλ' ἕτερον· ἕτερον γὰρ ἐν ἑτέρῳ σκηνοῖ, ἐπεὶ οὐδ' ἂν εἴη σκήνωσις . . . . Ἕτερον δὲ εἶπον κατὰ τὴν οὐσίαν· τῇ γὰρ ἑνώσει καὶ τῇ συναφείᾳ, ἓν ἐστιν ὁ Θεὸς λόγος καὶ ἡ σὰρξ· οὐ συγχύσεως γενομένης, οὐδὲ ἀφανισμοῦ τῶν οὐσιῶν· ἀλλ' ἑνώσεως ἀῤῥήτου τίνος καὶ ἀφράστου. ed. Maur., tom. VIII. Sed legi meretur integra homilia, quae tota est de hoc argumento, in qua visus est s. Doctor impugnasse Eutychianos, etiam antequam orti essent.

(4) Inter ceteros s. Joan. Chrysost. in modo cit. Homil. eodem loco.

438. Ad 3. *D. Assumendo mutabilitatem nostram*, ut loquitur s. Augustinus, *C. mutando divinitatem suam* (1). *N.* Exinanivit itaque verbum quodammodo semetipsum assumendo naturam abjectam et humilem infinitoque intervallo a divina distantem, seseque objiciens in hac assumpta natura paupertati, ludibriis ac morti denique ipsi, ut sequentibus verbis exponit idem Apostolus.

439. II. Obj. Ex sanctis patribus 1. alii affirmant, convenisse divinitatem et humanitatem in Christo ea ratione, qua in humana natura constituenda conveniunt anima et corpus, ex quibus nonnisi una exurgit natura; ita prae ceteris s. Leo M., s. Cyrillus aliique passim (2). 2. Alii comparant Incarnationem cum Eucharistia, in qua panis per veram transmutationem fit corpus Christi; ita s. Justinus, Apol. I, n. 66. 3. Alii expresse docent: *Ex duabus naturis unionem esse factam, post unionem vero unam esse naturam Verbi incarnatam in Christo* (3), ita s. Cyrillus, et ante ipsum s. Athanasius, imo et Julius Romanus Pontifex (4). 4. Sunt praeterea ex veteribus, qui admittunt naturarum *immeationem* et *circuminsessionem*, quam quidem proprietatem Graeci περιχώρησιν vocant. 5. Sunt, qui divinitatis cum humanitate conjunctionem appellant *mixtionem*, *mixturam*, *conversionem*; quibus sane similibusque nominibus (5) satis aperte innuunt, unam ex duabus Christi naturis compositam et commixtam esse. 6. Sic inter ceteros s. Gregorius Nyssenus, *Orat. IV contra Eunomium* et *Epist. ad Theophilum*, qui talem in Christo utriusque naturae mixtionem adstruit, ut affirmet, [a]) humanum corpus, cum a Verbo assumptum est, id factum esse, quod est ipsa natura divina assumens, atque naturam humanam in id, quod divinum est, esse mutatam; [b]) carnem divinitati commixtam non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, sed hac mixtione divinitatis participasse virtutem, eo fere modo, inquit, quo si aceti gutta in oceanum projiciatur, ipsa per hanc mixtionem fit mare, suamque amittit qualitatem naturalem (6). Ergo.

440. Resp. Ad 1. *D.* Ad personae seu suppositi unitatem significandam, *C.* unitatem naturae *N.* Prout luculenter exponit auctor symboli Athanasiani, dicens: *Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Frequenter enim hac similitudine utuntur patres adversus nestorianos; ex adversariorum proinde, quos impugnabant, indole, determinatur similitudinis scopus et sensus.

441. Ad 2. *D.* Quoad praesentiam, *C.* quoad conversionem *N.* Quemadmodum scilicet in eucharistia est vera caro

(1) *De Trin.*, lib. VII, cap. 3, n. 5.

(2) Apud Petav. lib. IV, cap. 3, §§ 14 et seqq. tum cap. 6, § 1 et seqq.

(3) Ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι λέγοντες. μετὰ μέντοι τὴν ἕνωσιν . . . μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην. S. Cyr. *Epist.* I *ad Success.* opp. edit. Paris. 1638, tom. V, p. II, pag. 137.

(4) Apud Petav. lib. IV, cap. 6, § 5 et seqq.

(5) Patres duarum naturarum unionem passim vocarunt *coagmentationem*, *concretionem*, *confibulationem*, *insertionem*, *temperationem*, *cooptationem*, *connexionem*, *copulationem*, *adhaesionem*, *cohaesionem*, etc.

(6) Opp. edit. Paris. 1615, tom. II, pag. 144 et seqq. et pag. 697.

et verus Christi sanguis, ita in Incarnationis mysterio vera est natura divina et humana in unitate personae. Id patet ex integro Justini contextu; alioquin non affirmasset, ibid. n. 63, de Christo: *Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est*. Sed praestat, ipsum objectum locum in medium adducere: *Quemadmodum per Verbum Dei*, ait, *caro factus Jesus Christus... et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam* (in alimonia eucharistiae).... *incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus* (1).

442. Ad 3. *D.* Ac propterea hoc ipso docent, duas esse in Christo naturas, divinam et humanam, subsistentes in una divini Verbi persona, *C.* unam naturam tantum *N.* Talem reipsa sensum hujus dicti, quod omnium primus s. Cyrillus usurpavit, exponit et declarat ipsemet s. Pater. Cum enim eam ob causam in suspicionem haereseos Apollinaris apud nonnullos venisset, quasi non aliam in Christo naturam praeter divinam agnosceret, ab hac suspicione strenue semetipsum liberat, *Epist. II ad Successum*, quae tota est de hoc argumento. Etenim n. 1 ostendit, Christum, seu potius Verbum passum esse in assumpta natura, non in divina, ut ipsi objiciebatur consequi ex sua formula; n. 2. demonstrat, duarum naturarum unitionem factam esse in eadem persona Verbi citra permixtionem, confusionem, conversionem atque imminutionem humanae naturae; n. 3 declarat, Christum post unitionem et perfectum Deum et perfectum hominem existere, consubstantialem patri secundum divinitatem, secundum humanitatem vero consubstantialem nobis. Propius deinde accedens ad formulam a se adhibitam, addit: *Nam, si dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus ac minime adjunxissemus*, incarnatam.... *esset illorum fortasse oratio non inepta... sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiae nostrae declaratio illata est, dum dicimus* incarnatam, *desinant baculo inniti arundineo.... si in eo, quod illum incarnatum esse dicimus, perspicua et certa confessio continetur, qua etiam hominem esse factum profitemur, nihil jam intelligere prohibet, Christum, cum sit unus ac solus filius, eumdem Deum esse et hominem, ut in deitate, ita etiam in humanitate perfectum* (2).

443. Quae quidem Cyrilli verba adeo perspicua sunt, ut ex iis obscuriora alia quaevis explicari jure optimo possint. Quamobrem, etsi Cyrillus affirmare quandoque videatur, humanitatem et divinitatem sic in Christo unitas esse, ut sola mentis cogitatione secernantur; etsi non

(1) Loc. cit. Ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς... καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν,... ἐκείνου τοῦ σάρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα, καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Cfr. erudita P. Maran. *Praefat. edit. op. s. Justini*, part. II, cap. 9, § 3 et seqq.

(2) Εἰ μὲν γὰρ μίαν εἰπόντες τὴν φύσιν τοῦ λόγου, σεσιγήκαμεν, οὐκ ἐπενεγκόντες τὸ σεσαρκωμένην... ἦν αὐτοῖς τάχα που καὶ οὐκ ἀπίθανος ὁ λόγος... ἐπειδὴ δὲ καὶ ἡ ἐν ἀνθρωπότητι τελειότης, καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας ἡ δήλωσις εἰσκεκόμισται διὰ τοῦ λέγειν σεσαρκωμένην, παυσάσθωσαν καλαμίνην ῥάβδον ἑαυτοῖς ὑποστήσαντες·.... εἰ δὲ ὡς ἔφην, ἐν τῷ σεσαρκῶσθαι λέγειν αὐτὸν, σαφής τε καὶ ἀναμφίβολος ἡ ὁμολογία τοῦ, ὅτι γέγονεν ἄνθρωπος, οὐδὲν ἔτι κωλύει νοεῖν, ὡς εἷς ὑπάρχων καὶ μόνος υἱὸς ὁ Χριστὸς, αὐτὸς Θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος, ὥσπερ ἐν θεότητι τέλειος, οὕτω καὶ ἐν ἀνθρωπότητι. Loc. cit. pag. 143 et seq.

divisionem tantum, sed veram etiam et realem distinctionem naturarum videatur inficiari; etsi denique post unitionem nonnisi unam in Christo naturam videatur adstruere (1), attamen longe alia est Cyrilli et Eutychis causa. Ille enim, ut vidimus, constanter professus est, duas in Christo naturas inconfusas et impermixtas, quod Eutyches pertinacissime negavit. Cum igitur affirmat Cyrillus, duas in Christo naturas sola mentis cogitatione distingui, earumque distinctionem videtur inficiari, non de naturis ipsis in se, sed de admirabili illo nexu ac indissolubili loquitur, vi cujus utraque natura in personae unitate copulatur. Quam ob causam unam adstruit post unionem Filii Dei naturam, verumtamen *incarnatam*. Itaque etsi unam nomine, re tamen ipsa duplicem in Christo naturam agnoscit (2).

444. Athanasii et Julii, quae proferuntur, scripta, nec non et Gregorii Thaumaturgi fidei expositionem, ex qua nonnulla, quae eutychianae impietati favere videntur, opponunt adversarii, spuria omnino esse ac supposititia, jam compertum apud criticos est, vel saltem loca, in quibus s. Cyrillus Athanasio adscribit formulam de una natura incarnata, a Dioscoro fuisse corrupta (3).

445. Ad 4. *D.* Ad significandum arctissimum utriusque naturae nexum et sine confusione aut mutatione distinctionem, *C.* ad inducendam confusionem et mutationem *N.* Etenim *immeatio* esse nequit nisi duorum; nec naturae in se invicem immeare possunt, nisi arctissime constringantur et consocientur. Atqui tota ratio Incarnationis duplici hac notione continetur *unitionis* et *distinctionis*; aptissime igitur Patres iis vocibus utebantur ad Incarnationem exponendam, ejusque rationem compendio colligendam, praesertim cum hujusmodi *perichoresi* sive mutua immeatione naturarum illi uterentur, ut maximum illum excellentiae ac dignitatis splendorem explicarent, qui ex divina in humanam Christi naturam promanabat.

446. Ad 5. *D.* Salvis et integris manentibus utriusque naturae proprietatibus, *C.* per harum destructionem *N.* Nempe mixtionem dicebant duarum naturarum unionem, qualis decet substantias incorporeas, Verbi scilicet et animae humanae, qua mediante, juxta doctrinam apud Patres veteres receptissimam, Verbum suscepit corpus (4); minime vero eo sensu unionem illam *mixtionem* vocabant, quae juxta eutychianum errorem novam aliquam naturam

(1) Nec illud absque animadversione est dimittendum, nuspiam s. Cyrillum dixisse, ex duabus naturis *ante unitionem* unam esse effectam; quod tamen usurpavit Eutyches cum suis asseclis.

(2) Cfr. Petav. lib. IV, cap. 6 et 7, in quibus accurate genuinum sensum cyrilliani dicti exponit, illudque a prava interpretatione vindicat.

(3) Cfr. Petav. ib. cap. 6, § 7. Mirum autem est, nonnullos Protestantes, qui critici audire maxime contendunt, inter opera genuina accensuisse epistolam sub Julii nomine exaratam, qua abusi sunt eutychiani. Cum enim illam epistolam edidisset Muratorius in *Anecdotis graecis*, pag. 342, addita disquisitione, qua νόθειας illam multis nominibus arguit, Augustus Salig, centuriatorum stultitiam aemulatus, spuriam hanc epistolam vindicare, et Julio Pontifici adserere contra animadversiones Muratorii tentavit. Cfr. *Acta erudit. Lipsien.* an. 1724, pag. 420. Germanas Julii Pontificis epistolas exhibet P. Constant, *Epist. Roman. Pontif.* t. I, pag. 50 et 3 seqq.

(4) De trito hoc patrum axiomate, Verbum nempe *mediante anima* carnem assumpsisse, cfr. Petav. lib. IV, cap. 13; ubi ostendit, mentem revera fuisse Patrum, animam

constitueret, ut in corporum mixtione contingit. Eadem vocabula a catholicis et ab haereticis usurpata sunt, at mente longe diversa. Illi ut adstruerent summam naturarum unitionem in divini Verbi persona, atque hac ratione sese opponerent nestoriano dogmati; isti ut inducerent confusionem et imminutionem naturarum. Hae voces enim utrumque sensum prae se ferre possunt. Hinc notiones a dictionibus separemus oportet, apum imitatione, ut quidam praeclare dixit, quae ad flores advolantes, inde favos colligunt, et folia relinquunt (1).

447. Ad 6. *D.* Salva natura humana, ut ipsemet declarat, et per conversionem improprie dictam, *C.* absorpta humana natura per conversionem proprie dictam *N.* Id patet ex scopo, quem sibi proposuit s. Gregorius Nyssenus. Ipse enim ostendere voluit humanae naturae praestantiam et splendorem, quem obtinuit ex tam arcto cum divinitate consortio, quo vel ante mortalitatem patiendique depositam et exutam conditionem, tota in potioris, nempe divinae naturae censum translata sit, iis dumtaxat reservatis, quae humanitatis propria sunt eique congruenter annexa; qui status maxime post Christi resurrectionem obtigit (2). Ad hunc porro infinitum excellentiae ac dignitatis splendorem, qui ex divina natura tam arcte cum humana constricta in viliorem hanc inferioremque redundat, aliqua ratione adumbrandum diversis similitudinibus patres usi sunt. Alii enim ferri igniti, alii aëris luce perfusi, alii superexcedentis luminis, quo lumen minus evanescere videtur, similitudinem protulerunt (3). S. Gregorius Nyssenus vero usus est ad eumdem finem similitudine aceti guttulae in mare projectae, qua adeo eutychiani abusi sunt. Ceterum apposite Anastasius Sinaita in

interponi debuisse tamquam medium, quo extrema duo, Verbum nimirum et carnem, nimium alioquin abhorrentia, conciliari et uniri inter se necesse fuerit. Hoc enim argumento seu principio Patres utebantur disputantes adversus Arianos illos, qui Christo homini veram animam denegabant, et adversus ethnicos, qui putabant, non decere majestatem divinam contagione carnis ac sordibus infici; quibus respondebant, quod interventu spiritus, hoc est, animae vel mentis cum carne copulatus sit Deus. Imo interdum animae ipsi, mediante mente, Verbum divinum se conjunxisse docebant; ut sic ex propriis principiis refellerent Apollinaristas, qui, duce Platone inter animam et mentem distinctionem interponentes, autumabant, Verbum animam assumpsisse, sed ratione seu mente carentem. Itaque non eo tantum sensu dixerunt Patres, Verbum mediante anima carnem seu corpus sibi conjunxisse, quod anima ipsa causa sit seu finis aliquo modo carnis cum Dei Filio copulandae, ut passim cum s. Thoma, p. III, q. 6, art. 1 et q. 50, art. 2, in scholis traditur. Hinc immerito hac de causa vapulat Feller a card. Gerdilio in *Animadversionibus in notas Fellerianas*, de quibus postea. Adversus tamen eundem Feller notandum est, divinitatem non minus immediate corpori quam animae esse conjunctam, et quod dicitur, *mediante anima vel mente*, animam aut corpus Verbum suscepisse, id non *tempore*, sed *ordine* esse intelligendum; nam Verbum uno eodemque temporis instanti totam humanitatem sibi conjunxit.

(1) Auctor Homil. XVIII, tom. V, opp. s. Joan. Chrysost. pag. 106.

(2) Quo spectant, quae ex ejusdem s. Patris *Antirrhetico*, a Laur. Alex. Zacagnio vulgato, in *Collectaneis monumentorum veterum Ecclesiae graecae*, tom. I, Romae 1698, durinscula objici solent, de quibus cfr. idem Zacagnius, in praefat. n. XXI et seqq.

(3) De quibus cfr. Petav. lib. IV, cap. 14, § 5 et seqq.

Odego, cap. XIII, in hanc rem scribit : *Divinus Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti, non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostrae naturae, cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago comparatae, demonstraret* (1). Dum propterea Christi carnem asserit Gregorius non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, non de proprietatibus essentialibus, sed de accidentalibus, ut vocant, locutus est, sine quibus salva et integra consistere potest humana natura. Sed praestat ex hac ipsa *Oratione IV contra Eunomium* verum s. Gregorii sensum promere. Vix enim dixerat, quod humana natura *cum divinitate temperata non amplius in suis terminis et proprietatibus manet*, dum seipsum explicans immediate subdidit : *Carnis tamen et divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio* (2) ; quod deinceps fuse prosequitur (3).

ARTICULUS IV.

De duplici in Christo voluntate et operatione

448. Ex hominibus eutychiana lue infectis prodiit monothelitarum haeresis, eorum scilicet, qui unicam in Christo voluntatem et operationem professi sunt. Hujus erroris semina jecit, anno 630 et Heraclii imperii XX, Jacobitarum patriarcha Athanasius, qui suis artibus Imperatorem in fraudem induxit. Agentibus deinde Sergio occulto et ipso haeretico jacobita Patriarcha Constantinopolitano, et Cyro Phasidis primum episcopo ac postea Alexandrino Patriarcha, major robur ac firmitatem nova haeresis nacta est. Interea Sophronius, doctus et sanctus monachus, qui paulo post ad Jerosolymitanam cathedram evectus est, Cyro, qui omnium primus publice dogma de unica in Christo voluntate proposuerat, fortiter restitit ; ac celebrata synodo scripsit ad Sergium prius, deinde per Stephanum, Dorensem episcopum, litteras misit ad Honorium, Romanum Pontificem, quibus de nova monothelitarum haeresi certiorem illum reddidit. Verum eodem anno, quo Sophronius, scripsit pariter Sergius ad Honorium, et ea, quae a Cyro et Sophronio gesta erant, exposuit ; ita tamen, ut eos, qui duas in Christo voluntates adstruebant suspectos redderet, quasi duas in Christum contrarias et inter se pugnantes voluntates inducerent ; quare consultius videri sibi dicebat, ut nec una

(1) Ὁ θεῖος Γρηγόριος τῇ προσηγορίᾳ τοῦ ὄξους, καὶ τῆς θαλάττης ἐχρήσατο · τὸ εὐτελὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, πρὸς τὸ ἄπειρον μέγεθος τοῦ ἀκαταλήπτου πελάγους τῆς θεότητος ἐνδεικνύμενος. Edit. Gretseri S. J. Ingolstad. 1606, pag. 240.

(2) Διαμένει δὲ ἀσύγχυτος τῶν τε τῆς σαρκὸς καὶ τῶν τῆς θεότητος ἰδιωμάτων ἡ θεωρία, ἕως ἂν ἐφ' ἑαυτῶν θεωρεῖται ταύτων ἑκάτερον.

(3) Cfr. de hoc argumento praeter saepe cit. auctores p. Michaelis Le Quien *Dissert.* II *Damascenica*. *De quibusdam auctoritatibus, quibus Eutyches aliique unius in Christo naturae adsertores haeresim suam tuebantur ;* Thomassinus, *De Incarnat. Verbi*, lib. III, cap. 3. et seqq. Galanus *Conciliationis ecclesiae Armenae cum Romana*, Romae 1658, tom. I, part. II, pag. 175 et seqq. Consuli etiam possunt Theoriani *Disputatio cum Syris Jacobitis*, quam ex vaticano codice edidit, et cui versionem latinam adjecit cl. card. Maius, in *Scriptorum veterum nova collectione*, Romae 1832, tom. VI, pag. 414 et seqq. et Nat. Alex. *Diss.* XXIV, *in saec.* V.

nec duae in Christo nominarentur voluntates, sed unus dumtaxat operans. Ad haec respondens Honorius, illud Sergii consilium approbat retinendae concordiae gratia, unamque profitetur in Christo voluntatem, ut sic intercluderet conflictationem voluntatum inter se pugnantium, prout Sergius, ab asserentibus duas voluntates induci, affirmabat.

449. Oeconomicum silentium probavit pariter Heraclius, eadem Sergii fraude deceptus, in *Ecthesi* seu fidei professione, quam circa haec tempora edidit, nomine quidem suo, a Sergio tamen conscriptam, ut Imperator declaravit, cum cognovit, a Severino aliisque Romanis Pontificibus eam rejici ac damnari. Suasione Pyrrhi, Constantinopolitani Patriarchae, haeretici pariter Monothelitae, Constans, tertius ab Heraclio in imperio successor, aliud promulgavit edictum, quod *Typum* vocavit; quo silentium indicebatur tum unam tum duas voluntates in Christo asserentibus, quod pariter Romae proscriptum est. Sic prava haeresis dilatata est, donec sub Constantino Pogonato, imperatore catholico, et Agathone, Rom. Pontifice, anno 680 Constantinopoli Concilium oecumenicum VI et Constantinopolitanum III celebratum est, in quo adserta est catholica veritas, ac proscripta haeresis cum suis auctoribus et fautoribus (1).

450. Quod in aliis haereticis factum constanter est, ut non solum a veritate, sed et inter sese in errore profitendo dissentirent, in monothelitis etiam contigit. Valde tamen interest, illud, in quo praecise illorum haeresis constiterit, nosse; quia ex hoc quaestionis status pendet, qui nos inter et monothelitas intercedit.

451. In eo igitur omnes conveniebant monothelitae, ut unam in Christo assererent voluntatem, atque ex hoc praecipuo ipsorum dogmate nomen sortiti sunt.

452. Verum cum *voluntatis* voce tum possit significari *naturalis* volendi *facultas* (*energiam* Graeci appellant), tum ipse voluntatis *actus* (θέλημα ab iisdem vocatur), et hic rursum bifariam dividatur, in actum scilicet *physicum* et *necessarium*, et in actum *deliberatum* ex judicio, quod vocant practicum, proficiscentem (Graeci priorem dicunt θέλημα φυσικὸν, posteriorem θέλημα γνωμικὸν), hinc videndum superest, in quo error monothelitarum versaretur, seu quamnam voluntatem ex recensitis in Christo Monothelitae negarent.

453. Porro ipsi pervicaciter inficiabantur, in Christo inesse voluntatem humanam naturalem, sive prout *facultatem* significat, sive prout significat *actionem*, ne, si naturalis esset, ut ipsi autumabant, esset item necessaria. Hinc nonnisi voluntatem electivam in Christo admittebant, quam et *personalem* esse dicebant. Ex quo in ipsorum hypothesi consequens erat, unam voluntatem naturalem in Christo extitisse; quia si duae forent, jam essent juxta ipsos sibi mutuo contrariae, adeoque altera bona, altera mala, prout deliberationis conditio exposcit.

454. Hinc licet monothelitae voluntatem seu facultatem volendi humanam et actionem naturalem sive humanam

(1) Cfr. Petav. lib. 1, cap. 19 et seqq. Alios antiquos et recentiores, qui scripserunt de monothelitarum haeresi, vide apud Fabricium, *Bibl. graec.* tom. x, p. 204 et seqq. quibus addi potest *Apolog. pro Honorio I, Rom. Pontif.* Joan. Bapt. Bartholi, Feltriensis episcopi, vol. 1 in 4, Ausugii, 1750, a cap. 1 ad 9.

operationem reipsa rejicerent in Christo, attamen nonnisi timide et quasi cunctanter id profitebantur, ne invidiam in se perversi dogmatis concitarent. Cum enim facultas et naturalis operatio propria naturae sive substantiae sit, perinde erat unicam adstruere in Christo naturalem operationem sive voluntatem naturalem, ac unicam in ipso praedicare naturam. Id vero cum esset aperte haereticum, et a concilio Chalcedonensi damnatum, ab hac loquendi ratione summopere cavebant. Silentium potius commendabant circa unam vel duplicem operationem; imo, ut silentium circa hunc articulum ab omnibus servaretur, per Imperatorum edicta, ut vidimus, satagebant. Contenti propterea erant, unicam voluntatem palam in Christo profiteri, rati ita plausibilius dogma suum fore. Cum enim haec vox ambigua sit, et tum voluntatem, prout naturalis facultas est, tum actionem deliberatam ac liberam aeque significet, sive ex judicio practico prodeuntem, dum unam adstruebant voluntatem, putabant, non aliter accipi quam si unam dicerent consentientem et concordem utriusque naturae voluntatem, nec humanam a divina dissentientem; catholicos vero duarum voluntatum assertores traducebant tamquam defensores pugnae ac dissidii voluntatum in Christo. Hac ratione fucum imperitis faciebant. Accedit, quod cum deliberata voluntas hypostasis sive personae sit (quippe vel simpliciter naturae proprietas est; *hoc autem vel illo modo* velle, personae, uti s. Maximus mart. docet), cum una sit hypostasis in Christo, eo magis concludebant, unicam esse in eo voluntatem.

455. Ceterum hanc unicam, quam monothelitae in Christo admittebant voluntatem, cum Dionysio, vulgo Areopagita, vocabant *theandricam* seu *deivirilem*, ex divina scilicet et humana voluntate coalescentem; ita tamen, ut divina active, humana vero omnino passive se haberet. Hinc vocabant humanam naturam, proindeque voluntatem, instrumentum divinitatis; quemadmodum vero instrumentum nihil per se agit et operatur, sed omnem actionem suam ab externo impulsu et principio mutuatur, atque uti corpus nostrum instrumentum est animae nostrae, nec ex se agit, sed agitur ac movetur ab anima, ita illi humanam Christi naturam omni carentem actione ac voluntate constituebant, rationali praesertim et intelligentis propria. Quare in istorum systemate stirps et vitalis facultas et potentia in divinitate inerat, a qua deinceps in humanitatem manabat et profluebat citra principalem vim et causae agentis efficientiam (1).

456. Ex his intelligitur, nostri muneris esse adstruere in Christo voluntatem naturalem duplicem, divinam et humanam, non solum quatenus voluntas humana pro facultate accipitur, sed etiam quatenus actionem et operationem haec vox denotat; tum ostendere, ejusmodi actionem et operationem humanae naturae activam esse, seu ex proprio motu profluere. Quod ut obtineamus, sit

PROPOSITIO

Duae naturales operationes et voluntates indivisae et inconfusae in Christo sunt confitendae

457. De fide est haec propositio;

(1) Cfr. Petav. loc. cit. tum lib. VIII. cap. 1 et seqq. Exinde patet, graviter illos scriptores hallucinari, qui censent haeresim monotheliticam constitisse in sola negatione actionis in voluntate humana.

totidem enim verbis definita fuit in concilio oecumenico VI, seu Constantinopolitano III. Etenim : *Et duas naturales voluntates in eo* (Christo), ajunt hujus concilii patres, *et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum patrum doctrinam adaeque praedicamus* (1).

458. Jam vero Scripturarum auctoritate in primis ejusmodi doctrinam fulciri, duas nempe naturales operationes in Christo inesse, tot testimoniis evincitur, quot divinas et humanas Scripturae distincte Christo tribuunt actiones et operationes ; quae innumera prorsus sunt. Divinas quidem, cujusmodi sunt vaticinia et miracula, quae nonnisi divina virtute effici possunt, et tamen a Christo patrata Scripturae exhibent, ut iis sibi propriam divinitatem asserenti fidem conciliaret. Humanas vero, cujusmodi eae sunt, quas idem Christus consulto in eum finem exercuit, ut homo crederetur, ut sunt ambulare, loqui, cibo ac potu refici, esurire, sitire, lassari, exultare gaudio, moestitia angi, lacrymari, pati, vulnerari ac per summos denique cruciatus animam profundere, quae divinitas operari aut suscipere sola in se non potest. Has tamen singulis fere paginis sacrae Scripturae praesertim Novi Testamenti recensent. Cum igitur absurdum omnino sit, quae sunt propria humanae naturae, divinae adscribere, aut quae divinae naturae et virtutis sunt, humanea tribuere naturae, consequens est, pro utraque, qua praeditus fuit Christus, distincta natura divina et humana, distincte diversas actiones et operationes eum posuisse.

459. Quod attinet ad voluntates, prout hae facultates naturales et naturales operationes sive naturae motiones sunt, duas pariter in Christo eas extitisse, ex modo dictis jam colligitur; hoc enim ipso quod facultates et operationes sint, cum ostenderimus ex sacris Litteris, duplicis generis operationes distincte et inconfuse in Christo inesse scilicet divinas et humanas, constat utramque pariter voluntatem et operationem naturalem distincte et inconfuse in eodem reperiri.

460. Jam praestat, idem ostendere quoad has voluntates, prout actus elicitos sive *volitiones*, ut vocant, significant, divinam et humanam in Christo fuisse; quod proterve negabant monothelitae. Quod spectat ad divinam, non est cur de hac adstruenda solliciti simus, cum eam illi haeretici ultro in Christo esse concederent, imo solam esse contenderent. Reliquum igitur est, ut ex sacris Litteris evincamus, Christum habuisse voluntatem humanam, liberam et juris et potestatis suae. Porro ejusmodi testimonia totidem habentur, quot illa sunt, in quibus voluntas Christo tribuitur distincta a voluntate Patris. Celebre est illud, quod legitur Matth. XXVI, 39, et Marc. XIV, 36 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu ;* vel ut legitur Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ibi Christus perspicue ostendit, aliam sibi inesse voluntatem distinctam a voluntate Patris ; atqui haec divina esse non potuit, quae una est in ambobus, ut nemo prorsus dubitat; ergo est humana. Rursum idem Christus,

(1) Καὶ δύο φυσικὰς θελήσεις ἤτοι θελήματα ἐν αὐτῷ, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας ἀδιαιρετως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγχύτως κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίαν ὡσαύτως κηρύττομεν. In *Collect. Conc.* Harduini, tom. III, col. 1400, *E.*

Joan. VI, 38, ait : *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* ubi idem recurrit argumentum. Hinc Apostolus, Philipp. II, 8, de Christo ait : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem;* et, ad Heb. X, 7, de Christo exponit verba Psalmi XXXIX, 8 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*. Christus igitur Deo ac Patri suo obedivit, et obedientiae suae merito liberavit ac redemit genus humanum; atqui neque obedivit nec meruit voluntate divina; ergo obedivit ac meruit voluntate humana. Huc accedunt illa Scripturarum effata, quae de Christo referunt quae hominis sunt et humanae naturae consentanea; ex. gr. ut legitur apud Marcum, VI, 48, quod Christus accedens ad Apostolos, *volebat praeterire eos;* et ibid. VII, 24 : *Ingressus in domum, neminem voluit scire, et non potuit latere;* sic Matth. XXVII, 34 : *Et dederunt ei vinum cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere*. Aliaque ejusmodi sexcenta occurrunt, quae aperte ostendunt, Christum actus elicuisse humanae voluntatis proprios.

461. Hisce ex Scriptura depromptis ad propositam thesim ostendendam adjicimus auctoritatem sanctorum patrum tum graecorum tum latinorum. Cum vero longum nimis esset singulorum auctoritates proferre, juverit ad certas classes eorum testimonia redigere. Ac 1. veniunt illi, qui ex diversis operationibus asserunt, Christum Deum et hominem esse; ita Ignatius, Justinus M., Irenaeus, Hippolytus, Tertullianus (1). 2. Id ipsum adstruunt qui adversus arianos pugnarunt, ostendentes, quae infirmitatis actiones sunt, tribui non posse divinitati; ut Athanasius, Eustathius Antiochenus, Cyrillus Jeros., Epiphanius, Basilius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus aliique (2); 3. Qui ex distinctione operationum colligunt adversus apollinaristas, duas esse in Christo distinctas et inconfusas naturas; ut Basilius, uterque Gregorius, Nyssenus et Nazianzenus, Cyrillus Alex., Theodoretus, Ambrosius, Leo M., Gelasius, Fulgentius (3).

462. Et haec de operationibus naturalibus, in quibus comprehenditur voluntas, prout naturalis facultas est. Prout autem haec in actus erumpit sive in volitiones, duplicem eam in Christo patres praedicasse, non minus certe constat. Sic enim inter ceteros aperte loquitur s. Athanasius, qui recitatis illis Christi verbis : *Pater si fieri potest*, etc. subdit : *Duas hic voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quae est carnis propria; alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem, deprecatur passionem; divina vero ipsius prompta est* (4). Ex iisdem verbis id ipsum inferunt s. Greg. Nyss., dicens : *Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina* (5); et s. Chry-

(1) Ignat. *Epist. ad Trall.* cap. 9; Just. M. *Dial.* pag. 246. et seqq. Iren. lib. III, cap. 32; Hippolytus apud Theodoret. dial. 2; Tertull. *Apolog.* cap. 21. Horum omnium testimonia refert Petav. lib. VIII, cap. 8, § 1 et seqq. ac cap. 9. § 1.

(2) Loco nuper indicato.

(3) Ibid.

(4) Δύο θελήματα ἐνταῦθα δείκνυσι· τὸ μὲν ἀνθρώπινον, ὅπερ ἐστὶ τῆς σαρκός· τὸ δὲ θεῖκὸν, ὅπερ Θεοῦ· τὸ γὰρ ἀνθρώπινον διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, παραιτεῖται τὸ πάθος· τὸ δὲ θεῖκὸν αὐτοῦ, προθυμον. *De incarn. et cont. Arian.* n. 21, edit. Maur. tom. I, pag. 887.

(5) Ἐπειδὴ τοίνυν ἄλλο τὸ ἀνθρώπινον

sostomus, scribens : *Propriam quidem habere se voluntatem manifeste demonstrat, sed ubique paternam voluntatem anteponit suae* (1), et alibi passim. Ex latinis s. Ambrosius : *Sed alia*, inquit, *voluntas hominis, alia Dei... Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem praedico. Mea est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est; et ideo ait : Non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (2). Et haec ex multis pauca attulisse sufficiat.

463. Praestat demum rem totam concludere argumentis theologicis, quibus veteres usi sunt. Ac primo ex ipsa operationis notione. *Operatio*, seu ut eam Graeci vocant ἐνεργεία (*energia*), nihil aliud est ex communi philosophorum doctrina nisi motio substantiva naturae ejusque nota essentialis ; natura enim sine propria vi energia et operatione nec est nec intelligi potest; ergo totidem debent esse operationes in Christo, quot sunt in ipso naturae. Atqui, ut demonstravimus, duae sunt in Christo naturae distinctae et inconfusae; ergo duae sunt distinctae in eo agnoscendae et inconfusae operationes (3). Praeterea si unica in Christo esset operatio, haec vel simplex vel composita esset ; atqui neutrum dici potest ; si enim esset simplex, vel divina esset vel humana ; si divina, ergo Christus solum Deus esset ; si humana, homo tantummodo esset. Non potest esse composita ex operationibus utriusque naturae, quia in hac hypothesi simul divina et humana foret, creata et increata, infinita et finita seu potius nec divina nec humana esset. His aliisque hujusmodi argumentis monothelitas perstringebant patres, praesertim vero s. Maximus Confessor, in disputatione cum Pyrrho.

464. Praeter has ambas naturales operationes inesse in Christo humanas ac liberas voluntatis actiones seu volitiones liberas, quae ex deliberatione profluunt, ita evincitur : Verbum divinum, ut ex dictis liquet, naturam sibi assumpsit omnino perfectam ; atqui ad perfectionem nostrae naturae praecipue spectat vis electiva seu libera eligendi facultas, citra imperfectionem, quae inter bonum et malum versatur ; ergo in Christo homine haec reperiatur necesse est. Insuper sine humana libera voluntate Christus promerere non potuit, nec propterea nos redimere, ac pro nobis satisfacere ; atqui Christus utrumque praestitit, ut paulo post ostendemus ; ergo tali voluntate praeditus fuit (4).

θέλημα, καὶ τὸ θεῖον ἄλλο. Apud Agath. in *Epist. ad Imp.* in Actis sextae Synodi, actione IV, coll. Labb. tom. VI, col. 652.

(1) Καὶ ἴδιον μὲν θέλημα ἔχειν ἐναργῶς παρίστησι· προκρίνει δὲ παντὸς τοῦ ἰδίου τὸ πατρικὸν θέλημα. Cit. in VI Syn. act. X, col. 792.

(2) *De fide*, lib. II, cap. 7, n. 52 et 53, edit. Maur. tom. II, pag. 480.

(3) Hoc adeo exploratum veteres patres habebant, ut ex differentibus et distinctis operationibus colligerent, adversus apollinaristas et deinde adversus eutychianos, duas esse in Christo distinctas et diversas naturas. Cum enim actiones et operationes indicia et notae naturae sint cujuslibet, ex his tamquam principiis magis notis procedebant ad ostendendum quod minus notum videbatur, nempe diversitatem naturarum in Christo. Quare monothelitas, duplicem distinctam operationem in Christo negantes, illico patres apollinarismi et eutychianismi accusarunt, pro certo sumentes perinde esse negare operationem ac ipsam auferre naturam. Cf. Petav. lib. VIII, cap. 6 et 7.

(4) Ibid. lib. IX, cap. 8.

465. Sive igitur Scripturas consulamus, sive patrum doctrinam ac perpetuum ecclesiae sensum, sive denique rationes ex intima rei natura petitas, constat, duas naturales voluntates et operationes in Christo esse agnoscendas et profitendas.

DIFFICULTATES

466. I. Obj. 1. Nulla est nec esse potest in Christo voluntatum pugna; jam vero, si allata Scripturarum testimonia litterali sensu admitterentur, talis insurgeret pugna; metaphorice proinde accipienda sunt, nec quidquam pro adsertoribus duarum voluntatum et operationum evincunt. Quare patres 2. natum Christum dicebant *absque carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis*, ut Athanasius (1); vel 3. Christi *velle* fuisse totum *deificatum*, ut inter ceteros loquitur s. Greg. Naz. (2); vel 4. *carnis quidem passionem fuisse, Dei autem operationem*, ut Greg. Nyss. (3); vel 5. Christum *unam cognatam operationem per ambas naturas demonstrasse*, ut Cyrillus Alex. (4); vel 6. denique Christum *unam quamdam theandricam* (id est, *deivirilem*) *operationem nobiscum conversando exhibuisse*; ut prae ceteris Dionysius Areopagita (5). Quae omnia cum duplici Christi voluntate et operatione componi nequeunt. Ergo.

467. Resp. ad 1. *Neg. min.* Etenim illis verbis, quibus postulat Christus, ut, si fieri posset, transiret a se passionis imminentis calix, et in quibus Monothelitae pravi dogmatis sui vim collocabant ad ostendendum duarum voluntatum conflictum, non exprimit nisi naturalem affectionem carnis, seu, ut dicitur, partis inferioris mortem recusantis; quae quidem affectio insita nostrae naturae est, atque a Deo ipso ejusdem auctore illi ingesta. Quare, dum Christus ejus vocem expressit, ut nobis consubstantialem naturam se habere ostenderet, maxime obsecutus est auctori ipsi naturae. Haec autem naturalis affectio non est proprie dicta voluntas; dici propterea nequit, inde patefieri voluntatum contrarietatem; eo magis quod

(1) Δίχα σαρκικῶν θελημάτων καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων. Tom. I, pag. 500, *C.*

(2) *Orat.* XXXVI, pag. 585, A.

(3) In VI Syn. act. XII, edit. Lab. pag. 925. Ὡς εἶναι τῆς μὲν σαρκὸς τὸ πάθος, τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν.

(4) Μίαν συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεδειγμένον, τὸν Χριστὸν δηλαδὴ, φῆσας. Apud Maxim. *Disput. cum Pyrrho*, pag. 701. Qui Cyrilli locus, lib. IV, *Comment. in Joan.* legitur, pag. 361, edit. cit.

(5) Integer textus hujus loci, nempe *Epist.* IV *ad Cajum monachum*, ita se habet: Καὶ γὰρ, ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν, οὐχ ὡς μὴ ἄνθρωπος ἀλλ' ὡς ἐξ ἀνθρώπων, ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονώς. Καὶ τὸ λοιπὸν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. « Nam, ut summatim dicamus, ne homo quidem erat, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit. Ceterum divina non qua Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus et homo; *novam* quamdam nobiscum conversando deivirilem operationem exhibebat. » Edit. Corderii S. J. opp. tom. II, pag. 75, Antverp. 1634. De hoc Dionysio cfr. Le Quien, *Dissert.* II *damascenica*, § X et seqq. et Joan. Franc. Bern. Mar. de Rubeis, *De gestis et scriptis s. Thomae*, dissertat. XI, *De fide auctoris opp. quae vulgo areopagitica dicuntur*. Venet. 1750.

non absolute, sed sub conditione: *Si fieri potest*, ejusmodi affectionem sibi congenitam et secundum hominem patefecerit. Vera et proprie dicta voluntas humana Christi ex subsequentibus verbis ostenditur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, vel: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* quibus vincens naturalem illam affectionem infirmae naturae, se paratum exhibet ad Patris voluntati obsequendum, ac plenam ostendit voluntatis suae humanae cum voluntate divina consensionem et conformitatem. In his porro postremis verbis catholicorum argumenti vis sita est ad duas in Christo ostendendas voluntates.

468. Quod spectat ad alium textum, quem pariter objiciebant haeretici ad evincendum voluntatum conflictum, ex Joan. VI, 38: *Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* ostenditur quidem ex eo duplex in Christo voluntas, non autem earumdem pugna; cum voluntatem suam humanam Christus perfecte voluntati divinae seu voluntati Patris sui submissam ac plane conformem patefaciat, ita ut numquam ille, prout homo est, aliud velit, quam quod ipse vult, ut ex ipso contextu constat (1).

469. Ad 2. *D.* Ad excludendam ab humana Christi natura quidquid corruptelae ex Adamo in humanam naturam et generationem transiit, *C.* ad excludendam voluntatem humanam proprie dictam *N.*

470. Ad 3. *D.* Ita tamen ut integrum *velle* persisteret, *C.* absorptum aut confusum *N.* Alioquin non diceretur *deificatum*. *Quod natura divinum est*, ut loquitur s. Agatho Romanus Pontifex (2), *non indiget deificari; quod vero deificatur, non est profecto natura divinum.* Eadem igitur ratione dixerunt nonnulli patres deificatum Christi *velle*, qua deificatam dixerunt humanam ipsius naturam; quae tamen, ipsis Monothelitis fatentibus, integra permansit.

471. Ad 4. *D.* Principalem, quaeque regeret in suis motibus humanam naturam, *C.* solam, et quae excludit operationem humanam *N.* Ideo autem Nyssenus carnis passionem memorat; quia omnis creata natura, ut loquitur s. Joan. Damascenus (3), patiendo se movet et agit; sola autem natura divina sine passione se movet, et agit sine motu. *Passio* propterea hic improprie usurpatur.

472. Ad 5. *D.* Ob indivisum utriusque naturae et operationis concursum, *C.* ob unicum operationis naturale principium *N.* Cum enim arctissimo inter se nexu utraque natura copulata esset, hinc in Christi operationibus per modum unius semper concurrebat utriusque naturae operatio; quam propterea aptissime s. Cyrillus *cognatam* appellavit.

473. Ad 6. *D.* Id est, *novam*, prout plures legendum esse contendunt Dionysii, vulgo Areopagitae, testimonium, *C.* *unam* theandricam, ut aliis placet, *Subdist.* ratione praefatae cognationis juxta modo dicta, *C.* ratione unius naturalis principii *N.* (4).

474. 1. Obj. 1. Unitas operationis

(1) Cfr. Calmet. in hunc loc.

(2) In *Epist. I ad Imperatores*, quae extat in Act. IV Synodi VI. Leguntur autem recitata verba in *Coll. Concil.* Labb. tom. VI, col. 653.

(3) *De fide orthod.* lib. III, cap. 15, opp. edit. Le Quien, tom. I, pag. 236.

(4) De hoc pseudo-Dionysii dicto cfr. s. Joan. Damascenus loc. cit. cap. 19; nec non s. Maximus mart. in *Scholiis* ad hunc Dionysii locum edit. cit. Omnes enim in eo conveniunt, ut asserant, auctoris hujus mentem

sequitur ex unitate personae, 2. juxta illud theologico sermone tritum effatum: *Actiones sunt suppositorum;* cum ergo unica sit in Christo persona, unica debet quoque esse ejus operatio. 3. Nec quispiam est, qui inficiari possit, Christum unum esse volentem et operantem, ideoque unam ejus voluntatem et operationem. Quod ut manifestius fiat, juverit animadvertere, [a]) naturam humanam nihil ex se operari posse, sed solum ut motam a divina persona, ac proinde duo quidem in eo agnoscenda *operata*, non vero duas operationes; [b]) *esse* ad hypostasim subsistentem pertinere, ac propterea etiam *operari;* [c]) si operationes tribuantur naturae, cum eadem sit natura Patris et Filii et Spiritus Sancti, illud sequi, operationes naturae divinae in Christo tribus divinis personis esse tribuendas, quod absurdum esse nemo non videt; [d]) Personam Verbi usam esse humana natura tamquam instrumento quodam, ut patres passim loquuntur; una autem et eadem est operatio artificis et instrumenti, quod ab artifice adhibetur. [e]) Quare optime Honorius Pontifex tum unam asseruit in Christo voluntatem in epistolis ad Sergium datis, tum ejusdem Sergii agendi rationem et consilium laudavit. Ergo.

475. Resp. Ad 1. *N.* Principium enim, vis atque *energia* operationis est natura, licet *personalitas* sive subsistentia sit conditio, sine qua natura neque existere, neque proinde operari queat; alioquin tres operationes naturales in operibus ad extra, ut vocant, essent in Deo admittendae, quod nemo sanus dixerit.

476. Ad 2. *D.* Actiones sunt suppositi tamquam principii *quod*, ut scholae loquuntur, *C.* tamquam principii *quo* juxta modo datam explicationem *N.* (1).

477. Ad 3. *D.* Ratione unius ejusdemque personae operantis per utramque naturam, *C.* ratione unius ejusdemque operationis *N.* Quod declaratur exemplo gladii igniti, qui una eademque actione secat et urit, licet distincta sint principia secandi et urendi.

478. Ad confirm. [a]) *D.* Si natura humana careret propria virtute, vi ac energia, *C.* si propriam habeat, et juxta eam agat et operetur, licet mota a divina persona *N.* Sicut gladius ignitus ad lignum admotus urit vi propria; motio autem, quam natura a persona di-

non aliam fuisse, quam docere, conjunctim utramque naturam in Christo ratione ejusdem suppositi cum alterius communione agere illud, quod unaquaeque proprium habet, seu unum idemque esse operatum in utraque et pro utraque natura. Vid. etiam Petav. lib. VIII, capp. 10, 11 et 12.

(1) Circa hoc scholarum usu tritum axioma: *Actiones sunt suppositorum*, cfr. Petav. lib. VIII, cap. 2, ubi ostendit, facile in concordiam revocari posse tam eos, qui ejusmodi effatum admittunt, quam eos, qui rejiciunt. Cum enim suppositum sive hypostasis seu persona non aliud sit nisi natura ipsa singularis certo modo effecta, qui modus nec ad essentiam pertinet, nec *entitatem*, ut vocant, addit ullam, ideo quaecumque de supposito dicuntur, ea de natura praedicantur, non simpliciter, et ut in se seu in abstracto consideratur, sed quatenus quodammodo modificatur. Quocirca actiones esse suppositorum, nihil aliud est, quam esse naturae subsistentis. Non enim modus ille ipse, qui *subsistentia* vulgo in scholis vocatur, origo aut fons est actionis, sed tantum conditio quaedam, sine qua non exercetur actio. Itaque si strictius loqui velimus, quod proprie agit est natura, ipsa est principium actionis, non autem agit natura nisi subsistens sit.

vina accipit, propriae naturae, nempe liberae, consentanea est (1).

479. Ad conf. [b]) *D.* At diversa ratione, *C.* eadem *N.* Etenim *esse completum* pertinet ad personam ratione termini naturam individuantis, ut scholae loquuntur; operari vero pertinet ad personam tamquam conditionem, ut diximus, sine qua natura exerere propriam vim et facultatem non potest, sicut nec subsistere. At posito quod natura in persona subsistat, poterit et operari virtute propria. Operatio enim, ut animadvertit s. Thomas, est quidam effectus personae secundum aliquam formam vel naturam (2).

480. Ad conf. [c]) *D.* Si tribuantur naturae in genere, *C.* si naturae, prout in persona subsistit, id est, affecta seu modificata peculiari sua tessera et nota personali *N.* Porro unaquaeque personarum divinarum non solum *ad intra*, ut fertur, verum etiam in actionibus ad extra cum suo proprio personali respectu, charactere seu personali tessera operatur. Quare cum divini Verbi persona, prout distinguitur ab aliis personis, copulaverit sibi naturam humanam, sic, prout distinguitur a personis reliquis, in assumpta natura agit et operatur (3).

481. Ad conf. [d]) *D.* Tamquam instrumento hypostatice sibi conjuncto, nempe vivo, intelligente, propria vi et efficacia praedito, *C.* tamquam instrumento naturali aut artificiali, inerti, passivo ac propria vi et efficacia destituto *N.* Verbum enim non tribuit naturae humanae assumptae nisi subsistentiam. Subsistens porro humana haec natura in Verbo omnia, quae propria hominis sunt, propria vi omnino operabatur; ideoque intelligebat, volebat, ambulabat, loquebatur aliaque ejusmodi operabatur proprio motu et virtute, nec a Verbi persona dependebat nisi ad subsistendum, ac proinde ad operationes suas proprias exerendas, ut a conditione sine

(1) Cfr. s. Thom. p. III, q. 19, art. 1; tum s. Joan. Damasc. loc. cit.

(2) Loco cit. in resp. ad 4.

(3) Cum hanc sibi Petavius proposuisset difficultatem, lib. VIII, cap. 10, § 15, eidem occurrit animadvertendo, personam divinam ex duobus constare *natura* et *relatione*, ad naturae vero *conceptum*, *rationem* sive *definitionem* magis pertinere *essentiam* quam habitudinem sive proprietatem. Hinc definitur persona *rationalis naturae individua substantia*. Porro substantiae primae magis intima est ratio ipsa substantiae quam *singularitas* sive proprius subsistendi modus. Siquidem nihil rei ulli tam insitum, tamque intestinum est, quam essentia. Est autem personae essentia natura ipsamet, non personalis proprietas, quae in Divinis Personis est relatio. Igitur cum persona Verbi humanae naturae conjungi dicitur, non aliud intelligimus, quam naturam divinam cum ea copulari, non absolute praeciseque sumptam, sed qualenus determinata est et modificata personali Verbi proprietate. Quare ipsa quoque ἐνέργεια et operatio divina, secundum interiorem substantiam et ut est in Deo considerata et proprietate modificata Verbi, ad humanam naturam applicatur, et fit ei peculiaris, ac θεανδρικὴν ἐνέργειαν Christi propriam efficit, quae perinde ex operatione illa divina, per congruentem Verbo subsistendi modum definita et determinata, atque ex humana functione componitur, ut ex utraque natura persona ipsa Christi composita est. Ut autem natura divina humanae Christi naturae conjungitur, nec ex eo sequitur, totam ipsam Trinitatem uniri, etsi tota ipsa natura Trinitatis cum illa societur, sic operatio toti communis Trinitati cum humana operatione committitur; nec tamen eodem modo operari Trinitas ἐνεργείας θεανδρικὰς dicitur, quo Verbum ipsum; sed ut proprietate personali Verbi modificata est

qua nec subsistere, nec existere, nec operari posset, ut jam saepius expositum est (1).

482. Ad conf. (*) *D.* Unam Honorius asseruit in Christo voluntatem *humanam*, ad excludendam pugnam carnis et spiritus, qualis in nobis reperitur, *C.* ad excludendam divinam vel humanam voluntatem proprie dictam *N.* Ita exponunt Honorii mentem omnes coaevi scriptores, Joannes IV, Honorii post Severinum successor (2), s. Maximus mart. (3), Joannes abbas romanus et Honorii amanuensis, qui ejus nomine litteras ad Sergium datas exaravit (4). Sed praestat ipsa Honorii verba in medium adducere, ex quibus, quaenam ejus mens fuerit, plane dignoscitur: *Unde*, inquit, *et unam voluntatem fatemur D. N. J. C. quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa* (5); *illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata . . . Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis* (6). En quo sensu unam dixerit Honorius voluntatem in Christo.

483. Quod attinet ad *operationes*, Sergii fraude deceptus, approbavit Honorius ad novas praecavendas quaestiones, ne in posterum una vel gemina diceretur in Christo operatio; quia scilicet spectabat hanc denominationem ut discordiarum segetem, quaeque potius ad grammaticam quam ad ecclesiastica dogmata pertineret. En rursum ejus verba: *Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare* (7). Ceterum catholicam doctrinam quoad Christi operationes Honorium tenuisse evidenter ostendunt, quae scripsit Epist. II ad eumdem Sergium: *Utrasque naturas*, inquit, *in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei*

operatio ista, ad humanam ἐνεργείαν accommodatur. Cfr. etiam ib. cap. 12, § 14; necnon de Rubeis, in dissertat. *De gestis et scriptis s. Thomae*, diss. 1, cap. 14 et 17.

(1) Cfr. s. Thom. loc. cit. et in resp. ad 2, ubi inter cetera scribit: « Actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem, prout est res quaedam. Sic igitur operatio, quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi et divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quaedam, propriam operationem praeter divinam. »

(2) In *Apologia pro Honorio Papa ad Constantin. Imp.* apud Labb. *Coll. Concil.* tom. v, coll. 1760 et seq.

(3) *Disputat. cum Pyrrho*, opp. s. Maximi confessoris, gr. lat. edit. Combefisii, Ord. Praed. tom. II, pag. 181.

(4) Ibid. apud s. Maximum. Notandum vero est, s. Maximum hujus amanuensis auctoritate et testimonio ita fregisse audaciam Pyrrhi, ut eum ad silentium redegerit. Cfr. idem s. Max. *Epist. ad Marinum presbyt.* edit. Combefisii, tom. II, pag. 132 et in defloratione ex ejusd. *Epistola ad Petrum Illustrem*, ibid. pag. 75.

(5) In graeco textu apud Harduinum, tom. III, col. 1320 additur.: *in illa profecto natura, quae*, etc. ἐν ἐκείνῃ δηλαδὴ ἡ φύσις ἡ, κ. τ. λ.

(6) In collect. Harduini, loc. cit.

(7) Ibid.

sunt operantem ; et humanam, quae carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter . . . sed naturarum differentias integras confitentes (1).

484. Quod si nihilominus Honorii nomen inter haereticos Monothelitas recensitum fuit, atque anathematis telo percussum a concilio Constantinopolitano III, non ob dogmatis pravitatem id factum est, sed quia catholicam fidem *profana proditione*, ut loquitur Leo II, in *Epist. ad Constantinum Pogonatum* ejusdem Concilii confirmatoria, *immaculatam maculari permisit* (2) ; *qui*, ut rursum idem Pontifex loquitur in *Epist. ad Hispanos Episcopos, flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit* (3). Neque alio sensu concilium VI eum ut haereticum damnavit ; *utpote qui eos in his secutus est* (4) ; *hujusmodi haereseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator* (5) ; *horum* (monothelitarum) *haereseos in omnibus fautorem, concursorem atque confirmatorem* se gessit (6), ut legitur in actis ejusdem concilii ; quatenus scilicet approbavit oeconomiam de silentio circa unam vel duplicem operationem a monothelismi fautoribus propositam ; quorum dolum et versutiam non advertens Honorius, ab iis se decipi passus est (7) ; cum tamen pro munere huic haereticorum temperamento maxime obsistere debuisset, et viam omnem novae haeresi intercludere (8).

(1) Ibid. col. 1354.

(2) Ibid. col. 1475.

(3) Apud Labb. tom. VI, col. 1247.

(4) Actione XVIII, in coll. Harduini, loc. cit. col. 1422.

(5) Ib. in *Edicto Imperat. Constantini*, col. 1447.

(6) Ibid. col. 1455.

(7) Sed circa causas damnationis Honorii cfr. Pagius in *Critica ad annales Baronii*, ad annum 633, ad n. 32 et seqq. ubi Honorium simul, ut par est, a monothelismo immunem apertissime ostendit non solum adversus haereticos protestantes, sed insuper adversus nonnullos catholicos, qui, nescio quo spiritu ducti, exultant, si quam labem in Romanis Pontificibus sibi deprehendere videntur.

(8) Et haec perstrinxisse circa causam Honorii nobis satis sit, et quidem in hypothesi, quod integrae sint epistolae Honorii, prout referuntur in actis concilii VI, et integra acta ejusdem concilii. Nemo enim ignorat, card. Baronium plurimum adlaborasse, tum ut ejusmodi documenta adulterata esse ostenderet, tum ut spurias evinceret epistolas Leonis II, datas ad Imp. Constantinum, ad Episcopos Hispan. et ad Hervigium regem. Quam defensionis rationem denuo secutus est Joan. Bap. Bartholus, episc. Feltriensis, in cit. *Apologia pro Honorio*, saltem quod attinet ad epistolas Leonis II et epistolas Honorii, quas interpolatas esse contendit. Quoad epistolas Honorii, ipsis favet quod scribit s. Maximus Confessor in tomo dogmatico ad Maurinum, pag. 133, edit. cit. nempe : *Sanctissimum abbatem Joannem, ei* (Honorio) *ab epistolis adjutorem affirmantem, nullo modo in ea* (epistola) *per numerum unius prorsus voluntatis mentionem fecisse, licet hoc nunc ab eis confictum sit, qui epistolam graece reddiderunt*. Quod tamen quomodo cohaereat cum iis, quae ex cit. *Disput. cum Pyrrho* superius indicavi, non video. Haec enim ibi leguntur : *Is igitur* (abbas Joannes Honorii amanuensis) *cum ad sanctum Constantinum Imperatorem, ex persona rursus sancti Joannis Papae, de hac epistola scriberet, dixit : Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis dumtaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent,*

CAPUT IV.

DE COMMUNIONE IDIOMATUM ET ADORATIONE JESU CHRISTO DEBITA

485. Expositis et vindicatis quae ad essentiam, ut ita dicam, mysterii dominicae Incarnationis spectant illudque constituunt, reliquum est, ut praecipua colligamus consectaria, quae ex eo profluunt. Talia porro sunt idiomatum seu proprietatum communio sive communicatio et adoratio Christo debita, quae exsurgunt ex unitate divinae personae et hypostatico duarum nexu. Ne tamen, quae expendenda suscipimus, simul collecta confusionem ingerant, ea in duos articulos dispertiemur, ut singillatim de propositis doctrinae capitibus agamus.

ARTICULUS I.

De idiomatum communione

486. Quod a Latinis *communio idiomatum* seu proprietatum appellari consuevit, a Graecis passim ἀντίδοσις seu *mutua communicatio* aut etiam *permutatio* dicitur. Si rem vero spectes, communicatio idiomatum ea est, qua utraque natura et utriusque naturae proprietates sic enunciantur de Christo, ut, quae conveniunt homini, ea tribuantur Deo, et quae conveniunt Deo, de homine praedicentur. Fundamentum et causa proxima mutuae hujus idiomatum communicationis est hypostatica duarum naturarum unio; hac enim sublata, jam nullum locum habere posset. Tanti interest, diligenter explicare et retinere id, quod est communicatio idiomatum, quanti custodire sinceram et rectam Incarnationis notionem.

487. Quoniam vero non modo haeresis nestoriana, quae dividebat in Christo personas, sed haeresis quoque eutychiana vitanda est, quae miscebat et confundebat naturas, magna propterea cautione opus est, ac providendum diligentissime, ne quas de Christo verborum formulas adhibeamus, quae in alterutrum errorem inducere valeant. Multiplices propterea regulas theologi subjiciunt, quas recenset Petavius (1). Princeps tamen et fundamentalis, ad quam ceterae reducuntur, et a qua ceterae pendent, haec est, ut quaecumque de naturis mutuo praedicantur, aut de Christo contraria proferuntur, ea ad

respondit: Unam voluntatem diximus, Christum non duas contrarias voluntates habuisse, carnis scilicet et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter ejus humanitatem insigniret. Quod spectat ad Actorum concilii VI et epistolarum Leonis II veritatem et integritatem, cfr. quae egregie scripserunt Joan. Garnerius S. J. in op. *Liber diurnus Roman. Pontificum*, diss. I, § 6 et seqq.; Combefisius, *Dissert. apologetica pro actis sextae synodi*; Lupus, in dissert. *De sexta synodo* ad act. XVIII; auctor anonymus *Historiae monothelitarum*, in scrutinio 6; Pagius in *Critice Baronii* ad annum 681, ad num. 31 et seqq. Quo vero sensu interdum nomen *haeretici* usurparetur, et applicatum fuerit Honorio, cfr. Bolgeni S. J. in op. *Fatti dommatici* cap. 4, prop. 6. Verum de hoc argumento jam in Tract. *de Locis Theol.* p. I, sect. II, cap. IV, prop. III.

(1) Lib. IV, cap. 16, duodecim regulas enumerat, quas ex patribus graecis et latinis collegit.

suppositum seu personam referantur, non autem ad naturas seorsim sumptas; vel etiam, quod idem est, ut proprietates divinae et humanae de se mutuo enunciari tantum possit *concretis*, non autem *abstractis* vocabulis.

488. Nestorius priorem datae regulae partem negabat; et profitebatur, se non posse admittere Deum bimulum aut trimulum, nec B. Virginem posse deiparam nuncupari, ut suo loco vidimus. Eutyches ex contrario principio nitebatur subruere alteram nostrae regulae partem. Utramque nos propterea defendere cogimur.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto

489. Haec propositio ad fidem catholicam spectat, quam perpetuo professa ecclesia est. Hanc vero communionem seu communicationem idiomatum admittendam esse omnia illa Scripturarum testimonia evincunt, in quibus unus idemque Christus modo Deus et Filius Dei, modo homo et filius hominis nuncupatur. Rursum eam illa omnia loca ostendunt, in quibus Scripturae diversa plane ratione et varie de uno eodemque Christo loquuntur, ac nunc eum de coelo descendentem perhibent, nunc e muliere genitum; jam Deum anteriorem seculis omnibus, ac rursus novissimis diebus hominem; modo Deum crucifixum, modo hominem in coelo conversantem; ut disputantes adversus Nestorium et Eutychem prolatis Scripturarum oraculis ostendimus. Unde in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano idem Christus dicitur a Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo; atque idem rursus dicitur propter nos homines incarnatus, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus et sepultus.

490. Patres ex hac nominum permutatione ad convincendos haereticos valida identidem argumenta conficiunt; supervacaneum propterea censemus illorum singillatim verba proferre. Unus audiatur Gregorius Nyssenus, qui ante exortam Nestorianam haeresin floruit, sic Apollinarem perstringens: *Propter exactam assumptae carnis assumentisque divinitatis unitatem, mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur* (1).

491. Ratio demum theologica desumitur ex ipso hujus idiomatum communionis fundamento. Cum enim duae naturae arctissimo nexu consociatae sint, et in una eademque persona subsistant ejusque propriae sint, plane consequitur, posse pro diversitate naturarum diversa de una eademque persona enunciari, quae inter se contraria videntur.

DIFFICULTATES

492. Obj. 1. Quamvis homines in una natura conveniant, falso quod unius est proprium de altero enunciaretur; multo igitur minus in Christo, quae propria naturae divinae sunt, de humana, et vicissim quae propria sunt humanae naturae, praedicari possunt de divina, quae infinito intervallo inter se distant.

(1) *Epist. ad Theophil.* episc. Alexand. Καὶ διὰ τὴν ἀκριβῆ ἑνότητα τῆς τε προσληφθείσης σαρκὸς, καὶ τῆς προσλαβομένης θεότητος, ἀντιμεθίστανται τὰ ὀνόματα· ὥστε καὶ τὸ ἀνθρώπινον τῷ θείῳ, καὶ τὸ θεῖον τῷ ἀνθρωπίνῳ κατονομάζεσθαι. Opp. edit. Paris. 1615, tom. II, pag. 697. Reliqua patrum testimonia recole apud Petav. lib. IV, cap. 15.

2. Sane magis conveniunt tres Personae divinae inter se, quam humana et divina natura in Christo ; attamen in Trinitatis mysterio una persona de altera praedicari non potest; nec enim dici potest ex. gr. *Patrem esse Filium ;* ergo 3. multo minus admitti id potest in mysterio Incarnationis. 4. Praeterea unio duarum naturarum in Christo comparatur unioni corporis et animae in homine, ut patet ex symbolo Athanasiano ; porro de homine dici nequit : *anima est corpus*, et e converso. 5. Neque omittendum, toti Trinitati singulisque Personis convenire, quod de Deo praedicatur *absolute*, non autem *relative ;* at nomen *homo* non est *relativum*, sed *absolutum ;* si igitur quae hominis sunt de Deo praedicantur in Incarnatione, sequitur de tota Trinitate personisque singulis illud praedicari posse. 6. Hinc si vera esset haec propositio : *Homo est Deus*, haec pariter vera foret : *Homo est Pater aeternus*, juxta syllogismum a Scoto ita institutum : *Homo est Deus ; sed Deus est Pater Filius et Spiritus Sanctus ; ergo homo est Pater Filius et Spiritus Sanctus ;* quod absonum esse, nemo est qui non videat. 7. Demum falsitatis arguitur asserta propositio eo, quod ea, quae naturae humanae conveniunt, iis opponantur, quae divinae naturae propria sunt. Siquidem ea, quae propria sunt humanae naturae, imperfecta sunt, finita ac limitibus circumscripta ; contra vero perfectissima et infinita, quae sunt propria naturae divinae; misceri propterea deberet simulque conjungi finitum et infinitum, perfectum et imperfectum, quod repugnat ; 8. praesertim cum *assumi* ita conveniat naturae humanae, ut nullatenus de divina praedicari possit. Ergo.

493. Resp. Ad 1. *D.* Seposita hypostatica unione *C.* hac constituta *N.* Quilibet enim homo in propria subsistit hypostasi.

494. Ad 2. *D.* Quae tamen distinguuntur secundum hypostasim, *C.* secus *N.* In Christo autem una est persona utriusque naturae.

495. Ad 3. *D.* Ratione naturae humanae, *C.* personae *N.*

496. Ad 4. *D. min.* In abstracto, *C.* in concreto *N.*

497. Ad 5. *N. min.* Praedicatur enim nomen *homo* de Deo ratione unionis hypostaticae, ideoque relationem importat.

498. Ad 6. *D. maj.* Si Dei nomen assumeretur pro natura, *C.* si pro persona *N.* Atque inde responsio patet ad Scoti subtilitatem.

499. Ad 7. *D.* Si praedicarentur secundum eamdem rationem, *C.* si secundum diversas rationes, duarum nempe naturarum *N.*

500. Ad 8. *D. Ratione sui ipsius*, *C.* ratione *suppositi N.* Consulatur s. Thom. part. III, q. 26, art. 1 et seqq. Neque enim in his diutius nobis immorari fas est.

PROPOSITIO II.

Nullo modo admitti potest communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde Christi humanitati omnipotentia, ubiquitas, seu omnipraesentia.

501. Et haec propositio ad fidem catholicam pertinet, quam constanter professa est ecclesia. Longe aliter docuere lutherani ad adstruendam humanitatis Christi ubiquitatem, seu ut loqui malunt, *omnipraesentiam* (1).

(1) Etsi enim Lutherus ejusque asseclae, eutychiana labe infecti, contendant, ob assumptam a divino Verbo in unitate personae humanam naturam huic divinas proprietates com-

502. Ejusmodi enim lutheranorum commentum evertunt 1. omnia illa Scripturarum testimonia, quae Christum exhibent ambulantem ac de loco in locum transeuntem, quae innumera sunt; 2. illa omnia, quae ita exhibent Christum in uno loco commorantem, ut negent eum alibi esse. Sic, Joan. XI, 15, Christus, loquens de Lazaro, ait: *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum*. Martha quoque, ib. 21: *Domine, si fuisses hic*, inquit, *frater meus non fuisset mortuus*. Tum Angelus, Marc. XVI, 6, ad mulieres parentandi causa venientes ait: *Surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum;* 3. Illa ea loca omnia, quae post resurrectionem gloria jam et immortalitate donatum certo loco contineri Christum referunt. Sic Petrus, Act. III, 21, de Christo ait: *Quem oportet quidem coelum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium;* et Angelus post ascensum Domini, Act. 1, 11: *Hic Jesus*, inquit, *qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum*.

503. Eidem commento adversantur pariter fidei symbola, quae declarant Unigenitum Dei Filium incarnatum esse, et in utero Virginis conceptum, indeque in lucem editum, descendisse ad inferos, in sepulcrum illatum, et indidem resurgentem in coelum ascendisse, illinc postea venturum ad judicium, quae quidem aliaque his similia satis aperte ostendunt Christum Dominum in humana natura definito aliquo spatio comprehensum.

504. Illud insuper respuunt oecumenicae synodi, cujusmodi sunt Chalcedonensis, Constantinopolitanae II et III, quae statuunt, duas in Christo convenisse naturas inconfusas et impermixtas cum perfectione et differentia uniuscujusque propria; nec non generalis VII seu Nicaena II, quae proscribit iconoclastas, *incircumscriptam* assereutes in Christo humanam naturam.

505. Illud ipsum denique rejiciunt ecclesiae patres tum graeci tum latini, quorum testimonia longo agmine profert Petavius (1). Ne ea singillatim proferamus, quod hujus tractationis angustiae non patiuntur, sufficiat nobis rationem theologicam ab ipsis, nominatim vero a s. Athanasio adductam urgere.

506. Cum divina attributa unum sint cum divina essentia, non potest *formaliter*, ut aiunt, unum attributum sine alio, imo sine divina essentia communicari; ergo non potuit communicare humanae Christi naturae immensitas atque ubiquitas sive omnipraesentia, quin communicata ei fuerit aeternitas, imo ipsa divinitas; atqui hoc absurdum est et implicat. Ergo (2).

municatas fuisse, praesertim vero *immensitatem*, qua Deus ubique est, *ubiquitatis* tamen et *ubiquistarum* vocabula iniquo animo ferunt, et adversus ea reclamare solent. Excogitatum porro ab ipsis illud haereticum paradoxum est, ad tuendam realem corporis Christi praesentiam in eucharistia, nec adverterunt, ut ostendit Bellarminus, *De Christo*, lib. III, cap. 13, ubiquitatem pugnare cum ipso sacramento eucharistiae, ipsumque evertere.

(1) Lib. X, cap. 8 et 9.

(2) Cfr. Bellarmin. loc. cit. Gregor. De Valentia, *De Incarnat.* quaest. 2, punct. 3, § 1 et seqq.; Becan. *Manuale controvers.* lib. II, cap. 1, qui et originem detegunt hujus controversiae exortae inter lutheranos et sacramentarios, et innumeras prope subtilitates, quas lutherani Witembergenses invexerunt, ut se tum a catholicorum tum a sacramentariorum argumentis liberarent, persequuntur, eosque validissime confutant, ita ut postea illos ejusmodi doctrinae puduerit; quam

DIFFICULTATES

507. I. Obj. Scriptura tria de Christo homine affirmat, quae Ubiquistarum thesim mirifice statuunt. Ac 1. quidem in ipso inhabitare *omnem plenitudinem divinitatis corporaliter*, Colos. II, 9; quae cum iis congruunt, quae de se ipso asserit Christus, dicens, Luc. X, 22: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, seu ut clarius apud Joan. XVI, 15, ait: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt;* quibus significat divinas proprietates humanae suae naturae communicatas fuisse, ideoque et ubiquitatem. 2. Affirmat praeterea Scriptura Christum hominem peculiaria attributa omniscientiae et omnipotentiae habuisse, ut liquet ex Epist. ad Colos. II, 3: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi;* et sane ipse, ut dicitur Joan. II, 25, *noverat internas hominum cogitationes*, et *opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine;* siquidem, ut eum alloquitur Petrus, Joan. XXI, 17: *Tu omnia nosti*. Quare de Agno occiso ab origine mundi, seu de Christo secundum humanam naturam, Apoc. V, 12, dicitur: *Dignus est accipere virtutem et* DIVINITATEM *et sapientiam, et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem;* id est, omnia attributa divinae naturae, ideoque et potestatem judiciariam, quae Deo soli competit, Joan. V, 27; tum mortuos vivificandi, ibid. 21, et remittendi peccata, Matth. IX, 6. Quidni igitur et omnipraesentiam communicaverit? Quamquam inductione opus non sit, cum et hanc ei Scriptura aperte et expresse tribuat, dum 3. de Christo affirmat, quod ubique praesens sit, ut Matth. XVIII, 20: *Ubi sunt duo vel tres congregati .... ibi sum in medio eorum;* et ibid. XXVIII, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Paulus vero, Ephes. I, 22, dicit Christum datum esse *Caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur;* et clarius, ibid. IV, 10: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia*. Quae omnia confirmantur ex ejus sessione ad dexteram Dei, quae ubique profecto est (1). Ergo.

508. Resp. *Neg. antec.* Ad omnes vero probationes primae et secundae classis, *D.* In Christo, seu toto ejus supposito, *C.* in ejus humanitate formaliter sumpta *N.* Et sic omnia allata Scripturarum testimonia accipi debent, quae manifeste de tota Christi persona loquuntur.

509. Ad prob. tertiae classis, *D.* Et adducta Scripturarum oracula vel de adsistentia, spirituali protectione et auxilio disserunt, ut duo priores textus, *C.* de praesentia corporali *N.*;

510. Vel de Christo, prout est caput mysticum corporis mystici, quod est Ecclesia, ut Ephes. I, 22, *C.* prout est caput reale realis corporis *N.*, aut de potentia dominationis suae, ut Ephes. IV, 10. *C.* de corporali omnipraesentia *N.*

511. Ad confirmat. vero ex sessione

ideo sensim deliquescunt. Jam nemo lutheranorum est, qui hanc doctrinam tueatur. Supervacaneum propterea est modo velle pluribus ei insistere, ac omnes hujus controversiae similitudines exponere; tempus enim inutiliter tereremus.

(1) Ita Franc. Buddeus.

Christi ad dexteram Patris, *D.* ratione suppositi, *C.* humanae naturae *N.* Addo de justorum animabus dici pariter, Sap. III, 1, quod *in manu Dei sunt;* eadem porro ratione subsumi posset: sed manus Dei est ubique, ergo et justorum animae; quod nemo certe contendet.

512. II. Obj. Sancti patres aperte docent, *Christum ubique esse*, inter ceteros s. Cyrillus Alex., lib. XII, *In Joan.* cap. XXXII; quae patrum doctrina ipsi rationi congruit. 2. Christus enim est Verbum divinum; sed Verbum divinum est ubique; ergo et Christus ubique est. 3. Rursum: Deus omnipotens est ubique praesens; sed homo in Christo Deus factus est; igitur homo in Christo omnipotens et ubique praesens est. 4. Christi humanitas hypostatice est unita divinae naturae; ergo ubi est natura divina, ibi est natura humana; alioquin dici non posset unita toti naturae divinae, sed ejusdem parti; vel saltem alicubi esset divinitas, quae unita non esset humanae naturae; quae falsa sunt et absurda. Ergo.

513. Resp. Ad 1. *N.* Sed contrarium potius ubique docent patres disputantes adversus apollinaristas, et eutychianos, qui inducebant confusionem naturarum (1); dum itaque videntur Christo tribuere immensitatem, vel loquuntur de Christo ratione suppositi seu personae divinae, scilicet in concreto, vel loquuntur de ejus reali praesentia in eucharistia, ut nominatim Cyrillus loc. cit. et tunc neque immensitatem proprie dictam, aut ubiquitatem, prout Deo competit, Christo tribuunt seu ejus corpori, sed eam praesentiam, quae communicata ei sit per divinam omnipotentiam et voluntatem, quae in replicatione corporis consistit (2).

514. Ad 2. *D. maj.* Quatenus est persona vel suppositum, *C.* quatenus est humana natura, quo sensu in adducto paralogismo sumitur *N.*

515. Ad 3. *D. min.* Homo in Christo Deus factus est, ratione hypostaticae unionis, *C.* formaliter *N.*

516. Ad 4. *D. maj.* Sed inadaequate, *C.* adaequate *N.* Nempe humana, natura conjuncta est hypostatice divini Verbi personae, prout fert finita et imperfecta ejusdem humanae naturae conditio; hinc ubicumque adest natura humana ipsi inest natura divina, sed non vicissim. Fac, ut sol crystallinum discum perfecte pervadat; ubicumque est crystallinus discus, inest sol, non vero contra; idem dic de vento undique appensum velum pervadente. Atque ex his patet, ceteras sequelas, quas adversarii inferunt, sponte sua ruere; etenim supponunt hypostaticam unionem factam esse per quamdam localem coexistentiam, quod stultum est asserere; per hypostaticam enim unionem regitur a Verbi persona humanitas, quae in ea et per eam subsistit. Hac porro divina subsistentia non obstante, humana Christi natura in suo *esse*, ut aiunt, et perfectionibus et attributis sibi propriis manet, ut disputantes adversus eutychianos ostendimus (3).

(1) Cf. Petav. loc. cit.

(2) Stulte propterea, qui haec effutiunt, duo permiscent, quae toto coelo inter se differunt, immensitatem, quae attributum est incommunicabile divinae naturae, cum corporis reduplicatione, quam possibilem esse suo loco philosophi et theologi ostendunt. Fieri enim potest, ut idem corpus in diversis locis divina virtute ponatur, quin tamen aut immensum aut ubique esse dicatur aut sit. Cfr. Petav. lib. x, cap. 10, § 10 et seqq.

(3) Leviter hanc quaestionem attigimus, quae jamdiu obsolevit, ut diximus, apud ipsos protestantes.

ARTICULUS II.

De Christi adoratione.

517. De Christi adoratione, quae est alterum propositae doctrinae caput et unionis hypostaticae consectarium, perperam senserunt ex antiquioribus haereticis apollinaristae eutychiani ac nestoriani, ex recentioribus Wicleffus et sociniani plerique. Apollinaristae enim et eutychiani docuerunt, unam quidem Christo adorationem tribuendam, at id asseruerunt ducti haeretico principio de confusione naturarum in Christo; nestoriani vero, etsi Christum ut hominem quoque latriae cultu adorandum esse autumarent, duas tamen adorationes, quarum altera seorsim Dei Verbo, altera seorsim homini exhiberetur, introduxerunt, ideo quia duas in Christo distinguebant personas. Wicleffus autem Christum hominem etiam a verbo sejunctum eadem, qua Verbum, adoratione colendum esse affirmabat (1). Sociniani denique, qui negant Christi divinitatem, in duas factiones divisi sunt, scilicet in *adorantes* et in *non adorantes*. Primi putant cultu latriae Christum esse adorandum, eo quod tamquam legatus referat personam Dei, alii autem recusant Christo ejusmodi cultum.

518. Synodus Pistoriensis, ut sibi viam sterneret ad impugnandum cultum sacratissimi Cordis Jesu, asserit: *Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae* (2). Hinc invehitur in ipsum cultum et in cultores Cordis Jesu. Haec autem doctrina non ita pridem a schismatico episcopo janseniano revocata est, qui inter sectarios recenset illos Christi fideles, qui divino cultu Cor Jesu prosequuntur (3).

519. Ut germanam propterea Ecclesiae doctrinam circa debitam Christo adorationem tueamur, duo praestabimus. Primo ostendemus adversus recensitos haereticos uno eodemque supremo la-

(1) Hoc nempe adstruit Wicleffus in impossibili hypothesi, quod Christi humanitas a Verbi persona separaretur, prout refert Thom. Waldensis, Ord. Carm. in suo *Doctrinali antiquitatum fidei*, in prologo in primam partem, ubi recensens errores Wicleffi, inter ceteros et hunc ponit: *humanitatem Christi, si per impossibile dimitteretur, adorarent verum seculi Salvatorem*. Tom. I, pag. 13; Venet. 1571.

(2) Quae est prop. LXI, et in Constit. *Auctorem fidei* hac censura perstringitur: *Quatenus per hoc verbum* directe *intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se, et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur* (ex Concilio V generali, can. IX), *falsa, captiosa, ac debito cultui humanitatis Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens, et injuriosa . . .*

(3) Grégoire, ancien évêque de Blois, *Histoire des sectes religieuses*, liv. III, ch. 20, *Cordicoles, ou Histoire critique des dévotions nouvelles au sacré Coeur de Jésus et au coeur de Marie*, Paris 1828. In quo capite, ut in pluribus aliis, certare inter se videntur falsitates, calumniae, mendacia, quae auctor, licet centies protrita, ac si primum a se proferantur, in medium adducit denuo.

triae cultu cum Verbo divino humanam Christi naturam esse adorandam. Deinde adversus Pistorienses ac jansenistas reliquos Sedis Apostolicae, quae cultum Cordis Jesu probavit, vindicias sumemus, ostendentes ejusmodi cultum omni superstitionis labe esse prorsus immunem.

PROPOSITIO I.

Uno eodemque supremo latriae cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, cum quo est hypostatice conjuncta

520. Propositio haec est de fide; contradictoria enim propositio proscripta est in concilio generali V, canone IX, his verbis concepto, juxta versionem Lateranensis Synodi: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo et semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit* (1).

521. Priusquam vero hujus veritatis argumenta proferantur, nonnulla, quae lucem affundant, praemittenda sunt ad omnem ambiguitatem tollendam.

522. Ac 1. quidem animadvertendum est, aliud esse *objectum* cultus nostri in materia, de qua est sermo, aliud *motivum*. Objectum est ipsa caro, seu potius humanitas Christi, prout subsistit in Verbo, seu *in concreto*, quae adoratur directe, immediate et in se (2); motivum est unio hypostatica, qua factum est, ut caro illa sit *propria Verbi* seu *caro Dei*, ut patres loquuntur (3). Hinc, etsi caro Christi adoretur *in se*, non adoratur tamen *propter se*, quod proprium est solius divinitatis, quae est simul objectum et motivum supremi latriae cultus, ac propterea adoratur *in se* et *propter se*.

523. 2. Cum igitur fundamentum seu motivum istius supremi cultus, quo

(1) Cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. III, col. 198, tum Concil. Lateran. sub Martino I, act. seu secretario 4, ibid. in *Collect.* Hard. col. 839. Quibus addi possent epistola synodica conc. Alex. ad Nestorium a Cyrillo data, et concilium Chalcedonense, act. V.

(2) Permisceri nequeunt perinde ac synonyma essent adverbia *directe*, *separatim*, *primario*; etenim tum ex lexicis tum ex communi loquendi usu constat, has voces aliud omnino, non vero idem significare. Hinc fieri potest, ut adoratio *directe* tribuatur humanitati Christi, etsi ei non tribuatur *separatim* et *primario*, neque in ea terminetur. Qui propterea generatim et universe statuit, humanitatem Christi non posse *directe* adorari adoratione latriae, hoc ipso generatim et universe excludit omnem modum, quo talis adoratio dirigi potest ad humanitatem Christi, etiam cum ad eam dirigitur non propter se, nec separatim a divinitate, sed ita ut non in ea terminetur, sed in Verbo in quo humanitas Christi subsistit. Sublata proinde quacumque *directa* adoratione latriae erga humanitatem Christi, hoc ipso tollitur omnis eidem exhibenda adoratio latriae; cum intelligi nequeat exhiberi posse cultum, quin illud objectum respiciat, cui tribuitur. Merito propterea ut erronea notata fuit propositio synodi Pistoriensis. Cfr. Gerdil, *Animadv. in notas Feller*, § II, not. I, opp. Gerdil. edit. rom. tom. XIV.

(3) Cfr. apud eumdem, § I.

Christi humanitatem prosequimur, sit unio hypostatica, plane consequitur, adorationem ejusmodi non terminari aut sistere in ipsa Christi humanitate, sed in Verbo, quod ei factum est subsistentia, ut loquitur s. Joan. Damascenus (1).

524. 3. Demum notandum est, perinde esse adorare Christi humanitatem seu carnem ac adorare Christum ipsum, qui Deus homo est; neque unquam adorari posse ejusmodi cultu humanitatem Christi in abstracto, sed semper coli debere in concreto, seu totum et integrum Christum, qui profecto in partes discerpi nequit (2).

525. His ita positis, ut coeptum insistamus iter, sic veritatem thesis nostrae adstruimus tum ex sacris Litteris, tum ex perpetua et constanti patrum traditione et ecclesiae sensu, tum denique ex ratione ipsa theologica.

526. Scripturae passim supremo latriae cultu Christum, nempe Deum hominem, adoratum atque adorandum exhibent. Sane Apostolus, Hebr. I, 6, scribit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei;* et rursum, Epist. ad Philipp. II, 10: *In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum.* Quapropter Magi, divino impellente Spiritu, Christum Jesum *procidentes adoraverunt* (3); et caecus natus, interrogatus

(1) *De fide orthod.* lib. III, cap. 8. Ejus verba inferius dabimus.

(2) Ex his patet immerito Feller (qui tamen aliunde optime de christiana et catholica fide meritus est tot praeclaris operibus, quibus eam egregie defendit et illustravit) in notulis, quas apposuit Constitutioni *Auctorem fidei*, inter cetera scripsisse: « Unde merito, si accuratio theologica spectetur, culpatur illa separatio in oratione: Sacrosanctae et individuae Trinitati, crucifixi D. N. J. C. humanitati, etc. ». Hoc enim ipso quod vocatur *humanitas Christi*, evidens est spectari Christi humanitatem in Verbo subsistentem et in concreto, nec ullam induci divisionem ac separationem; alioquin pari jure culpanda esset oratio, quam ecclesia in sacrae liturgiae secretis per annum recitare consuevit: *Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas;* culpanda item invocatio cum latriae cultu conjuncta, quae fit a sacerdote sacram hostiam sive sumente, sive porrigente: *Corpus D. N. J. C. custodiat animam meam*, vel *tuam, in vitam aeternam*. Quis enim unquam dixerit, in ejusmodi invocationibus injici suspicionem aut periculum separationis? Ceterum distincta mentio, quae in objecta oratione fit Trinitatis et humanitatis Christi crucifixi, eo spectat, ut distincte recolantur, ac velut in recitantium officium mente defixa teneantur duo praecipua fidei nostrae distincta mysteria, sacrosanctae nimirum Trinitatis et Incarnationis Christi Domini, beataeque passionis, quam ipse pro generis humani salute in sua humanitate sustinuit. Cfr. Gerdil. loc. cit. Ast longe pejus a veritate discessere jansenistae, qui praefatam orationem, quam plures a s. Bonaventura confectam tradunt, quamque Leo X et Urbanus VIII commendarunt et indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus ditarunt, quam denique universa usurpat Ecclesia, velut ineptam et erroribus scatentem traducere non dubitarunt, ut D. Pannalini episcopus Clusensis et Pientinus, qui eam vocavit *Formola di pregare indigesta*, et extensor demum kalendarii ejusdem dioecesis, qui scribere non erubuit: *Pluribus scatet erroribus;* ast apposite cl. auctor *Dictionarii Ricciani et anti-Ricciani* canonicus Guasco, de ejusmodi kalendariographo scribit: *Multa ipse scatet ignorantia*. Cfr. *Dict. Ricc.* art. 115, ac supplementum *Al giorn. eccles. di Roma*, 1789, quint. IV, pag. 233 et seq.

(3) Matth. II, 11: Πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ. Religiosam ac latreuticam fuisse hanc Magorum adorationem, secus ac cum Ri-

a Christo: *Tu credis in Filium Dei?* respondit: *Credo, Domine, et procidens adoravit eum*, Joan. IX, 38. Hanc eamdem adorationem exhibent Apostoli eidem Christo a mortuis excitato: *Videntes eum adoraverunt*, Matth. XXVIII, 17. In his porro similibusque testimoniis agi de adoratione latriae delata toti Christo nempe homini Deo, constat tum ex verbis ipsis, tum ex toto contextu, atque ex sensu ecclesiae ac totius antiquitatis (1).

527. Hinc patres perpetuo insectati sunt eos, qui vel ejusmodi cultum Christo denegabant, ut plures ariani, vel qui Christi humanitatis adorationem inficiabantur, ut apollinaristae, qui Catholicos convicii causa vocabant ἀνθρωπόλατρας seu *hominicolas* (2); et unanimiter docuerunt Christi carnem Verbo conjunctam supremo latriae cultu esse adorandam: ita Athanasius, Epiphanius, Gregorius Naz. atque Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Joannes Damascenus, aliique apud Petavium (3). Ne longiores simus, quam par est, nos unius Augustini verba proferemus ex patribus latinis, et Joan. Damasceni ex patribus graecis. Sic igitur loquitur S. Augustinus, enarrans verba Ps. XCVIII, *Adorate scabellum pedum ejus: Fluctuans converto me ad Christum quia ipsum quaero hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando* (4). S. autem Joan. Damascenus rationem prae-

chardo Simonio nonnulli audaciores critici autumant, omnia hujus facti adjuncta suadent. Quare cum Richardus in multorum incidisset reprehensionem ob illam sententiam, quam in versione gallica N. T. emiserat, eam postea emollivit in sua *Historia critica N. T.* Notandum porro est vocem πεσόντες perinde valere ac *cadentes*, *prostrati*, etc. Cfr. Lib. Fassonii, *Diss. de cultu Jesu Christo a Magis exhibito*, adv. Richard. Simonium et Sam. Basnagium, in *Thes. theol.* Zachariae, tom. IX, pag. 739.

(1) Cfr. Maldonatus, *Comment. in* IV *Evang.* ad cit. loc.

(2) Nempe apollinaristae unica Christum adoratione venerandum esse docuerunt; sed aliter ac catholica fides habet, communem cum ea sententiam interpretati sunt. Cum enim unionem duarum naturarum inficiarentur haeretici illi, docebant Christum non esse hominem perfectum ac nostri similem; sed solam carnem a Verbo esse susceptam, eamque e coelo delapsam, et Patri ὁμοούσιον, hoc est, *ejusdem substantiae* cum Deo statuerunt, ut latissime tradidit s. Athanasius in lib. *De incarnatione*, qui illos propterea arguebat, quod Incarnationem revera e medio tollerent, hoc est, humanae carnis assumptionem, nec aliud praeterquam solam carnis speciem ac larvam admitterent, quemadmodum marcionitae et manichaei. Hac propterea perversa imbuti sententia unicam Christo docebant adorationem esse tribuendam. Ceterum haec animadversio confert tum ad intelligentiam canonis IX, quem attulimus, Conc. V generalis, tum ad intelligentiam nonnullorum patrum testimoniorum, qui praefatos haereticos impugnarunt. Catholici autem et ipsi docent, unica adoratione in utraque natura Christum esse prosequendum, sed ob unitatem personae.

(3) Lib. XV, cap. 3, § 7 et seqq.

(4) *Enarr. in Psal.* XCVIII, n. 9. edit. Maur. tom. IV. Adnotant vero Maurini editores opp. s. Ambrosii, in nota ad n. 79, libri III *De Spiritu Sancto*, s. Augustinum fi-

terea theologicam includit, scribens: *Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus; quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturae servimus : non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro* (1).

528. Ex his patet, hujus veritatis rationem theologicam esse hypostaticam unionem Verbi cum humanitate. Cultus enim et adoratio toti rei subsistenti tribuitur, atque ad personam proprie refertur; atqui natura divina et humana, simul conjunctae in unitate personae divini Verbi, totum ac unum Christum constituunt. Igitur natura ipsa humana uno eodemque supremo latriae cultu cum Verbo divino est adoranda, non quidem propter se, ut superius adnotavimus, sed propter Verbum.

529. Et haec quoad fidei dogma. Disceptari solet insuper a scholasticis, num praeter illum latriae cultum, quo Christi humanitatem, prout Verbo conjuncta est, adoramus, possit deferri cultus latriae inferior, quem vocamus *hyperduliae* huic ipsi humanitati, quatenus mentis praecisione distincta apprehenditur a divinitate. Et alii in aliam atque aliam sententiam abierunt, aut affirmando scilicet aut negando (2). Nobis vero supervacanea haec quaestio videtur, imo et periculi plena. Ceteris enim omissis, cum ex superius dictis constet, totam rationem existentiae hujus humanitatis esse subsistentiam Verbi, sine qua humanitas Christi in concreto nec est nec

delissimum s. Ambrosii discipulum, cum exponeret superius citatum ab Ambrosio Psalmi XCVIII versum: *Adorate scabellum pedum ejus*, ut eum Sacramento altaris accommodaret, non solum Ambrosianas sententias, sed et verba ipsa mutuatum esse. Cfr. s. Ambros. loc. cit. tom. II, opp. pag. 681, cum nota apposita. Ineluctabile enim in utriusque s. Patris verbis argumentum habetur, quod obiter dico, pristinae fidei circa realem Christi praesentiam in eucharistia, ac supremum latriae cultum eidem exhibendum.

(1) *De fide orthodoxa*, lib. III, cap. 8: Οὐκ ἀπροσκύνητον τὴν σάρκα λέγοντες· προσκυνεῖται γὰρ ἐν τῇ μιᾷ τοῦ Λόγου ὑποστάσει, ἥτις αὐτῇ ὑπόστασις γέγονεν· οὐ γὰρ ὡς ψιλὴν σάρκα προσκυνοῦμεν, ἀλλ' ὡς ἡνωμένην Θεότητι, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν τοῦ Θεοῦ Λόγου, τῶν δύο αὐτοῦ ἀναγομένων φύσεων· δέδοικα τοῦ ἀνθρακος ἅψασθαι διὰ τὸ τῷ ξύλῳ συνημμένον πῦρ· προσκυνῶ τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον, διὰ τὴν τῇ σαρκὶ ἡνωμένην Θεότητα. Edit. Le Quien, cujus eruditi editoris cfr. nota ad hunc loc. opp. tom. I, pag. 216.

(2) Diversas ac discrepantes scholasticorum sententias recenset Vasquez in III part. s. Thomae, disp. XCVI, cap. I, et seqq. Ipse vero sententiam negantem fuse tamquam unice veram tuetur, utpote consentaneam doctrinae patrum et conciliorum; affirmantem autem sententiam omni argumentorum genere confutat, ostenditque perperam in subsidium hujus doctrinae adduci auctoritatem s. Thomae, praesertim a Cajetano, Suarezio, aliisque ejusdem sententiae patronis. Non aliud enim docet s. Th. p. III, q. 25, a. 1 et 2, quam adorationem Christo delatam duplici titulo ipsi deferri, tum ratione gratiae habitualis et donorum, tum ratione deitatis praecipue; quia utrumque apprehendimus, et ratione utriusque adoratione dignus est; non autem quod una adoratio possit ab alia separari, aut uni seorsum naturae unam adorationem, seorsum alteri aliam exhiberi. Cfr. Vasquez, loc. cit. cap. 5, n. 34.

concipi potest, velle eam mentis praecisione separare, ad ei cultum tribuendum distinctum inferioris ordinis, perinde esse videtur ac ipsam destruere ad eam honorandam. Demum, ut verbis utar Thomassinii, quid attinet novos excogitare et congerere illi carni honores? An ei abunde non sufficiunt divini? An ei non sufficiunt, qui Deo sufficiunt? An illi parum est, quod Deo satis est (1)?

DIFFICULTATES

530. Obj. 1. Non adoratur supremo latriae cultu nisi Deus. Jam vero caro Christi non est Deus. 2. Hinc s. Augustinus *Honoratur*, inquit, *homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit: Pater major me est* (2). 3. Et s. Cyrillus, anathematismo VIII contra Nestorium, asserit, *nefas esse hominem assumptum coadorare cum Deo Verbo*. 4. Nec prodest unio substantialis humanitatis cum Verbo; siquidem ex ea non exurgeret nisi adoratio relativa, non autem absoluta, qualis ad latriae cultum requiritur; 5. aut saltem dicendum cum Durando, humanitatem Christi adorandam tantum esse *per accidens*, quod tamen theologi unanimi consensu improbant. Ergo.

531. Resp. Ad 1., *D.* Ratione sui et propter se, *C.* ratione hypostaticae unionis et propter Verbum, prout exposuimus *N.*

532. Ad 2., *D.* Spectata humanitate in se ipsa, *C.* subsistente in Verbo *N.* Ibi enim s. Doctor loquitur de humanitate Christi abstracte spectata non autem in concreto, prout in Verbo subsistit, de qua nos disserimus, cui s. Pater tum in hoc ipso tractatu (3), tum loco in probationibus adducto, luculenter divinos vindicat honores.

533. Ad 3., *D.* In sensu Nestorii dividentis personas, *C.* in sensu catholico *N.* Una enim adoratio Christi, ut jam animadvertimus et ab Apollinari et a Nestorio, et ab ecclesia catholica verbis iisdem, sensu longe dissimili praedicatur. Unitas enim adorationis ab Apollinari propugnabatur, ut natura confunderet, a Nestorio, ut personas divideret, ab ecclesia, ut geminas inconfusasque naturas in una persona profiteatur. Quare Nestorius dicere solebat, referente eodem s. Cyrillo, *propter gestantem gestatum veneror; propter latentem adoro spectabilem* (4). Cui quidem impietati opponit Cyrillus anatematismum VIII, qui ita integer se habet; *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et connuncupari Deum, tamquam alterum cum altero; adjectio enim* Σὺν (cum) *syllabae hoc cogit intelligi; et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit* (5).

534. Ad 4., *Neg. conseq.* Etenim

(1) *De Incarn.* lib. XI, cap. 3, § 13, ubi tredecim argumenta urget ad excludendam duplicem ejusmodi adorationem, quae gravissima profecto videntur.

(2) *Tract.* XXIII *in Joan.* n. 13, edit. Maur.

(3) Tract. cit. n. 6.

(4) *Adv. Nestor.* lib. II, opp. tom. VI, pag. 56: Διὰ τὸν φοροῦντά φησι, τὸν φορούμενον σέβω· διὰ τὸν κεκρυμμένον, προσκυνέω τὸν φαινόμενον.

(5) Ex versione Dionysii Exigui apud Harduin. tom. I, *Act. Concil. col.* 1194: Εἴ τις τολμήσει λέγειν, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ Λόγῳ, καὶ συνδοξάζεσθαι, καὶ συγχρηματίζειν Θεὸν, ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ· τὸ γὰρ Σὺν ἀεὶ προστιθέμενον, τοῦτο νοεῖν ἀναγκάζει, καὶ

per unionem hypostaticam facta est illa caro caro Dei, Deumque propterea cum carne sua adoramus.

535. Ad 5., *D.* Per accidens, id est, non propter se et ex consequenti, *C.* per accidentalem unionem, quam Nestorius invexit *N.* Nec alius est sensus Durandi, qui solum contendit, humanitatem illam non esse adorandam propter se, sed propter Verbum, cui copulata est (1).

PROPOSITIO II.

Cultus sacratissimi Cordis Jesu, prout ab Apostolica Sede probatus est, atque in Ecclesia Catholica frequentari consuevit, pius est, et ab omni superstitionis labe immunis

536. Propositio haec est *certa*, ut patet tum ex censura lata a Pio VI., in Constitut. *Auctorem fidei*, ad propos. LXII. synodi Pistoriensis, his verbis conceptam: *Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat* (synodus) *velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam sedem injuriosa*. Tum ex censura, qua perstringitur propositio LXIII: *Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit* (synodus), *quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae. Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro; captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa*.

537. Ex his vero censuris deprehendimus, 1. objectum cultus, de quo disserimus, esse *ipsum Cor Jesu*, id est, cor personae Verbi incarnati; 2. cultum, qui specialiter Cordi Jesu defertur, esse supremum, seu latriae, quo nempe personam Verbi incarnati adoramus, a qua nullatenus cor separatur aut separari potest; 3. cultum istum, qualis ab Apostolica Sede probatus est, ab omni prorsus esse superstitione immunem.

538. Cum ejusmodi *objecto* confundi aut permisceri nequit *motivum* ejusdem cultus. Quod quidem motivum multiplex est; ac 1. quidem quia istud sanctissimum Cor exhibitum est a Christo ipso tamquam piarum suarum affectionum sedes, quas nos ab ipso mutuari vult, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, Matth. XI, 29; 2. quia cor ex communi hominum sensu et recepto ac universali loquendi usu, a Scriptura ipsa consecrato, est symbolum amoris, ac propterea cor Jesu symbo-

οὐχὶ δὴ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ μιαν αὐτῷ τὴν δοξολογίαν ἀναπέμπει, καθὸ γέγονε σάρξ ὁ Λόγος· ἀνάθεμα ἔστω. Hinc Cyrillus, lib. citato contra eundem Nestorium, ipsum arguit idololatriae, eo quod non admissa hypostatica ac substantiali unione Christi, tamen carnem dixerit eodem cultu esse adorandam ac ejus divinitatem.

(1) Cf. de hoc ipso argumento s. Thom. loc. cit.

lum immensae illius charitatis et amoris, quo tot ac tanta Christus pro nobis fecit ac perpessus est ad nos redimendos, ac potissimum quo pro nobis instituit SS. Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, quo pascimur ac potamur; 3. quia per hoc sanctissimi cordis symbolum vehementer fideles incalescunt, tum ad recolendam Christi morientis passionem, tum ad rependendum eidem Christo amorem et grati animi sensum pro tot beneficiis, quibus ab eo affecti et cumulati sunt. Atque haec sunt, quae substantiam, ut ita dicam, ac spiritum seu animam ejusmodi devotionis seu cultus constituunt prout toties Romani Pontifices declararunt.

539. Numquam propterea in hoc cultu objectum a motivo separari aut dispesci debet, ut plenus ille habeatur. Exurgit enim hic cultus ex utroque objecto, *materiali*, ut vocant, et *formali* simul sumptis, seu colitur Cor Jesu *in se* ac prout est *amoris symbolum*. Cor enim verum et reale seu physicum est subjectum hujus symboli, quod quidem symbolum sine ipso vero corde concipi nequit. Objectum autem formale seu motivum rationem suppeditat, quare cor potius quam aliud corporis Christi membrum a fidelibus colatur et adoretur, seu cur fideles dirigant speciali modo cultum suum ad cor, quatenus in ejusdem Christi corpore reperitur, seu in *totalitate* cum ceteris partibus coexistit et in persona Verbi subsistit.

540. Quibus ad tollendam omnem aequivocationem et praeoccupandas difficultates enucleatis, reliquum est, ut veritatem enunciatae propositionis vindicemus. Ad hoc porro conficiendum tria ostendamus oportet: *primo* Cor Jesu in se, prout corporea pars est carnis Christi (quod ab Apostolica Sede probatum vidimus ex censura propositionis LXIII. syn. Pistoriensis, constituere objectum materiale hujus cultus), esse supremo latriae cultu adorandum; *deinde* objectum formale seu motivum ejusdem cultus certum suppeditare fundamentum, quo speciali ratione dirigatur adoratio ad Cor Jesu, prout symbolum est ejus in nos immensae charitatis; *tertio* demum hunc specialem cultum, qui Cordi Jesu defertur, tum ratione sui tum ratione symboli pium esse atque ab omni prorsus superstitionis labe immunem. Quae quidem singillatim breviter ac perspicue ostendemus.

541. Primum facile evincitur: de fide enim est, ut ex demonstratis constat, unionem hypostaticam immediate cum tota Christi humanitate, ac singulis ejusdem humanitatis partibus factam esse; imo hypostaticam unionem Verbi cum humanitate esse rationem formalem, qua humanitas ipsa ac singulae ejus partes subsistant ac existant in rerum natura, seu in concreto. Ergo tum humanitas tum singulae ejusdem humanitatis partes colendae sunt cultu latriae ob divini Verbi personam, cujus propriae factae sunt. Sane triduo mortis Christi tam ejus anima, quam ejus corpus et sanguis, etsi ab invicem separata essent, colenda erant cultu latriae ob unionem, quae semper extitit iis cum ipsa divina persona, in qua subsistebant. Hoc adeo evidens est ex fidei principiis, ut vel ipsi acerrimi impugnatores devotionis Cordis Jesu id fateri ultro debuerint (1); atque ante ipsos

(1) Sic enim Blasius, in opusculo quod inscripsit: *De festo Cordis Jesu, dissertatio commonitoria*, anno 1781, cap. 12: *Cor Jesu*, inquit, *proprie et per se sumptum ob hypostaticam unionem capax est adorationis latriae*.

hanc catholicam veritatem enunciaverat praestantissimus theologus Sylvius, dum affirmavit, *carnem et animam Christi et membra corporis ejus adoranda esse adoratione latriae* (1). Ergo.

542. *Alterum* eadem facilitate adstruitur; etenim illud suppeditare fundamentum specialis cultus erga aliquam determinatam partem cujusdam objecti censendum est, quod ita hanc partem a reliquis distinguit, ut pro ea talia militent rationum momenta, quae non aeque pro reliquis valent, neque iis communia sunt. Sane hoc principio ducta ecclesia probavit cultum *Quinque plagarum* Redemptoris solemni Officio ac Missa peculiari, in cujus Oratione, Communione et Postcommunione sic orat Sacerdos: *Ut qui Vulnera D. N. J. C. hodie devote colimus*. Nil aliud autem est vulnus lateris, ut in eo haereamus, quod propius cor attingit, nisi latus ipsum vulneratum; et ideo hunc cultum probavit ecclesia, quia etsi includantur hae partes vulneratae in objecto, quod est corpus Jesu, specialem tamen habent mysticam significationem, et militant pro iis specialia rationum momenta seu motiva, quae non aeque in reliquis inveniuntur. Tale porro esse motivum, quo speciali ratione Cor Jesu prae reliquis corporis ipsius membris determinate sit colendum, patet tum ex eo, quod Christus ipse, ut vidimus, Cor suum velut piarum suarum affectionum sedem exhibuerit, tum praeterea ex eo, quod cor aptissimum symbolum sit immensae illius charitatis, qua Christus dilexit nos, et seipsum tradidit pro nobis; quae quidem charitas a fidelibus sub hoc symbolo speciali ratione recolitur. Ad hanc porro memoriam excitandam potissimum intenderunt summi Pontifices in hujus cultus approbatione, prout probarunt festum *Quinque Plagarum* aliaque festa, quae ad specialem quamdam Christi corporis partem referuntur, ob mysticam illam significationem, quam prae se ferunt, quaeque peculiarem exhibent in speciali eo cultu defixam recordationem mysterii cujuspiam, insignisve cujuspiam redemptionis beneficii.

543. *Postremum* ex iis, quae nobis probanda proposuimus, scilicet ejusmodi cultum pium esse atque ab omni superstitione immunem, non est nisi corollarium, quod necessario consequitur ex praemissis. Nam si Cor Jesu, nempe Cor personae Verbi incarnati, adorari debet cultu latriae; si ob mysticam significationem sedis amoris et charitatis, cujus cor symbolum est, licet in ipsum determinate specialem cultum dirigere, prout determinate in quamdam corporis partem dirigitur in cultu *Quinque Vulnerum*, omnino sequitur, cultum sacratissimi Cordis Jesu, qualis ab Apostolica Sede probatus est et in ecclesia receptus, pium esse atque ab omni superstitione immunem.

544. Notandum denique est cum cl. Gerdilio, cum singularis pars, in quam adoratio dirigitur, non adoretur nisi propter unionem hypostaticam cum persona Verbi, profecto intelligi in adoratione, quae huic parti exhibetur, adorari ipsam Verbi personam, atque adeo Christum totum, cujus persona alia non est nisi persona Verbi. Quo fit, ut, cum Christus totus in ea sui corporis parte adoratur, nullo pacto ab ejus partis adoratione amota et exclusa intelligi debeat humanitatis totius adoratio. Et revera nemo unquam reperietur pius Cordis Jesu cultor, qui, dum Cor Jesu adorat, utpote est Cor Jesu, in eo adorationis cultu non intendat, personam ipsam

(1) In III part. q. 6, apud Gerdil, op. cit. pag. 340.

Christi, atque adeo divinitatem ejus totamque sacrosanctam humanitatem comprehendere. Ob speciale tamen motivum, ut saepius diximus, quod militat pro Corde Jesu, tum ratione sui tum ratione symboli, determinate dirigitur cultus ad ipsum cor, etsi reliquae partes, quae toti insunt, non excludantur. Hinc patet nullam oriri posse suspicionem aut divisionis aut exclusionis in ejusmodi cultu prout sibi adversarii fingunt (1).

545. Quibus si accedat, fieri non posse, ut quispiam vere catholicus superstitionis damnet cultum in universa ecclesia receptum et innumeris prope spiritualibus privilegiis et indulgentiis auctum et cumulatum a summis Pontificibus, ab iisque summopere commendatum, cujusmodi esse constat cultum Cordis Jesu, aperte colligitur et plane patet propositum nostrum ac veritas assertae propositionis (2).

DIFFICULTATES

546. I. Obj. 1. Cultus Cordis Jesu, prout a S. Sede probatus est, non habet pro objecto nisi solam Christi charitatem sub sensibili cordis symbolo exhibitam; perperam igitur et contra ejusdem S. Sedis apertam declarationem cor ipsum reale, materiale seu physicum Christi Jesu adstruitur tamquam ejusdem cultus objectum. 2. Sane in hujus festi decreto sacra rituum Congregatio declarat, per ejusmodi cultum *symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam* (3). 3. Quod clarius etiam in lectionibus hujus festi inculcatur illis verbis: *Quam charitatem . . . ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII P. M. ejusdem sanctissimi Cordis festum, quibusdam petentibus Ecclesiis, celebrare permisit* (4). 4. Quare de solo cultu *symbolico* exponit Card. Gerdilius sensum, quo sacra rituum Congregatio et Rom. Pontifex approbarunt eam devotionem (5). Ergo.

547. Resp. ad 1., *N.* Illum enim cultum probavit S. Sedes, quem probandum simpliciter petierunt episcopi regni Poloniae et Archiconfraternitas sub hoc titulo Cordis Jesu in Urbe erecta. Jam vero, fatentibus ipsis adversariis, episcopi Poloniae et Archiconfraternitas in Urbe non petierunt approbationem cultus symbolici, sed cultus veri et physici Cordis Jesu, seu *proprie sumpti* (6); respondit enim s. ri-

(1) Cfr. Gerdil, op. cit. pag. 348. ubi genuinum sensum aperuit verborum Pii VI, quibus nonnulli prave usi sunt, quae continentur in Rescripto dato ad Pistoriensem episcopum Ricci.

(2) Cfr. Gerdil, op. cit. pag. 372 et seqq. Cfr. etiam Faure, *Saggi teologici per formare un errata-corrige*, Saggio II, Lugano 1773; necnon Emm. Marques, *Defensio SS. Cordis Jesu*, Venet. 1781; Joan. Fel. Henr. Fumel, in op. cui titulus: *Il culto dell' amor divino, ossia la divozione al SS. Cuore di Gesù trad. dal franc. corredata di annotazioni da Luigi Mozzi*, Bologna 1782. His omnibus praeiverat P. Joseph de Gallifet S. J. *De cultu sacrosancti Cordis Dei ac D. N. J. C. in variis christiani orbis provinciis propagato*, Romae 1726.

(3) Decret. S. Rituum Congregationis 6 Febr. 1765.

(4) Lectione III secundi nocturni.

(5) Grégoire, *Hist. des sectes religieuses*, loc. cit.

(6) En verba Blasii, ex ejus *Diss. commonit.* Prolus. pag. 15 et 16: *Petitum*

tuum Congregatio: *Annuendum precibus censuit*. Rursum ille cultus a S. Sede probatur, quem alias probare recusaverat, dicendo: *Praevio recessu a decisis;* atqui cultus, quem probare recusaverat, iisdem adversariis fatentibus, non est cultus symbolicus, sed cultus cordis proprie sumpti (1). 3. Suo decreto non aliud intendit S. Congregatio, quam *ampliare* cultum jam longe lateque in ecclesia receptum; en rursum decreti verba: *Simulque intelligens* (S. Congregatio) *hujus Officii et Missae celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum;* jam vero, iisdem adversariis fatentibus, cultus *receptus* non erat symbolicus, sed veri et carnei Cordis Jesu (2). 4. Si qua adhuc superfuisset dubitatio circa sensum S. Sedis, sublata est ex censura, quam retulimus propositionis LXIII synodi Pistoriensis. 5. Demum evincitur ex ipsa agendi ratione adversariorum, qui non alia de causa profitentur se impugnare eum cultum, quam quod per ipsum introducatur divisio in Christi humanitate, ut ex dicendis magis patebit. Falsum igitur est, quod adversarii assumunt.

548. Ad 2., sive ad 1. probat. *D. Symbolice*, nempe per *Cor Jesu*, quod est amoris symbolum, *C.* independenter ab ipso corde proprie dicto *N.* Vidimus enim adorari Cor Jesu, prout symbolum est charitatis, ideoque tum *ratione sui*, tamquam objectum materiale, tum *ratione symboli*, tamquam objectum formale, seu motivum. Non alium porro esse sensum citati decreti, patet per se et ex toto contextu (3).

549. Ad 3., seu ad 2, probat. *N.*

fuit Officium et Missa pro cultu cordis proprie sumpti.

(1) Audiatur iterum Blasius: *S. Congregatio anno* 1697, 1727 *et* 1729 *abstinendum censuit a concessione Officii et Missae pro cultu cordis proprie sumpti.* Ibid.

(2) Ita Blasius: « Porro, inquit, cultus Cordis carnalis Jesu non nudiustertius, sed seculo superiore vertente duxit exordium a revelatione, quae facta perhibetur in Galliis V. Margaritae Alacoque. Revelationem ex ore ejusdem excepit P. La Colombière Soc. Jesu. De institutione hujus festi non multo post agi coeptum est ». Ibid. Prolus. pag. 12.

(3) Ejusmodi enim tenoris est rescriptum S. Congregationis, datum die 26 Januar. 1765: « Instantia positionis: Polona, Concessionis Officii et Missae propriae in honorem SS. Cordis Jesu; » respondet Congregatio: « Pro gratia, pro Episcopis regni Poloniae, qui specialiter supplicarunt, nec non pro archiconfraternitate sub titulo SS. Cordis Jesu ». Die vero 6. Februarii ejusdem anni relatum rescriptum excepit decretum ejusdem Sacrae Congregationis typis vulgatum his verbis: « Instantibus pro concessione Officii et Missae SS. Cordis Jesu plerisque reverendissimis Episcopis regni Poloniae, nec non confraternitate Urbis, hoc sub titulo erecta, Congregatio s. Rituum, habita die 26 Januarii hujus anni (1765), probe noscens, cultum Cordis Jesu jam hodie esse per omnes fere catholici orbis partes, foventibus earum Episcopis, propagatum, saepe etiam a Sede Apostolica decoratum millenis indulgentiarum Brevibus, datis ad innumeras propemodum confraternitates sub titulo Cordis Jesu canonice erectas, simulque intelligens hujus Officii et Missae celebratione non aliud agi quam ampliari cultum jam institutum, et symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde; his de causis referente Eminentiss. et Reverendiss. D. Card. Episc. Sabinensi, audito R. P. D. Cajetano Forti, promotore fidei, praevio recessu a decisis sub die 30 Julii 1729, annuendum precibus censuit

Etenim, ut ex adductis verbis liquet, sanctissimum Cor Jesu est symbolum sub quo fideles devotius ac ferventius recolunt Christi Jesu charitatem; jam vere symbolum est realiter distinctum a re, quae per symbolum refertur, cum nihil possit esse symbolum sui ipsius; ergo, dum conceditur festum Cordis Jesu, conceditur festum Cordis ejus realis et proprie dicti ut symboli amoris et charitatis. Talem autem, et non alium sensum esse ejusmodi verborum, magis patet ex eo, quod ibi dicatur: *Quibusdam petentibus Ecclesiis* porro nulla ecclesia petierat festum cordis symbolici; sed omnes, ut ostendimus, petierant festum veri ac realis Cordis Christi. Denique id ipsum manifestum fit tum ex ipsa lectione S. Bernardi, quae in illo festo recitatur, in qua sermo est de Corde Christi *vulnerato* tum ex ejusdem Officii hymnis (1).

550. Ad 4., *N.* Adversarius, qui id asserere non erubuit, aut numquam legit opusculum Gerdilii, in quo cl. auctor propugnat censuram Pii VI adversus notas Franc. Xaverii Feller, aut aperte mentitur.

551. II. Obj. Nisi dicatur probatus a S. Sede cultus cordis symbolici, plura sequerentur absurda, ac 1. introduceretur cultus materialis ac directus ad unam determinatam partem adorabilis Christi corporis; 2. induceretur nestorianismus per divisionem uniuscujusque naturae, ac propterea tribueretur altera adoratio Deo et altera homini, quum ecclesia definierit unicam adorationem Verbi incarnati esse admittendam; 3. Dei cultus foret secundarius et concomitans cultum novae hujusce devotionis (2). Ergo.

552. Resp. *N. antec.* Ejusmodi enim absurda commentitia sunt, quaeque ab adversario finguntur. Etenim

episcoporum regni Poloniae et dictae archiconfraternitatis Urbis, deliberatura deinde de Officio et Missa rite approbandis. Quod quidem Congregationis votum per me Secretarium relatum SS. D. N. Clem. P. XIII, Sanctitas sua, hujus etiam decreti tenore perlecto, in omnibus approbavit, hac die 6 Febr. 1765. »

(1) Sic enim s. Bernardus, seu potius ignotus auctor *Vitis mysticae*, seu *Tractatus de passione Domini*, cujus verba proferuntur in lectione III secundi nocturni festi SS. Cordis Jesu, quae ita se habent: « Ad hoc enim perforatum est latus tuum . . ., ad hoc vulneratum est cor tuum . . . et propterea vulneratum est, ut per vulnus amoris invisibile videamus ». Inter opp. s. Bernard. edit. Mabilon. vol. II, col. 447. In hymno vero ad Vesperas:

Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera,
Ut nos lavaret sordibus,
Unda fluente et sanguine.

Et in hymno ad Laudes:

Te vulneratum caritas
Ictu patenti voluit
Amoris invisibilis,
Ut veneremur vulnera.

Quaeri hic potest ab osoribus Cordis Jesu, an aqua et sanguis fluxerint ex corde symbolico, et num cor symbolicum fuerit lancea percussum et vulneratum? Ex his praeterea patet quam a vero abludant nonnulli dum autumant duplex dari objectum cultus erga Sacratissimum Cor Jesu ab ecclesia probati, materiale scilicet Christi cor, et mysticum, seu symbolicum, nempe Christi erga nos charitatem. Hi enim permiscent verum *objectum* cultus Cordis Jesu cum *motivo* ejusdem cultus. Objectum unum idemque est, nempe cor carneum Christi Jesu, motivum est charitas seu amor cujus cor ejus instrumentum fuit.

(2) Grégoire, loc. cit.

553. Non sequitur *primum* absurdum de cultu, ut vocat, *materiali;* alioquin *materialis* quoque vocandus esset cultus, qui sacrosanctae Christi Domini humanitati defertur, quod a fide catholica abhorret. Si igitur materialis dici nequit cultus istius humanitatis, quare materialis censenda erit adoratio, qua ejusdem humanitatis partes coluntur, cum fundamentum seu ratio formalis illius adorationis sit unio hypostatica, quae immediate facta est cum toto corpore et singulis partibus ejus (1)? Adoratur enim *Cor Dei*, seu personae Verbi. Adde, hanc propositionem, utpote *injuriosam* cultoribus Cordis Jesu, fuisse proscriptam in Constitutione *Auctorem fidei;* hinc a nullo sincero catholico teneri potest.

554. Non sequitur *secundum*, inducí nempe nestorianismum per duplicem adorationem Dei et hominis. Haec enim non est nisi calumnia toties repulsa, ac demum damnata pariter inter errores synodi Pistoriensis, quaeque a nobis praeoccupata est cum statum quaestionis aperiremus. Siquidem una eademque adoratione colitur Cor divini Verbi incarnati, seu potius persona Christi in corde suo.

555. Non denique sequitur *tertium*. Si enim una eademque adoratione colitur Deus-homo in corde suo, ea ratione qua diximus et ostendimus adorandam cultu latriae Christi humanitatem *in se*, licet non *propter se* sed propter Verbum, per quod et in quo eadem humanitas subsistit, et ita subsistit, ut sine tali subsistentia nec concipi possit in rerum natura ejusmodi humanitas, jam patet quam stultum sit asserere ex cultu Cordis Jesu consequi cultum Dei fore secundarium (2).

556. III. Obj. Saltem purgari nequit hic cultus a superstitione. Nam non intelligitur, 1. quomodo adoranda sit pars, quae jam adoratur in toto, nempe in Christi corpore; 2. quomodo dirigatur cultus ad cor, quin introducatur divisio ac quaedam laniatio et discerptio in ejusdem Christi corpus; 3. quare potius cor coli debeat quam oculi, pedes, manus, etc. ut arguebat sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. 4. Sed falsum praeterea est, quod assumitur ab hujus cultus patronis, cor esse affectionum sedem; exploratum siquidem apud recentiores physiologos est, in systemate nerveo residere principium sensationum et motuum, qui a voluntate pendent. Voluntas enim in nervos agit, ac per eos anima sentit; nervi autem, ut plerique contendunt, originem ducunt a medulla spinali, ut vocant, seu, ut aliis placet, a cerebro, juxta alios a diaphragmate repeti debent, nullatenus vero a corde. Etenim cor non est nisi musculus, qui systemati sanguineo inservit. Ex ejusmodi vero opinionum diversitate non inepte quispiam quaerit, an non expediat festum instituere sacrae *glandulae*, sacri *cerebri*, etc., ex quo eorum

(1) Audiatur iterum Sylvius in part. III, q. 25, art. 2: « Quare simpliciter, *inquit*, dicendum est, carnem et animam Christi, sicut et membra corporis ejus, adorauda esse adoratione latriae, quae quidem eis debetur ratione hypostasis Verbi Dei; a qua et in qua sustentantur ».

(2) Qui hoc objiciunt, non advertunt se pariter impetere cultum, qui tribuitur Christi corpori et sanguini in eucharistia. Cum enim una eademque adoratione Christi humanitas adoretur cum divinitate, non potest distingui objectum primarium et secundarium ejusmodi cultus. Sed recolantur superius dicta in propositione antecedenti.

cultores *cerebellistae*, aut *pinealistae*, etc. nuncuparentur. 5. Si his addatur, ejusmodi Cordis Jesu cultum incognitum plane fuisse toti antiquitati, 6. ejus introductionem turbas ubique excitasse, 7. ter a sacra Rituum congregatione rejectum, demum hanc nonnisi machinationibus factiosorum cessisse, ut eum permitteret, 8. patebit, jure merito inter superstitiosas devotiones hunc cultum esse recensendum, ejusque patronos *cordicolas*, seu *cardialatras*, *sectarios* dictos esse (1). Ergo

557. Resp. *N. antec.* Ad 1. prob. Dicimus eadem ratione coli Cor Jesu qua speciali cultu donantur *sacra Vulnera*, nempe ob mysticam significationem immensae charitatis Christi, ac cetera motiva, quae superius recensuimus (2).

558. Ad 2. *N.* Sed, ut pariter exposuimus, una eademque indivisibili ac individua adoratione adoratur Christus, seu Verbi persona incarnata, in corde suo, ceteris membris corporis Christi non exclusis. Nam adoratur cor in humanitate, quae subsistit in divina Verbi persona (3).

559. Ad 3., Respondeo, ideo cor potius coli, quia pro pedibus, manibus, etc. illud non militat peculiare motivum mysticae significationis aut charitatis symboli, quod militat pro corde. Falsum porro est, quod dicitur de Benedicto XIV; cum debuisset dici Prosper Lambertinius, qui haec objiciebat cum promotoris fidei officio fungeretur, ac propterea ex munere suo contrarias partes sustinens, ut in ejusmodi causis fit (4). Ceterum Benedictus XIV, nempe summus Pontifex, pluribus indulgentiis ditavit cultores Cordis Jesu, et ejusmodi cultum semper fovit atque promovit (5).

560. Ad 4., *N. suppositum*; siquidem veram rationem attulimus ex mystica significatione, seu amoris et charitatis symbolo, quod prae se fert cor, et quia Christus ipse *velut* piarum affectionum suarum sedem cor suum proposuit. Itaque non dicitur *absolute* cor esse affectionum sedem, sed quod tamquam affectionum sedes exhibeatur a

(1) Ita Grégoire, p. 248 et seqq.

(2) Cfr. Card. Gerdil. op. cit. pag. 374 et seqq. nota (1), ubi ostendit, nullum posse ab adversariis discrimen afferri inter cultum a S. Sede jam antea probatum, *Quinque Vulnerum*, et cultum Cordis Jesu, prout spectatur ut pars humanitatis Christi, seu organum peculiare; summaque sedulitate disjicit, quae ab iisdem discrimina excogitata sunt, ut hujus argumenti vim eluderent. Id ipsum dici potest de cultu pretiosissimi Christi sanguinis, aliisque ejusmodi festis, quae Officio ac Missa propria celebrantur.

(3) Cf. Muzzarelli, « Dissertazione intorno alle regole da osservarsi per parlare e scrivere con esattezza e con proprietà su la divozione e sul culto dovuto al ss. Cuore di G. C. » Roma 1806, in qua cl. auctor hoc argumentum plene evolvit.

(4) Totam actorum seriem ipsemet refert in eximio opere de *Beatif. et Canonizat. Sanctorum*, lib. IV, part. II, cap. 31, n. 19 et seqq.

(5) Cujus rei fidem faciunt tum archiconfraternitas ss. Cordis Jesu, in Urbe instituta a B. Leonardo a Portu Mauritio, atque ab eodem Pontifice approbata, cui praeterea nomen dedit, tum litterae, quas in forma *Brevis* dedit Galliarum Reginae anno 1748, tum plures indulgentiae ab eo concessae cultoribus Cordis Jesu. Hinc patet fraus, qua primum usus est episc. Ricci, dum scripsit: « Che il gran Pontefice Benedetto XIV ci assicura, che la Chiesa ricusò per tre volte di prestarsi ai fautori e promotori di questa divozione, non avendo mai permesso, che s'introducesse la festa »; postea vero alii eum imitati sunt.

Christo. Non est propterea cur salebrosam physiologicam quaestionem attingamus, utrum cor reipsa sedes affectionum sit ac *sensitivitatis*, ut vocant, nec ne; cum nihil referat ejusmodi quaestio ad institutum nostrum, quod ab illa est omnino independens. Hinc cetera ruunt, quae adversarius congerit ex nuperrimis physiologis quoad diversas sententias in quas ipsi distrahuntur circa originem nervorum et sensitivitatis sedem; nec nisi falsa suppositione innixus potuit ore profano asserere, non inepte a quopiam quaeri posse, foret necne melius festum instituere *sacrae glandulae*, etc. (1).

561. Ast neque istud concedendum est, quod auctor hic pro certo sumit, physiologiam nobis adversari. Nota enim apud recentiores physiologos haec sunt: 1. Cor omnium musculorum corporis nostri nobilissimum esse, cum organum praecipuum sit, imo centrum systematis vascularis seu sanguinei, atque, ut modo loqui amant, *irrigatorii*, quod una cum systemate nerveo praeest vitae corporis animalis (2). 2. Juxta certissimas anatomicas observationes ac repetita experimenta, cor magna nervorum copia instructum esse (3). 3. Omnes nervei systematis partes suam habere efficaciam, existere per se, neque a cerebro aut spinali medulla ullatenus pendere (4), ac propterea, quod consequens est, cordis actionem neque cerebro neque a medulla spinali dimanare; excitari tamen, si stimuli hisce partibus applicentur, cum omnes partes ejusdem systematis amice inter se conspirent, et aliae aliis partem suae efficientiae communicent, omnesque ad totius systematis actionem aliquid conferant (5). 4. Exploratum praeterea apud eosdem est, cor prae ceteris musculis incitabilitate, ut loquuntur, contractibilitate irritabilitate atque exquisitiori quadam sensitivitate donari ob nervos, quos vocant sympathicos, quibus abundat. Hinc 5. motus cardiacos animi affectionibus ac passionibus, praesertim si vividiores eae sint, ita subesse, ut subito cor vel subsiliat laetitia, vel angatur moerore; ac propterea ejusmodi motus cardiacos sola pathematum animi vi et efficacia perverti, totumque irrigatorium systema perturbari (6); quod si pathema vehe-

(1) Sane numquam Deus praecepit hominibus, ut eum diligerent ex *toto cerebro*, ex *toto diaphragmate*, etc. sed praecepit, ut diligant eum *ex toto corde*.

(2) Cfr. cl. Laurent. Martini, *Lezioni di fisiologia*, Torino 1827, lez. XLIII, *Sistema sanguigno*, tom. IV.

(3) Nonnulli physiologi dubitarunt, utrum cor nervis esset instructum; Beherendsius, ulterius progressus, prorsus nervos cordi negavit; at cl. Scarpa magnam nervorum cardiacorum copiam ita demonstravit, ut jam nemo inveniatur, qui de hac re quaestionem moveat, aut dubium. Cfr. ibid. et lez. XLII, *Sistema nervoso*.

(4) Cfr. idem ibid. lez. XLVII, *Muscoli*, tum in op. *Elementa physiologiae*, Taurini 1835, lib. I, pag. 25-31, ubi affert experimenta Wilsonii, ex quibus constat, cordis actionem neque a cerebro, neque a medulla spinali dimanare. Plures enim nervi e gangliis prodeunt; sic plerique nervi cardiaci ex ganglio sub corde posito originem habent. Ex his patet, quibus melius competat *cerebellistae* aut *pinealistae* denominatio, an nobis scilicet, qui plerosque nervos cardiacos ex gangliis repetimus cardiacis et respectivo plexu, an vero Grégoire, qui cum suis omnes nervos repetit a cerebro, aut encephalo, et medulla spinali, in quo non meliorem physiologum quam theologum se praebet.

(5) Ibid. tum pag. 23 et seq. ubi Bichati, Richerandi aliorumque hypotheses falsitate laborare ostendit, qui nervei systematis sensiferi centrum in encephalo collocant.

(6) Ibid. pag. 31. Cfr. praeterea *Diction-*

mens et constans fuerit, morbosam affectionem et organicum interdum vitium in corde ingenerari, quandoque vero et mortem ipsam, ut suo loco pathologi docent (1). Haec autem aliaque non pauca consulto a nobis praetermissa, ne in alienam provinciam excurrere videamur ad theologum non pertinentem, et a qua, ut diximus, cultus iste nullo modo pendet, satis evincunt, cor animi affectionibus maxime affici eo ipso, quod in nerveo systemate sensitivitatis et affectionum sedes collocetur, ac sub hoc respectu vere cor dici et esse affectuum organum et instrumentum praecipuum, imo et sedem (2).

562. Ad 5. *D.* Quoad festi celebrationem, *C.* quoad rem ipsam *N.* Alioquin innumerae prope ejusmodi devotiones hoc praetextu excludi ac respui deberent, quae, cum primum peculiari festo et officio cohonestabantur, novae erant (3). Adde, hanc difficultatem aeque premere cultum cordis symbolici, quem tamen adversarius cum suis commendat.

563. Ad 6. *D.* Ex parte jansenistarum eorumque gregalium, *C.* ex parte piorum catholicorum, saltem postquam ab Apostolica Sede probatus est *N.* Quot oppositiones non sustinuit festum Conceptionis B. Virginis (4)? Quot festum Corporis Christi? Sane de posteriori hoc festo apud Bollandianos legitur: *Festivitatem illam positam fuisse in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum cui contradiceretur; innumerabiles habuisse contradictores et atrocissimos im-*

naire abrégé des sciences médicinales, Milan. 1825, art. *Passion*, pag. 357 et seqq. necnon *Physiologie des passions*, par J. L. Alibert, Paris 1825, duobus vol. in-8. Ex hac perturbatione, quam systema irrigatorium ab animi affectionibus patitur, explicatur sudor sanguineus Christi Domini in horto, de quo s. Luc. XXII, 44; nam systole et diastole, quae duos praecipuos constituunt cordis motus sanguinis circuitioni inservientes, perturbatae in functionibus suis et anormales effectae, phaenomenon illud produxerunt. Haud me latet Hilarium Pictav. *De Trin.* lib. X, n. 41, prodigiis accensere ejusmodi sudorem sanguineum, dum scribit: *Contra naturam est sudare sanguinem*. Verum non modo Aristoteles, *Hist. animal.* lib. III, cap. 19, et *De animal. partibus*, lib. III, cap. 5, Galenus, seu quisquis auctor est libri *De utilitate respirationis*, Theophrastus Eresius in tractatu *De sudoribus*; sed etiam, post restauratas litteras in Italia, Collius, *De sanguine Christi*; Greg. Leti, *Vita Sixti* V, lib. VI; Saporitius, in *Ephemeridibus germanicis* anni 1712; in Gallia Maldonatus, in Matth. XXVI, 37; Fagonius, facultatis parisiensis medicus, in thesi anni 1665; Mervillius, *Miscellaneorum*, tom. III; Thuanus, *Historiarum*, lib. II; in Germania Scheuckius, *Observat.* 138, lib. VI; in Helvetia Conradus Lycostenes, in *Prodigiorum ac ostentorum chronico*, aliique viri docti non pauci suis temporibus mares ac feminas, vel morbo sollicitatos, vel animi moerore confectos, sanguine sudasse, sive quod ipsi viderint, sive diligenter explorata veritate, testantur. Cfr. Calmet, *Dissert. de sanguineo Christi sudore*. Quae ideo attulimus, quia mirifice rem nostram confirmant.

(1) Cf. inter alios cit. *Dictionarium*, loc. cit. pag. 354, et Allan Burns, *Osservazioni sopra più frequenti malattie del cuore*, tradot. dall' inglese, Milano 1816.

(2) Non quatenus cor centrum est systematis irrigatorii, sed, ut diximus, ob quantitatem et qualitatem nervorum quibus instructum est.

(3) Cfr. Marques, op. cit. part. I, consect. propos. IX, art. 1.

(4) Cf. P. Victor a Cabal., Ord. min. ref. in opere, cui titulus: *De superstitiosa timiditate vitanda*.

pugnatores (1). Quid inde? Festum Corporis Domini a s. Sede probatum perseverat, et nomina impugnatorum, utpote in pulvere exarata, levioris aurae impetu evanuerunt; idem contigit et continget de festo ss. Cordis Jesu deque ejus impugnatoribus (2).

564. Ad 7. *D.* Et haec agendi ratio ineluctabile est documentum summae prudentiae, cautelae ac maturitatis quibus commendatur s. Rituum Congregatio, *C.* aliquid officit ipsius causae merito, postquam approbata est *N.* Et sic cetera concidunt, quae de machinationibus postulatorum adjecta sunt, inter quos auctor, quem impugnamus, ipsum involvit piissimum Rom. Pontificem Clementem XIII (3).

565. Ad 8. *D.* Eadem ratione, qua catholicos lacessebant apollinaristae, dum eos vocabant *anthropolatras* seu *hominicolas*, *C.* jure merito, *N.* Mirum est, non animadvertisse ejusmodi homines partium studio abreptos, se per hanc appellationem causam communem agere cum apollinaristis, qui praeterea eadem ferme argumenta urgebant adversus catholicos Christi humanitatem, prout subsistit in divina Verbi persona, adorantes, quae factiosi isti impugnatores urgent adversus cultum Cordis Jesu (4).

CAPUT V.

DE CHRISTI TITULIS ATQUE MUNERIBUS

566. Ex unione hypostatica fluunt tituli illi, quibus Christum in sacris litteris insignitum novimus, et officia seu munia, ad quae obeunda Dei Filius humanam naturam sibi copulavit.

567. Praecipui tituli ac munia, quae Christo tribuuntur, sunt Capitis hominum et Angelorum, Prophetae, Regis, Judicis, Sacerdotis, Dei hominumque Mediatoris. De quatuor primis nulla viget controversia; ast non levis quaestio agitatur inter catholicos et socinianos circa sensum, quo postremi duo tituli Christo competant. Quare priores illos vix exponemus; posteriores appositis propositionibus juxta catholicam doctrinam vindicabimus.

568. 1. Igitur Christus dicitur et est caput hominum et Angelorum. *Hominum* quidem ratione animarum, in quas influit per gratiam suam, sive actualem, sive sanctificantem; ratione corporum, quae ipse aliquando a mortuis excitabit; ratione finis seu beatitudinis, ad

(1) In *Vita B. Julianae Leodiensis*, ad diem v April. lib. II, cap. 3, edit. Antverp. pag. 461. Integrum caput illud legi meretur. Egregiam navarunt operam in promovendo ac tuendo hoc festo patres inclyti Ordinis Praedicatorum, qui propterea plurimorum invidiam subierunt.

(2) Loquor autem de iis, qui Sedi Apostolicae decretis restiterunt.

(3) *Dans le temps*, inquit, *qu' on poursuivait cette affaire, on se demandait à Rome, quels sont les solliciteurs? et tout bas, on se disait: c' est le Pape.* Ita hic inverecundus jansenista et episcopus *conventionalis*, de cujus notitiis biographicis, de obstinata pervicacia in schismate usque ad mortem, ob quam ei denegata sunt sacramenta, de ejusdem praeterea funere et scandalis, quae inde orta sunt, cfr. *L' Ami de la Religion*, anni 1831, vol. LXVIII, in respectivis articulis.

(4) Cfr. Petav. lib. XV, cap. 3 et seqq. et Gerdil, op. cit.

quem homines ejus munere ordinati sunt ; quae duo postrema suo loco jam vindicavimus , primum autem postea ostendemus . Exponit autem s. Thomas, qua ratione omnes homines ad Christum tamquam caput pertineant , scribens : *Christus est caput omnium hominum , sed secundum diversos gradus . Primo est caput eorum , qui actu uniuntur sibi per gloriam ; secundo eorum , qui actu uniuntur sibi per charitatem ; tertio eorum , qui actu uniuntur sibi per fidem ; quarto eorum , qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum , quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem ; quinto eorum , qui in potentia sunt sibi uniti , quae numquam reducetur ad actum ; sicut homines in hoc mundo viventes , qui non sunt praedestinati , qui tamen ex hoc seculo recedentes , totaliter desinunt esse membra Christi* (1). Sed et *Angelorum* caput est Christus , ut declarat Apostolus , Colos. II , 10, dicens : *Qui est caput omnis principatus et potestatis* , et rursum Ephes. I , 18 et seqq. nam et Angelis dignitate praestat et potestate , et sunt praeterea Angeli *administratorii spiritus in ministerium missi propter eos , qui haereditatem capient salutis* , ut idem Apostolus loquitur, Hebr. I, 14. Quod si Christus hominum et Angelorum caput est , hoc ipso patet , eum esse caput ecclesiae, juxta triplicem suum statum , triumphantem scilicet , purgantem et militantem .

569. 2. Est praeterea Christus Jesus propheta ac magister , qui e coelo venit ad homines coelesti plane ac divina doctrina imbuendos , ut ex dictis suo loco constat , et ex Veteri ac Novo Foedere , in quibus ejusmodi tituli passim ei tribuuntur .

570. 3. Christo utpote Deo-homini regiam dignitatem tribuendam esse ostendunt inter cetera , tum quae Angelus , Luc. I , 33 , B. Virgini testatus est , dicens: *Regnabit in domo Jacob in aeternum , et regni ejus non erit finis* , tum quae Christus ipse aperte Pilato sciscitanti , num rex esset , respondit: *Tu dicis; quia rex sum ego*. Hoc autem ejus regnum in terris inchoatur et in coelis perficitur (2). Sic judiciariam potestatem sibi vindicat Christus, Joan. V, 22, dum ait : *Pater . . . omne judicium dedit Filio ;* et apostolus Petrus de eodem Christo, Act. X, 42, testatur idem, dicens: *Ipse est constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum* (3) . Alia addendo tempus inutiliter tereremus .

571. His propterea sic leviter delibatis , jam accedimus ad vindicandam adversus socinianos doctrinam catholicam de Christi sacerdotio ejusque mediatione.

572. Contendunt itaque sociniani , 1. Christum in terris degentem proprie sacerdotem minime fuisse , nec proinde verum obtulisse sacrificium ; sed nonnisi post suam in coelum ascensionem munia sacerdotalia , quae praecipue in sacrificii oblatione et in intercessione consistunt , obire coepisse . Ex quo inferunt ejus mortem in cruce non fuisse nisi quamdam praeparationem illius sacrificii, quod solum in coelis reipsa obtulit ac quotidie offert (4) .

(1) Part. III , q. 8 , a. 3.

(2) *De Christi regno ejusque natura*, cfr. Suarez , tom. I , in III part. s. Thomae , disp. XLVII , sect. I et 2; necnon Petav. lib. XII , cap. 15.

(3) Qui plura cupit , conferat Suarezium, loc. cit. tom. II , disp. LII et seqq.

(4) Cfr. Faure , S. J. in *Dissert. de Socinianismo* , § 12 , quae extat ad calcem Manualis controvers. Becani , edit. Colon. 1750.

573. Contendunt 2. Christum non eo sensu mediatorem esse atque appellari, quod velut sponsor parti laesae pro altera, quae offendit, plene solvat ac satisfaciat, quo sensu vere et proprie Christum mediatorem esse catholici affirmant; sed improprie, quatenus ipse velut internuncius ac interpres utriusque partis, Dei scilicet et hominum, fuerit velut arbiter electus ad componendam litem, vel denique tamquam intercessor et advocatus. Adversus quos errores sit

PROPOSITIO I.

Christus verum ac proprie dictum habuit sacerdotium, ejusque munia in mortali etiam vita complevit

574. Utraque propositionis pars ad fidem pertinet, doctrinamque catholicam continet, quam Tridentinum concilium asseruit, sess. XXII, cap. 1 et seqq.

575. Christum igitur vere ac proprie sacerdotem fuisse, non ex ordine levitico, sed ex illo, de quo David cecinit, Ps. CIX, 4: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, aperte declarat Apostolus epist. ad Hebraeos, cap. V et seqq.; qui praeterea ibidem *primo* ostendit, quibus potissimum rebus Melchisedech Christi sacerdotium adumbraverit, *nomine* scilicet, *persona*, et *oblatione; secundo* praeeminentiam hujusce Christi sacerdotii super sacerdotium Aaronicum fuse persequitur (1). Hoc principio constituto, videndum superest, num Christus reipsa sacerdotalia munia in mortali etiam vita sua obierit.

576. Jam vero Apostolus ad duo praecipua capita revocat sacerdotis officia, ad sacrificii nempe oblationem atque ad intercessionem, scribens cap. V, 1:

(1) Ac 1. quidem quia sacerdotium Christo cum jurejurando impositum est; Aaronicum vero non item, Heb. VII, 20, 21; ex quo colligit Apostolus sacerdotii Christi praestantiam. Neque enim minoris, sed majoris momenti rebus confirmandis juramenta solent adhiberi. Insuper autem cum res jurejurando firmata nec rescindi possit, nec immutari, ideo confirmatum est Christi sacerdotium, utpote futurum aeternum, sacerdotium autem Aaronicum, cum esset aliquando abrogandum, non debuit juramento confirmari. 2. Haereditarium Aaronicum sacerdotium a parentibus in filios fuit; Christus autem nec successit alteri, nec successorem habet, siquidem eo quod manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium, ibid. VII, 24. 3. In sacerdotio Aaronico distinguebatur hostia a sacerdote; in sacerdotio Christi, idem est hostia ac sacerdos. Etenim Christus *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta*, ut ibid. ait Apos. cap. IX, 11 et seqq. et X, 5, 6; 4. Praestat Christi sacerdotium Aaronis sacerdotio efficacia; nam *impossibile est*, ut idem Apostolus loquitur, cap. X, 4, *sanguine hircorum et taurorum auferri peccata*. Christus autem se ipsum obtulit hostiam pro peccatis omnibus, atque *una oblatione consummavit, in sempiternum sanctificatos*, ibid. 12-14. 5. Denique, aliis praetermissis, sacerdotium Aaronicum in terris peractum est; sacerdotium autem Christi in terris quidem inchoatum est, sed est consummatum in coelis, ibid. VII, 26. Unde ab Apostolo Christus vocatur *Pontifex magnus, qui penetravit coelos*, cap. IV, 14. De Melchisedecho et Christi sacerdotio secundum ejus ordinem cfr. Petav. lib. XII, cap. 11 et seqq. Pererius, *In Genes.* XIX, n. 80 et seqq. Lorinus, *In Ps.* CIX; Justinianus, *In septimum epistolae ad Hebr. caput*, et P. Curti, diss. Romae edita, anno 1751, inscripta: *Christus Sacerdos*.

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Utrumque autem Christum in mortali adhuc vita degentem praestitisse luculentissime non solum affirmat, sed instar certi principii ponit.

577. Atque ut incipiamus ab eo, quod praecipuum est, oblatione scilicet seu sacrificio, id inter cetera evincunt, quae scribit, ibid. cap. IX, 11: *Christus*, inquit, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Quibus verbis Apostolus Pontificem veteris legis cum novae legis Pontifice Christo, ita comparat, ut quemadmodum ille, priusquam ingrederetur in Sancta Sanctorum, sacrificium offerebat per effusionem sanguinis hircorum et vitulorum, sic etiam Christus sacrificium in cruce obtulerit per sui sanguinis effusionem, priusquam intraret in sancta non manufacta, scilicet in coelum. Christus igitur sacerdotium suum adeptus est, ejusque partes implevit, antequam ingrederetur in coelum, sicut sacerdos legalis sacerdotalem dignitatem obtinebat, et munus sacerdotis obibat, priusquam intraret in sancta.

578. Pergit praeterea ibidem Apostolus, v. 24, in hunc modum: *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit... sed in ipsum coelum... neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et, quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Jam vero quatuor hic ponit Apostolus, quae necessario postulant Christum in mortali adhuc vita veri nominis habuisse sacerdotium, ac verum et proprie dictum obtulisse sacrificium in morte sua.

579. Etenim primo, pro certo sumit Apostolus, oblationem Christi nonnisi semel factam esse; ergo loquitur de oblatione, quae in cruce facta est, non autem in caelo, ubi quotidie interpellat pro nobis. 2. Ideo vero constituit Apostolus Christum nonnisi semel obtulisse semetipsum, quia alioquin ipse debuisset frequenter pati. Ergo loquitur de oblatione, quae per passionem facta est; porro non in coelo, sed in terris, ac in cruce praecipue passus est Christus. 3. Tunc Christus ex Apostolo semetipsum obtulit ad peccatum tollendum, cum apparuit et manifestus factus est. At, cum in coelum est ingressus, non solum nobis non apparuit, sed potius sublatus est ab oculis nostris; ergo in terra suimetipsius oblationem fecit, seu tradidit se in sacrificium. 4. Demum tunc Christus oblatus censendus est, cum abstulit peccata; obtulit enim semetipsum *ad multorum exhaurienda peccata;* sed ex apostolo Petro istud Christus praestitit in cruce moriendo (1). Quaquaversum igitur spectetur Apostoli oratio, constat instar certi principii habendum esse, tum Christum vere sacer-

(1) I Pet. II, 24.

dotem fuisse, dum in terris degeret, tum semetipsum in sacrificium obtulisse in morte sua. Et haec de priori sacerdotii munere.

580. Altero autem sacerdotii officio, quod diximus in intercessione consistere, in mortali adhuc vita Christum perfunctum esse, argumentum ineluctabile inter cetera exhibet s. Joannes, cap. XVII, in admirabili illa oratione, quam post coenam Christus fudit pro omnibus tum praesentibus tum futuris hominibus, ut suo loco ostendimus (1).

581. Utrumque vero sacerdotale munus, quod in his terris Christus inchoavit, in coelis perfecit, tum continua ac jugi sacrificii semel oblati applicatione, tum perpetua illa intercessione, qua interpellat pro nobis.

582. Quaeri autem solet, in quo haec Christi apud Patrem in coelis intercessio posita sit. Non desunt patres, iique non pauci, qui existiment Christum etiam in coelo orare et precando interpellare pro nobis (2). Hinc illud Augustini dictum : *Christus orat pro nobis ut Sacerdos noster, orat in nobis ut Caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster* (3). Communior tamen ac recepta sententia est, non aliud prae se ferre ejusmodi intercessionem, quam apparitionem ac praesentiam Jesu Christi coram Patre, et continuam applicationem remissionis ad salutem, quam ipse oblationem sanguinis sui nobis comparaverat; quae apparitio cum habeat aliquam cum humana intercessione similitudinem, ideo figurata loquendi ratione intercessio vocatur (4).

583. Cum vero per ipsam Incarnationem factus sit Christus pontifex seu sacerdos, ut *Christi* nomen ipsum indicat, quod inde Jesus consecutus est (5), patet, ipsum esse sacerdotem, neque praecise qua Deum, ut contendebant ariani, neque praecise qua hominem, uti autumabant nestoriani, juxta uniuscujusque sectae principia (6), sed ut Deum-hominem, qualem et esse mediatorem mox dicemus. Humana enim natura spectari debet ut *principium quo* (qui scholarum est sermo) operationibus

(1) Tract. *De Deo*, n. 474 et seqq. tom. II, pag. 209.

(2) Cfr. Petav. lib. XII, cap. 8, § 10 et seqq.

(3) *Enarrat. in Ps.* LXXXV, n. 1.

(4) Cfr. tamen Petavius loc. cit.

(5) Est enim *Christi* appellatio non vox naturae, sed personae utraque natura constantis; cum hac autem appellatione connexa est pontificia dignitas, cujus symbolum est unctio, quam nomen illud prae se fert. Quare pontifex et sacerdos in ipsa carnis susceptione factus est Dei Filius, quando divinitate est inuncta hominis assumpta natura. *Unctus est enim ille*, ut ait s. Augustinus, *ut rex et sacerdos*. Cfr. *Enarr.* II *in Ps.* XXVI, n. 2.

(6) Cfr. Petav. lib. XII, cap. 11, § 1 et seqq. Ariani enim, qui naturam Filii Dei seu Verbi diversam a paterna, et ea longe inferiorem existimabant, eamdemque cum carne conjunctam loco animae esse credebant, quidquid in Christo inerat, vel ab eo gestum humile, Deoque minime dignum, utpote ex imbecillioris naturae conditione, totum hoc divinitati illius adscribebant, velut dolorem, famem, sitim aliaque ejusmodi, adeoque precandi et invocandi creaturae consentaneos affectus. Christum propterea, qua Deus est, ut Patre minorem, sic ejus sacerdotem et mediatorem inter illum et humanum genus esse statuebant. Nestoriani autem, qui hominem a Deo esse reipsa divisum autumabant, statuebant Christum sacerdotem esse praecise qua hominem, nec patiebantur dici Filium Dei vel Deum esse sacerdotem, etsi adderetur *secundum carnem*, vel, *ut homo est*. Vid. S. Cyrill. *Adv. Nestorium*, lib. III, opp. tom. VI, p. 64, edit. Paris. 1638.

sacerdotalibus Christus perfunctus est et perfunditur ; Verbum autem divinum ut *principium quod* sacerdotales operationes seu officia exerit, iisque infinitum pretium et infinitam dignitatem tribuit. Recte Vigilius, seu quisquis est auctor quinque librorum contra Eutychem, lib. V : *Quia reconciliationis sacramentum*, inquit, *immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quae ita media esset inter Deum et homines, ut et morti succumberet per illud, quod hominis habebat, et mortem revinceret per id, quod in se divinitatis tenebat* (1).

DIFFICULTATES

584. I. Obj. Christus in terris degens proprie non fuit sacerdos, nec proinde verum obtulit sacrificium, sed solum post suum in coelum ascensum, ubi quotidie se offert et interpellat pro nobis. Etenim 1. Apostolus, Heb. X, 5 et 9, de illa oblatione loquitur, quae facta est in ingressu ejus, quando sacrificia legalia abrogata sunt ; at ingressus ille in coelum factus est, non autem in terras ; neque enim statim ac in terras ingressus est Christus, legalia sacrificia sustulit aut abrogavit. 2. Christus sacerdotium suum non obivit antequam ei dictum fuerit ; *Filius meus es tu, ego hodie genui te ;* id autem factum fuisse, cum Deus eum a mortuis excitatum, Dominum et Christum constituit, testatur s. Paulus, Act. XIII, 33, et Rom. I, 4, collat. Hebr. V, 5. Idem Apostolus 3. aperte testatur, Hebr. VIII, 4, dicens : *Si* (Christus) *esset super terram, nec esset sacerdos ; cum essent, qui offerent secundum legem munera, qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium*. Ergo Christus proprie Sacerdos non fuit, nec sacrificium prius obtulit, quam in caelis fuerit. 4. Hebr. VII, 26, Christus *pontifex debuit sublimior caelis fieri*. Ergo in coelis prius esse debuit, quam sacrificium offerret. 5. Ibid. v. 24, probat idem Apostolus, Christum sempiternum esse sacerdotem, quia semper in coelis pro nobis interpellat, jam vero, si in ligno crucis sacrificium semel obtulisset, quid necesse foret, eum continue pro nobis interpellare ? 6. Neque demum praetereundum est, Jesum ipsum numquam dignitatem istam sacerdotalem sibi attribuisse, eamque in sola ad Hebraeos epistola, argutiarum judaicarum plenissima, in ipsum conferri (2). Ergo.

585. Resp. *N. Antec.* Ad 1, probat. *N.* min. Diserte enim Apostolus X, 5, ejusdem epistolae, scribit : *Ideo ingrediens in mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Ingressus vero iste in mundum non coarctatur ad illud instans, quo Christus vel conceptus vel natus est ; sed totum illud tempus complectitur, quo Christus in his terris vixit. Hoc porro intervallo, ac praecise in morte ipsius, ut superius diximus (3), profecto sacrificia legalia sin minus *facto*, *jure* saltem abrogata sunt.

586. Ad 2. *D.* Factus est sacerdos *ab eo*, qui dixit ei : *Filius meus es tu, C. quando* haec dicta sunt ei, *N.* Primum solum affirmat Apostolus, cit. loc., alterum de suo adjiciunt sociniani. Addo

(1) Vid. *Biblioth. Patr. De la Bigne*, tom. V, col. 589, script. Virgilio Tridentino. Cfr. tamen Papebrochius, tom. V, Junii, pag. 164, num. 8 et seq.

(2) Ita quidem Wegscheider § 134, et cum eo Ziegler, *Einleitung in den Brief an die Hebräer*, Gott. 1791, seu : *Introductio in epist. ad Hebr. ;* Ammon, *Bibl. theol.* III, 17 et seqq.

(3) Hujus tract. part. I, n. 170.

non solum in resurrectione, sed ante id temporis, declarationem ejusmodi a Deo Patre factam esse, tum in baptismate, tum in transfiguratione. Meminit autem Apostolus solius resurrectionis, quia per ipsam maxime patuit divina Christi filiatio, quae est fundamentum et causa sacerdotii Christi ejusque resurrectionis.

587. Ad 3, *D.* Si ejusdem ordinis fuisset sacerdotium Christi ac sacerdotium leviticum, ejusdemque praestantiae, *C.* si diversi ordinis et diversae praestantiae, *N.* Contendit enim ibid. Apostolus longe excellentius esse sacerdotium Christi, quam fuerit sacerdotium leviticum ob plures causas, quas ibi persequitur, inter quas urget objectum et efficaciam; *objectum* quidem, quia sacerdotium Leviticum erat ordinatum ad solam emundationem carnis, sacerdotium Christi ad emundationem spiritus seu conscientiae; *efficaciam*, quia illud, utpote imperfectum, sua sacrificia semper iterare debebat, sacerdotium Christi, utpote perfectissimum et ratione sui et ratione sacrificii, una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, quin illud repetere necesse fuerit. Hinc concludit, quod, si paria fuissent ejusmodi sacerdotia et sacrificia, alterutra inutilia forent (1).

588. Ad 4. *D.* Expleto ejus munere in terris, *C.* hoc non expleto *N.* Primum tantum affirmat Apostolus, ut ostenderet, Christum, cum in coelum ascendit, quod in terris perfecerat per applicationem complere.

589. Ad 5. *D.* Per continuationem muneris sacerdotalis in jugi applicatione meritorum suorum, *C.* secus *N.* Diximus porro in probationibus, interpellationem Christi in coelis in applicatione fructus sacrificii in cruce oblati ad expiationem peccatorum nostrorum consistere.

590. Ad 6. Resp. 1. Dato etiam quod rationalistae assumunt, solum nempe auctorem epistolae ad Hebraeos, ut ipsi loquuntur, tribuisse Christo sacerdotalem dignitatem, illud satis nobis esset ad arguendam impietatem socinianorum; cum ex perpetua ecclesiae traditione, divinae auctoritatis sit haec epistola. Resp. 2. Falsam esse illorum assertionem. Cum enim Christus, Matth. XXII, 44. et seqq. Marc. XII, 36; Luc. XX, 42, sibi applicet psalmum CIX, in quo expresse Christi sacerdotium praedicatur, hoc ipso sibimetipsi sacerdotalem dignitatem attribuit.

591. II. Obj. Duo sunt, quae prohibent, quominus in morte Christi veri nominis sacrificium agnoscamus; ac primum quidem, quod contra omnium sacrificiorum naturam idem Christus fuisset simul hostia et sacerdos; secundum, quod illius sacrificii hostia non ab ipso sacerdote mactata fuisset; Christus enim a tortoribus morti traditus est. Nec juvat reponere ideo Christum sacerdotem fuisse atque ejus mortem sacrificium, quia illatam mortem patienter sustinuit, siquidem et martyres omnes voluntarie pro Christo mortem fortissime tolerarunt, quin propterea veri nominis sacrificium illorum mors dici possit. Ergo.

592. Resp. *N. A.* Nam non prohibet *primum*, tum quia haec est praerogativa peculiaris sacrificii Christi, quam Scripturae, patres, liturgiae, ceteraque omnia ejusdem generis documenta eidem vindicant; tum quia in coelis ipsis, ubi,

(1) Cfr. Tournely, *De Incarnat.* quaest. IV, art. 2. argum. 4, respons. secundae Socinian. refutatio; Petav. lib. XII, cap. 11 et seqq. Bernard. a Piconio, *Tripl. expos.* in hunc locum.

socinianis fatentibus, sacrificium Christus offert, idem est Sacerdos et victima. Hoc autem maxime commendat sacrificium Christi, ut expresse declarat Apostolus Hebr. IX, 11, 12, cujus verba superius descripsimus.

593. Non prohibet *alterum*, quia tortores non tamquam sacrificatores mortem Christo intulerunt, sed tamquam instrumenta, quibus Christus usus est ad se immolandum pro vehementissima, qua erga nos flagrabat, charitate; *oblatus* enim *est, quia ipse voluit*. Haec autem Christi morientis charitas infinite major fuit quam crucifigentium iniquitas.

594. Ad *confirmat., N. paritatem*. Nec enim martyres instituti sunt sacerdotes ad offerendos semetipsos in veri nominis sacrificium, qualem Christum institutum fuisse declarat Apostolus Hebr. X, 5, verbis superius recitatis et huc usque probavimus.

PROPOSITIO II.

Christus Jesus veri nominis mediator fuit

595. Haec pariter propositio ad fidem spectat, ut ex constanti et perpetua ecclesiae catholicae doctrina in sacris Litteris et traditione fundata, constat.

596. Etenim Apostolus conceptis verbis, I Timoth. II, 5, 6, ait: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ideo autem ab Apostolo Christus mediator dicitur, quia *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* ergo non improprie, ut sequester, arbiter et advocatus mediatores dicuntur, Christus mediator tantum extitit, sed veri nominis mediator praeterea agnoscendus est tamquam sponsor, qui soluto pretio pro peccatis nostris satisfecit, ac nos Deo reconciliavit, ut capite insequente fusius ostendemus.

597. Fuit autem et est veri nominis mediator Christus, prout Deus et homo est. Dicitur enim in Scripturis, *Deum* acquisivisse ecclesiam sanguine suo, tum *Dominum gloriae* crucifixum esse, aliaque ejusmodi de Christo praedicantur, quae utriusque naturae concursum supponunt in humani generis redemptione, ac propterea in *mediatione*, qua Christus perfunctus est. Quare s. Augustinus: *Mediator*, inquit, *inter Deum et homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset* (1). Eodem sensu ceteri patres tum graeci tum latini loquuntur (2).

598. Diversa tamen ratione unaquaeque natura ad ejus mediationem concurrit. Natura enim humana materiam seu opus mediationis subministravit, Verbi vero hypostasis valorem et dignitatem in opus contulit. Ex hac autem animadver-

(1) *Confess.* lib. x, cap. 42.

(2) Cfr. apud Petav. lib. XII, cap. 4 et seqq. Ut magis accurata habeatur notio mediationis, distingui debet *persona* mediatoris a mediationis *opere*, seu munere. Ad verum et proprie dictum mediatorem constituendum in subjecta materia, de qua agimus, requiritur concursus utriusque naturae. Opus autem mediationis *posuit* sola humana natura in Verbo subsistens; haec enim sola potuit pati, mori, pretium solvere, etc. Natura vero seu persona divina non contulit nisi dignitatem et valorem ejusmodi operi. Cfr. Petav. loc. cit.

sione erroris convincuntur sive ii, qui Christum mediatorem ut Deum tantum, cum veteribus arianis asserunt, sive qui eum talem ut hominem tantum extitisse autumant cum Francisco Stancharo ac socinianis. Hi enim rati sunt, non potuisse Christum esse mediatorem ut Deum, ne in absurdum illud incidamus, ut eum fuisse mediatorem suimetipsius affirmemus. Reponimus enim, non eo modo, quo unus est de Trinitate, mediatorem esse Christum; quippe persona eadem Verbi, qua Deus est, citra carnis communionem sive cogitatione ab hac abstracta, in Trinitate secunda numeratur; quatenus vero hic homo est et humanam naturam quodammodo informat ac terminat, mediatoris partes ac munus implet (1).

599. Si praeterea Christus veri nominis mediator fuit quatenus tamquam sponsor pro nobis satisfecit, colligimus, Christum ante Incarnationem improprie tantum potuisse dici mediatorem prout a ss. patribus, praesertim antiquioribus praedicatur, quatenus nempe spectabatur ut internuncius ac interpres divinae voluntatis apud homines in frequentibus illis apparitionibus, in quibus sub adspectabili specie videndum se praebuit; vel etiam quatenus Deus, intuitu futurae ejus mediationis et meritorum, peccata condonavit, et vitam aeternam illis impertitus est, qui in eumdem Christum venturum rite credidissent (2).

600. Cum praecipua controversia, quae circa Christum mediatorem inter catholicos et socinianos agitatur, afficiat ipsam satisfactionem, ideo difficultates, quae adversus propositionem quam adstruximus moveri solent, commodius refellemus in sequenti capite.

CAPUT VI.

DE CHRISTI SATISFACTIONE ET MERITO

601. *Satisfactio*, ut loquitur Catechismus romanus (3), *est rei debitae integra solutio*. Nam quod satis est, ei videtur nihil deesse. Res autem debita aut personalis est aut realis. Debitum *personale*, ut vocant, illud est quod oritur ex injuria alteri illata; *reale* est illud, quod exurgit ex re aliqua, ex. gr. pecunia, qua erga alterum obstringimur. Priori in significatione hic satisfactionem accipimus, quatenus nempe *personalis* est; quo sensu idem satisfacere significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam injuriam satis esse possit; atque ita satisfactio nihil aliud est quam injuriae alteri illatae compensatio.

602. Rursum satisfactio haec personalis bifariam sumitur, proprie scilicet aut improprie. *Proprie* ille satisfacere censetur, qui ad justitiae rigorem injuriam alteri illatam per compensationem reparat; *improprie* autem ille satisfacere dicitur, qui tam ex justitiae aequalitate quam ex benignitate partis laesae, gratis injuriam condonantis, veniam obtinet.

603. His praemissis, status quaestionis jam exponendus est, quae viget catholicos inter et socinianos, eorumque surculos quakeros, methodistas atque rationalistas. Sociniani cum reliquis enumeratis contendunt, Christum Jesum nonnisi improprie pro nobis satisfecisse; asserentes, 1. ipsum, partibus sibi a

(1) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 5 § 7.
(2) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 3.
(3) Part. II, cap. 5, § 62.

Deo impositis ad salutem nostram procurandam expletis, gratis ab ipso obtinuisse peccatorum nostrorum relaxationem; 2. praeterea, Christum esse hominum Salvatorem *praeconio* dumtaxat et *consilio* quibus viam salutis nobis annunciavit ac ad eam nos cohortatus est, atque *exemplo*, quo nobis praeluxit, non autem opere, merito et efficacia humanum genus reparando; 3. demum statuentes, Christum mortuum esse bono et commodo seu utilitati nostrae, non autem hominum loco ac vice, per veram ejus in nostri locum substitutionem. Quae quidem necessario profluunt ex fundamentali ipsorum de Christo doctrina. Cum enim recensiti haeretici, seu potius increduli, principii loco habeant, Christum nomine tantum et appellatione Deum esse, natura vero origine ac potestate purum hominem, sequitur omnem veram satisfactionem Christi subverti; neque enim humanae actiones tantae virtutis esse possunt, ut illatam Deo injuriam vere et proprie compensare valeant ad justitiae aequalitatem.

604. Contra vero catholici ex verissimo illo principio, quo constituunt, Christum esse naturalem Dei Filium, atque adeo natura et origine Deum, verissime etiam colligunt, Christum vere et proprie divinae justitiae satisfecisse, 1. quia ipse salutis nostrae pretium cumulatissimum, idque ex justitiae legibus, Deo persolvit; 2. quia ipse, utpote verus ac proprie dictus Salvator noster, reipsa opere et merito nos redemit, et in salutem asseruit; 3. denique, quia mortuus est pro nobis, quatenus scilicet mortem pro nobis ac vice nostrùm obierit, seque moriens in locum nostrum suffecerit.

605. Quae ut clarius intelligantur, animadvertendum est, peccatum, pro quo satisfactio exhibetur, triplicem habere respectum; est enim 1. *debitum*, quo divinae justitiae obligamur, 2. *injuria*, quae inimicitiam inducit Deum inter et homines, 3. *crimen*, quo rei evadimus mortis et aeternae maledictionis. Peccatores enim in sacris Litteris passim dicuntur, 1 *debitores* (1), 2. *inimici* (2), 3. *rei* (3). Quare Deus se habet 1. ut *creditor*, cui debetur, 2. ut *pars offensa*, quae placanda est, 3. ut *judex* qui poenam repetit. Hinc ad veram et proprie dictam satisfactionem tria requirebantur, 1. ut esset debiti solutio; 2. ut esset irae divinae placatio; 3. ut esset reatus expiatio. Nobis igitur opus erat tum sponsore ac vade, qui pro nobis debitum solveret, tum reparatore, qui nos cum Deo reconciliaret, tum denique sacerdote et victima, qui se nostrî loco ad poenas substitueret, ac peccata nostra expiaret.

606. Haec autem praestare Christus non potuit, quin ejus actiones supponantur meritoriae. Hinc est quod utraque, nempe satisfactio et meritum, semper una jungantur. Est autem meritum *nexus operationis liberae ad retributionem*. Nomine *retributionis* venit tum poena, tum praemium, tum merces; siquidem operis liberi ab aliquo patrati connexio esse potest apud alium vel ad poenam, vel ad praemium, vel ad mercedem. *Nexus* liberae operationis ad retributionem exurgere potest vel ex decentia, vel ex pacto, vel ex manifesto impleti operis jure apud retributorem, ita ut, nisi retributio fiat, laedatur jus istud, aut justitia in observantia juris posita. Ubi nexus ex decentia tantum

(1) Matth. VI, 12; Coloss. II, 14.
(2) Rom. V, 10; Coloss. I, 21.
(3) Marci III, 29; Jacobi, II, 10.

adest, quae potius sumitur ex liberalitate retributoris quam ex vi operis, illud oritur meritum, quod dicitur *de congruo;* ubi vero ejusmodi nexus habetur, qui exurgat ex pacto aut vi operis liberi positi, seu ex justitia, tunc meritum illud oritur, quod *de condigno* nuncupatur ac proprie meritum dicitur.

607. Meritum rursus vel naturale est vel supernaturale. Primum occurrit, si nexus liberi operis ad retributionem proveniat ex naturae viribus, ut hominis opus ac pactum apud hominem, civis apud principem, etc. Contra vero, si nexus proveniat ex opere auxiliis gratiae facto, vel ab auctore ipso coelestium horum auxiliorum, qui majus profecto quidpiam est quam peculiaria distinctim auxilia, tunc erit *supernaturale*.

608. Cum igitur nullae conditiones Christo defuerint, quae ad meritum proprie dictum seu *de condigno* requiruntur, sanctitas videlicet in operante, libertas in opere et promissio in retribuente, vere et proprie meruisse ipse dicendus est. De sanctitate nemo dubitat; de libertate suo loco diximus; promissio autem patet ex Is. LIII, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* (1).

609. Ex quibus Isaiae verbis constat non tantum Christum sibi meruisse (2), sed nobis etiam, ponendo nempe pro peccatis nostris animam suam, seu satisfaciendo pro nobis. Hinc a concilio Trid. Christus dicitur *nostrae satisfactionis causa meritoria* (3).

610. Ad hanc igitur satisfactionem adstruendam jam progredimur, praetermissis minus necessariis concertationibus, quae in scholis agitari solent circa ejusdem satisfactionis proprietates et conditiones, de quibus scholastici ipsi consuli possunt (4). Sit igitur

(1) Id ipsum declarat Apostolus, Philipp. II, 8, 9, scribens de Christo : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* PROPTER QUOD *et Deus exaltavit illum*, etc. Quibus in locis, ut animadvertit Petavius, velut stipulatio quaedam pactumque Dei cum homine Christo continetur hujusmodi, ut, si redimendis hominibus mortem suam vellet impendere, tum in gratiam et spem recuperandae salutis admitterentur illi, tum ipsi sibi gloriam ac decus immortale compararet. Cfr. lib. XII, cap. 9, § 2. De iis, quae spectant ad Christi meritum, copiose disputat Vasquez, tom. I, in tertiam part. s. Thomae, disput. LXXIV et seqq.

(2) Christus sibi ipsi praesertim promeruit gloriosam e mortuis resurrectionem ac nominis sui exaltationem.

(3) Sess. VI, cap. 7.

(4) Quaestiones scholasticorum non attingunt satisfactionis Christi veritatem aut ejus sufficientiam ad omnium peccata redimenda; de his enim nemo unus unquam dubitavit. Versantur igitur eorum disceptationes in exponenda ratione, qua satisfactio Christi sufficiens et condigna fuerit. Nam alii contendunt, eam *ex se* condignam et perfectam non fuisse, sed ex sola Dei acceptantis liberalitate; alii censent, eam non fuisse ex virtute seu *titulo justitiae verae ac rigorosae* factam; alii vero licet fateantur, eam titulo verae justitiae factam esse, nolunt tamen ad omnes rigorosos juris apices exactam illam fuisse; inde inferunt, Christi satisfactionem fuisse quidem *sufficientem*, non autem *superabundantem*. Qui ejusmodi quaestiones penitius cognoscere cupit, poterit inter ceteros consulere Vasquez, loc. cit. disp. VII seqq. ubi de his fuse disputat. Opp. edit. Ingolstad. 1610, tom. V.

PROPOSITIO.

Christus vere et proprie pro nobis divinae justitiae satisfecit

611. Ad catholicam fidem haec propositio pertinet, in omnibus fidei symbolis tradita; estque totius christianae spei fundamentum. Ejus autem veritatem sic ostendimus:

612. Christus vere et proprie pro nobis satisfecisse divinae justitiae dicendus est, si 1. semetipsum Deo in sacrificium obtulit et tamquam piacularem hostiam ut sacerdos immolavit; si 2. peccata nostra, poenasque illis debitas ut sponsor in se suscepit ac luit; si 3. nos suo sanguine redemit; si 4. denique nos ut mediator cum Deo reconciliavit eumque placavit. Atqui reipsa haec omnia praestitit Christus. Ergo.

613. Ac primo quidem Christum tamquam piacularem hostiam semetipsum in sacrificium Deo obtulisse, ea omnia ostendunt, quae paulo ante de Christi sacerdotio ejusque sacrificio in cruce oblato disputavimus.

614. Alteram vero assumptionis partem luculenter evincunt Veteris ac Novi Foederis simul collata in hanc rem testimonia; Isaïas enim, cap. LIII, testatur Messiam dolores ac peccata nostra portasse, ob haec vulneratum, attritum et ad mortem traditum esse, et quidem ad eum finem, ut nos ob dolores a se toleratos sani, id est, liberi ab iis efficeremur; ergo non ob suas iniquitates ac peccata, quae nulla unquam habuit aut habere potuit, Christus poenas ac mortem tulit, sed ob peccata nostra, quatenus ea in se luenda susceperat. Talem porro esse sensum vaticinii Isaïae non solum verborum nativa vis, orationis series et constans Judaeorum traditio, ut suo loco ostendimus (1), sed etiam gravissima apostoli Petri auctoritas patefacit, qui paucis germanam Prophetae sententiam his verbis complexus est: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus, cujus livore sanati estis* (I Pet. II, 24). Quod enim de languoribus Isaïas dixerat, apertius Petrus de peccatis exponit; quod Propheta de peccatis nostris addiderat a Deo in Christum conjectis, id Apostolus ad crucis supplicium, aut potius sacrificium refert; *peccatis nostris* poenas debitas Christum in se denique suscepisse et in crucem sursum luendas tulisse, declarat Petrus graeca voce ἀνήνεγκε, *sursum tulit*, nempe *in corpore suo super lignum*. In eamdem sententiam dictum est ab apostolo Paulo: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (II Cor. V, 21); et alibi (Gal. III, 13): *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Atqui non alio sensu Christus factus *peccatum* aut *maledictum* dici potuit pro nobis, nisi quatenus subrogatus est in locum nostrum, quibus ob peccata ac legis transgressionem poenae ac maledictio debebantur, quas ipse in se luendas suscepit; ergo.

615. Christum pariter, quod tertio loco probandum assumpsimus, suo nos sanguine redemisse, apertissima Scripturarum testimonia evincunt. Apostolus enim, I Tim. II, 6, scribit: *Qui dedit semetipsum redemptionem* (graece *pretium redemptionis*) *pro omnibus*; et I Cor. VI, 20: *Empti estis pretio magno*; Ephes. I, 7: *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem*

(1) N. 186.

ejus, remissionem peccatorum; ad Tit. II, 14: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Sic luculentius etiam apostolus Petrus ait, I Pet. I, 18; *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi,* etc. Unde sic argumentamur: ille vere ac proprie sanguine suo nos redemit a peccatis nostris, qui illum dedit tamquam pretium redemptionis nostrae, sicut aurum et argentum datur pro pretio rei temporalis ac venalis; atqui ita ex allatis testimoniis Christus sanguinem suum dedit; ergo.

616. Atque ex his jam sequitur, quod quarto loco proposuimus, scilicet Christum tamquam mediatorem Deum placasse eumque nobis reconciliasse. Etenim causa sive ratio, ob quam Deus nobis iratus erat et poenas a nobis exposcebat, fuerunt profecto peccata nostra. Si igitur Christus, ut ex dictis constat, ad haec expianda se ipsum ut victimam in sacrificium obtulit, si seipsum in locum nostrum suffecit ad ea expianda atque luenda, si denique sanguine suo eadem eluit ac sustulit, nulla amplius irae ac inimicitiae ratio in Deo adversus nos subsistere potuit, et quare nobiscum placatus non sit. Talem profecto passionis Christi fructum Scripturae ubique commemorant. *Cum inimici essemus,* inquit Apostolus, *reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus,* Rom. V, 10; et alibi: *In ipso* (Christo), inquit, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt,* Coloss. I, 19; ut alia ejusmodi testimonia, quae innumera prope sunt, ne longior sim, praeteream.

617. Cum igitur Christus, ut ex allatis Scripturarum testimoniis liquet, quatuor illa praestiterit, quae ad veram et proprie dictam satisfactionem requiruntur, jam patet propositum adversus socinianos.

618. Patres, socinianis ultro fatentibus, in catholico satisfactionis dogmate praedicando unanimes plane sunt (1). Quamvis autem patrum auctoritatem ipsi rejiciant, juverit tamen paucis illorum colligere doctrinae capita seu principia, ex quibus non modica assertae veritati lux affulget. Mira igitur consensione sta-

(1) Haec patrum testimonia collegerunt Petavius, lib. XII, cap. 9, et Grotius in *Defensione fidei catholicae de satisfactione Christi adv. Socinum,* Lugd. Batav. 1617. Adversus Grotium praeter Ravenspergerum, in op. *Judicium de libro Grotii de satisfactione Christi,* Groningae 1617, scripsit Joan. Crellius, in op. *Responsio ad librum Hugonis Grotii pro catholica fide de satisfactione J. C.* Siluit Grotius, vel quod ad Socini partes transiisset, ut Patinus, Osiander, et cum primis Bossuetus existimant, vel quod, in dogmate quidem de Christi divinitate ac *satisfactione* a socinianis dissentire pergens, *existimaret,* non esse cur ob hanc quaestionem diuturnius bellum committi debuerit. Certe ad Crellium scribebat ipse Grotius: « Pacis consilia et amavi semper et amo nunc quoque, eoque doleo, cum video tam pertinacibus iris committi inter se eos, qui Christi se esse dicunt, si recte rem putamus, quantillis de causis? » Difficile est, Grotium a socinianismo defendere, cujus principiis suos in sacram Scripturam commentarios adspersit. Deinde hoc ipso, quod Grotius parvi momenti quaestiones fecerit de Christi divinitate et satisfactione, ostendit, se protestantismi impetu abreptum fuisse et in socinianismum declinasse.

tuunt patres, 1. nullam creatam rem parem ac idoneam esse tum pro peccato originali tum pro peccatis reliquis ad exacte Deo satisfaciendum, ideoque non alium, quam qui Deus esset, intervenire debuisse (1); 2. Christum Jesum mediatorem nostrum non solum plene, sed cumulate Patri satisfecisse pro omnibus omnium delictis, ac propterea non modo infinitam, sed, si ita loqui fas est, infinita uberiorem fuisse meritorum Christi amplitudinem. 3. Docent infinitam ejusmodi meritorum Christi aestimationem devenisse ex eo, quod operationes ejus propriae essent personae Verbi incarnati; 4. secundam potius SS. Trinitatis personam decuisse hominem fieri prae Personis reliquis ad hominem liberandum, quia, ut ait Apostolus, *decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia*, nempe creata productaque fuerant, salutis illorum auctorem fieri. Quod brevi sententia conclusit s. Ambrosius, dicens: *Decuit enim, ut ille nos redimeret, qui creavit* (2). Docent propterea iidem patres, non minorem ad redimendum hominem potentiam requiri quam ad condendum, imo et majorem quodammodo (3). Porro ad creandum vis et potentia infinita requiritur, ut s. Thomas ostendit (4); igitur et ad redimendum sive ad promerendam redemptionem infinita virtus necessaria fuit (5).

619. Demum Scripturis et totius antiquitatis consensui ad assertae veritatis confirmationem adjicimus rationum momenta deducta ex absurdis quae in socinianorum hypothesi consequerentur. Etenim, si Christus nonnisi ad confirmandam doctrinam suam mortuus esset, atque ut nobis esset exemplo, 1. non magis, saltem quoad rei substantiam, profuisset quam martyres tum V. tum N. T., qui mortem obierunt ad doctrinae divinitus traditae confirmationem, nobisque exemplo fuerunt; 2. aeque redemptio reliquis Christi operibus, miraculis, praesertim resurrectioni et ascensioni ejus in coelum ac ipsius morti esset tribuenda; 3. sacri scriptores, qui redemptionem, seu liberationem a culpis ac poenis iis debitis, et reconciliationem humani generis cum Deo constanter tribuunt morti Christi et ipsius sanguinis pretio, nos decepissent, ac reipsa tota antiquitas seu universa ecclesia usque ad Socinum decepta esset, atque inanis omnis fuisset in Christi mortem Christianorum spes. Hanc postremam consecutionem viderunt rationalistae, eamque ultro admiserunt. Ipsi enim demum fassi sunt, in Scripturis luculenter hunc articulum contineri; ast simul contendunt, scriptores sacros in ejusmodi doctrina tradenda indulsisse anticipatis coaevorum judiciis, atque prospexisse honori magistri sui ob latam ab eo ex infami supplicio ignominiam (6). Monent christianos doctores, ut sedulo

(1) Cfr. Petav. loc. cit. § 6.

(2) *De fide*, lib. III, cap. II, n. 8, edit. Maur.

(3) Cfr. Petav. ib. n. 7.

(4) P. I, q. 45, art. 5.

(5) Inter utrumque tamen infinitatis genus illud interest, quod alterum *naturale* est, nempe creationis, alterum *morale*, scilicet meriti.

(6) Ea verba Wegscheider, qui § 136 scribit: *Quod si tum fontem dogmatis illius* (expiationis et satisfactionis) *qui est in notionibus de sacrificiis, quas, ut alii populi incultiores, sic etiam Hebraei habebant . . . tum dicta scriptorum sacrorum, quae ad dogma illud probandum allata sunt, accuratius examinaveris, haud dubitabis, quin illa de symbolica*

caveant, ne quasi veternum obducant conscientiae improborum, praesertim morti propinquorum, *nimium jactando vim sanguinis Christi expiatoriam*, quo Deus, Molochi instar innocentis sanguinem sitientis, placatus sistatur (1).

620. Unde deprehendere licet impietatis progressus, imo et eversionem principii fundamentalis protestantismi. Primi protestantes docuerunt, soli Scripturae in rebus fidei standum esse. Scripturarum, ut ipsi autumabant, auctoritate freti, rejecerunt necessitatem bonorum operum, poenitentiae et satisfactionis, ne injuria irrogaretur sanguini Christi. Sociniani eidem principio innixi intulerunt, omnem abjiciendam esse satisfactionis proprie dictae doctrinam, quae in Scripturis non reperitur, nec nisi ex praepostera majorum nostrorum interpretatione Scripturarum illam ortam esse. Rationalistae meliori fide agentes fatentur, doctrinam de morte Christi *vicaria* et *expiatoria* aperte in Scripturis

quadam ac vicaria expiandi peccata ratione notio Israelitis mature jam fuerit cognita (Lev. IV, 3 *et seqq.* V, 11; XVI, 21; XVII, 11: *Cfr.* III *Reg.* XXI, 29; IV *Reg.* XXIV, *a* 1 *ad* 4) . . . *Quo facto ab omnibus fere scriptoribus sacris, qui odium et ignominiam supplicii Jesu Christo illati removerent, maxime a Paulo, ita exposita est, ut mortem Jesu Christi ostenderent tamquam expiatoriam eamdemque vicariam, velut poenam peccatorum omnium (*I *Joan.* II, 1 *et* 2) *ab ipso susceptam (Matth.* XX, 28; XXVI, 28; *Joan.* I, 29; *Rom.* V, 6-9; II *Cor.* V, 21; *Gal.* III, 13; I *Petr.* II, 24; I *Tim.* II, 6; *Hebr.* IX, 28), *et Jesum ipsum tamquam agnum purum atque immaculatum* (I Pet. I, 18 *et seqq.* II, 24; *coll. Is.* LIII, 7), *a Patre ipso morti quasi victimam piacularem traditum, sanguine suo peccata mundi abluentem* (I *Joan.* I, 7; II, 1 *et seqq.*). *Obedientiae igitur ipsi sive virtuti Jesu vim quamdam vicariam videntur tribuisse (Rom.* V, 18 *et* 19; I *Petr.* I, 19; III, 18; I *Joan.* II, 1; *Hebr.* IX, 14), etc. Ac rursum § 137: *E locis jam commemoratis facile intelligitur, doctrinae ecclesiasticae* (catholicae) *fundamenta et ipsa momenta potiora in Librorum sacrorum effatis nonnullis vere contineri*. Demum concludit § 142: *Ex argumentis supra propositis* (quae inferius nos afferemus et diluemus) *hoc quidem apparet; primum doctrinam scriptorum Sacrorum de morte Jesu Christi peccata hominum expiante opinionibus aequalium (Heb.* IX, 22) *multis de causis accommodatam fuisse, et ad commendandum novae religionis institutum illo tempore aptissimam; unde hanc ipsam doctrinae formam, providentia divina sapienter id permittente, ab Evangelii doctoribus exhibitam esse facile tibi persuaseris*. Ex his colligimus, 1. dogma catholicum reipsa in sacris Scripturis contineri; ac frustra propterea socinianos adlaborasse, dum innumeris prope cavillationibus id inficiari conati sunt; conscientia demum vicit; 2. juxta rationalistas sacros scriptores in hoc dogmate tradendo turpiter errasse, id *sapienter permittente providentia divina;* adeoque universam ecclesiam usque ad ipsos deceptam fuisse et in errorem inductam a sacris scriptoribus juxta divinae providentiae ordinem. 3. Colligimus, nullam propterea fidem sacris scriptoribus adhibendam esse, dum in re adeo gravi et decepti sunt et mundum universum deceperunt; et, quod consequens est, sacras Scripturas noxias potius quam utiles esse. Huc devenerunt, qui se adhuc christianos profitentur, ex principio semel constituto independentiae rationis ab auctoritate in negotio religionis, quod basim et essentiam constituit protestantismi.

(1) Ibid. § cit. 142.

tradi ; ast contendunt, sacros scriptores tum deceptos tum deceptores extitisse ; ideoque non in Christi morte ejusque sanguinis pretio pro nobis oblato christianos spem suam reponere debere, sed unice in *bonis operibus* seu in *recte* et *honeste factis*, ne injuria inferatur sanguini Christi, qui, in hypothesi de vi expiatoria, nobis nocuisset, efficiendo nos desides atque in vitiis obfirmatos (1). Et en eos in deismum ac naturalismum delapsos.

621. Sive igitur Scripturarum oracula consulamus, sive perpetuam totius antiquitatis doctrinam, sive nefarias contrariae doctrinae consecutiones, patet, nisi velimus christiano nomini nuncium remittere, Christum, prout nobis ostendendum proposuimus, vere ac proprie Deo pro hominibus satisfecisse.

DIFFICULTATES

622. I. Obj. 1. Non alio sensu Christus peccata nostra portasse in sacris Litteris perhibetur quam eo, quo passim Deus legitur portare peccata nostra ; ex. gr. Exod. XXXIV, 7, et Num. XIV, 18. Jam vero Deus non fert peccata nostra, ea in se transferendo, sed condonando, aut patienter nobiscum agendo. Hunc sensum nobis patefacit s. Matthaeus, VIII, 16 et 17 ; cum enim ibi retulisset, Christum plures sanasse ex infirmitatibus, subdit, id factum esse *ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit*, non eas in se suscipiendo, sed alios sanando. Quod confirmatur ex typo hirci emissarii, qui dicebatur portare peccata populi. 2. *Redemptionis* pariter vocem metaphorice passim sumi in Scripturis, res nota est. Hoc autem sensu eam de Christo praedicari, suadent redemptiones typicae populi Israelitici ex Aegypti et Babylonis captivitate, suadet ratio, qua venditi sumus diabolo, nempe gratis ; gratis igitur redimendi eramus, cum emptio et redemptio relativae sint. Alioquin, si verum pretium pro redemptione nostra datum esset, fuisset illud persolutum diabolo, qui testante Apostolo, II Timoth. II, 26. homines captivos detinebat ; quo nihil absurdius dici potest. 3. Quod si Christus affirmat, dedisse semetipsum redemptionem *pro* omnibus, aliaque ejusmodi de eo leguntur, nemo est qui nesciat particulam *pro* minime veram *substitutionem* importare, sed solam utilitatem ; ut cum jubeantur fideles, I Joan. III, 16, *pro* fratribus animas suas ponere, et cum Apostolus, Coloss. I, ait, se adimplere quae desunt passionum Christi *pro* ecclesia ; nec alia vis est graecae particulae ὑπὲρ, quae respondet latinae *pro*. 4. Nihil denique efficiunt catholici ex eo, quod dicatur Christus nos Deo reconciliasse, cum Apostolus, II Cor. V, 19, aperte dicat : *Posuit in nobis verbum reconciliationis*, etsi inde inferri nequeat apostolos nos vere Deo per satisfactionem reconciliasse. Ergo.

623. Resp. Ad 1. *N.* Porro praedicari in Scripturis de Christo, quod portaverit peccata nostra diverso sensu ab eo, quo haec ipsa praedicantur de Deo in locis citatis, evincitur ex substrata materia, quae diversa omnino est. Nec enim potuit Deus aut pati aut mori pro peccatis ; potuit id autem Christus in natura humana. Numquam praeterea de Deo dicitur, prout dicitur de Christo, quod positae fuerint in eo iniquitates omnium nostrum, quod propter eas fuerit *vulneratus* et *attritus*, aliaque ejusmodi, quae in probationibus attulimus. Quare, cum fateatur ipse Socinus, *peccata portare*

(1) Ib. § 141, circa finem.

idem esse ac *peccatorum poenas dare* (1), et hunc sensum necessario postulent, quae de Christo Scripturae praedicant, plane concidunt, quae ad infirmandas probationes nostras ab adversariis proferuntur.

624. Ex his responsio patet ad duas confirmationes, alteram desumptam ex Matth. VIII, alteram ex typo hirci emissarii. Evangelista enim retulit ad Christum morbos corporeos sanantem Isaïae vaticinium, ut figuram sanationis a morbis spiritualibus, uti exponit ipse Grotius (2); vel, ut explicat s. Joan. Chrysostomus, eatenus s. Matthaeus in Christo morbos depellente adimpletum dicit Isaïae vaticinium, quod proprie est de peccatorum poenis, quatenus morbi corporis ut plurimum sunt poenae peccatorum (3); quas quidem poenas cum in se luendas susceperit Christus, ideo etiam cum aegrotos sanavit, recte dicitur aegrotationes nostras accepisse. Hircus autem emissarius non alio sensu dicitur portasse peccata populi, quam quod symbolum et figura fuerit gerendorum per Christum; hinc de figura ac symbolo, ut rei natura exigit *improprie* : de figurato, ut ajunt, *proprie* locutio illa accipi debet.

625. Ad 2, *D.* Interdum, *C.* in casu nostro *N.* Quominus autem improprie de redemptione a Christo peracta hanc vocem intelligamus, vetant argumenta, quae in probationibus protulimus. Neque ejusmodi improprium sensum in casu nostro in primis suadent typicae redemptiones populi israelitici, in quas non concurrunt adjuncta illa, quae militant pro redemptione Christi. In hac enim omnia, quae ad veram redemptionem constituendam necessaria sunt, reperiuntur. Nimirum in vera redemptione opus est captivo et captivum detinente, tum redemptore et redemptionis pretio; porro revelatio docet, universum genus humanum captivum fuisse aeternisque poenis damnatum; homines autem captivos detinebant et Deus tamquam supremus judex, et diabolus tamquam lictor apparitorque Dei, et peccata tamquam laquei, mors tamquam poena, et infernus tamquam carcer; fuit autem redemptor Christus Dominus; ac denique redemptionis pretium non fuit aliquid corruptibile, cujusmodi sunt aurum et argentum, sed pretiosus sanguis quasi Agni immaculati Christi, ut loquitur B. Petrus, Epist. I, cap. I, 19.

626. Nec suadet ratio, qua venditi

(1) *Fatemur*, inquit in *Praelect. theolog.* cap. 21, *locutionem hanc* portare *seu* ferre peccatum *sive iniquitatem idem significare solere, quod* peccati poenas dare, *sive ut verbum verbo reddamus*, peccati poenam ferre. In *Bibl. Fratrum Polonor.* tom. I, pag. 580. Animadvertendum praeterea est, antiquas versiones omnes hunc legitimum seu germanum sensum confirmare. Etenim, omissa Vulgata, Graeca Isaïae verba vertit : *Et ipse peccata nostra fert, et pro nobis affligitur* ; Syriaca : *Vere passiones nostras ipse pertulit, et dolores nostros ipse passus est* ; Arabica : *Ipse portat peccata nostra, et pro nobis dolore afficitur*. Cfr. *Biblia Polyglotta* Walton.

(2) In *Crit. sacr.* ad cap. 8. Matth. v, 17.

(3) *Hom.* XXVII, *alias* XXVIII *in Matth.* n. 1 et 2. Atque hic censura notandus Erasmus, qui in adnot. ad cit. loc. scribit : « Adduxit hoc testimonium Matthaeus ex Is. LIII, nonnihil ad suum deflectens negotium. Etenim, quod illic dictum est de passione Christi et sublatis hominum peccatis, hic accommodat ad aegrotos sanatos; quamquam haec sanatio illius typum habebat. Ad hunc modum excusat Evangelistam Chrysostomus, Hom. XXVIII. » At de ejusmodi *typo* et *excusatione* ne verbum quidem habet s. Doctor !

sumus. Gratis enim excidere possumus et in diaboli potestatem culpa et inobedientia nostra venire; ast redimere nos non possumus nisi per condignam satisfactionem. Quispiam potest se in puteum dejicere, sed sine aliorum subsidio exinde emergere nequit.

627. Neque pariter illud sequitur, quod adversarii fingunt, in catholicorum nempe sententia redemptionis nostrae pretium persolutum fuisse diabolo. Illi enim persolvitur pretium, qui jure suo captivos detinet, qui creditor est, persona laesa ac supremus judex, cujusmodi in casu nostro est solus Deus, qui potestatem habet mittere in gehennam, ut inquit Christus, Luc. XII, 5; non autem ei, qui jure alieno detinet captivum tamquam carceris custos, judicis minister atque executor, prout diabolus est. Soli ergo Deo persolvendum erat nostrae redemptionis pretium (1).

628. Ad 3, *D.* Particula *pro* seu ὑπὲρ non semper veram importat substitutionem, *C.* numquam, nec praesertim in casu nostro *N.* Inani prorsus labore corrogant sociniani tum ex scriptoribus sacris tum ex auctoribus profanis exempla, quibus ostendant, interdum particulam *pro* aut ὑπὲρ non significare substitutionem, sed solam utilitatem, cum nemo id inficietur. Ast nihil proficiunt, nisi simul ostendant, hanc ejusdem particulae unicam et constantem esse significationem et vim, quod numquam efficient, cum innumera prorsus suppetant exempla, ubi de personis agitur, ex iisdem fontibus, in quibus eidem particulae subest vis ac significatio substitutionis (2). Igitur de hujus particulae significatione dijudicandum est ex subjecta materia, scopo, contextu et ceteris adjunctis. Porro in casu nostro non solum dicitur Christus pro nobis mortuus, sed praeterea dicitur, pro peccatis nostris animam suam posuisse, semetipsum dedisse in victimam et oblationem et propitiationem, dedisse se ipsum redemptionis pretium, nosque redemisse non auro et argento, sed sanguine suo pretioso. Quae omnia profecto, ut veram solutionem pro nobis, ita veram substitutionem aperte significant. Cum vero haec eadem non militent pro exemplis allatis, patet extra rem ea omnino proferri. Denique compertum philologis est, non aliam esse proprietatem particulae ἀντὶ, ubi veniat in compositione λύτρον, quam significandi vicariam substitutionem, pretii nempe in locum rei emptae seu redemptae, hinc ἀντίλυτρον idem valet ac *vicissim datum redemptionis pretium* (3). Jam vero Apostolus, I Tim. II, 6, scribit de Christo: *Qui dedit re-*

(1) Atque hic notanda est impudentia rationalistarum, Wegscheider, § 138, Gruner, *Dogm.* pag. 253 et seqq. 262 et seq., Beck, *Comment.* 1, pag. 585 et seq., Wiggers, *Pragmat. Darstell. d. August.* etc. seu *Expositio pragmatica Augustinianismi et Pelagianismi*, Berol. 1821, pag. 354 et seqq., qui veriti non sunt affirmare, haud paucos patres, quippe qui daemonologiae studiosissimi essent, in eo convenisse, ut Jesu θεανθρώπου (*Deihominis*) mortem velut debitum aliquod redemptionis pretium diabolo persolutum existimaverint, qua homines ab ejus imperio et potestate itemque a morte aeterna liberaret. Lacessimus enim rationalistas omnes, ut vel unum patrem proferant, qui asseuerit, pretium redemptionis a Christo fuisse diabolo persolutum.

(2) Cf. Luc. XI, 11; Matth. II, 22; XVII, 26; I Cor. I, 13, etc.

(3) Cfr. Svicerus in *Thes. eccles.* ad vocem Ἀντίλυτρον, ubi confirmat auctoritate Hesychii nativam hanc esse hujus vocis significationem. Quare audiendus non est Scapula, dum frigide scribit: Ἀντίλυτρον *simpliciter accipitur pro* λύτρον, *I Tim. cap.* 2.

demptionem ἀντίλυτρον *semetipsum pro omnibus* (1). Rationalistae talem fuisse sacrorum scriptorum sensum, dum de Christi morte loquuntur, modo nobis concedunt (2); non est igitur quod ulterius quaeramus.

629. Ad 4. *D. Reconciliationis* voce solitarie spectata, *Trans.* prout in sacris Litteris de Christo illa usurpatur *N.* Ideo enim nos Scripturae per Christum Deo reconciliatos exhibent, quia ipse pro nobis dedit pretium sanguinis sui, Deum placavit, sustulit in se peccata nostra, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, ut inquit Apostolus, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci (3). Quare Christus nos reconciliavit cum Deo tamquam causa princeps et meritoria per veram satisfactionem; apostoli autem ut causa ministerialis, ut dicitur, atque instrumentalis per verbi praedicationem et dispensationem mysteriorum Dei seu sacramentorum. Longe propterea dispar istorum ratio reconciliationis est (4).

630. II. Obj. Satisfactionis doctrina, prout a catholicis admittitur ex triplici capite repugnat; videlicet tum ex parte Dei, tum ex parte Christi, tum denique ex parte hominis. Ac primo quidem ex parte Dei. Etenim 1. Deus in Scripturis exhibetur gratis peccata condonans, ex. gr. Matth. XVIII, 27; Rom. III, 24; Ephes. II, 1 et seq. Coloss. II, 13. Ergo nulla ei debetur satisfactio; nam inter se pugnant gratuita condonatio, quae fit ex misericordia, et proprie dicta satisfactio, quae exigitur ex justitia. 2. Parum autem refert, quod ejusmodi satisfactio non a nobis, sed a Christo exhibita fuerit; nam, qui a sponsore pretium repetit non potest dici gratis illud condonare. 3. Accedit, Deum ipsum dedisse nobis Filium suum qui pro nobis offerretur; jam vero ubi creditor praebet debitori unde solvat, remissionem dare potius censetur quam satisfactionem exigere. 4. Quibus si addas, Deum non potuisse ejusmodi satisfactionem postulare absque suae misericordiae aut potentiae laesione, res plane conficitur; porro qui asserit, Deum illam postulasse, quia aliter noluit peccata dimittere, ejus laedit misericordiam; qui dicit, eam Deum exegisse, quia aliter non potuit peccata condonare, detrahit ejus potentiae. Ergo.

631. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Respectu hominis, cui Deus gratis pec-

(1) Ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων.

(2) Kaiser, *Bibl. theol.* 263, De Wette, *Bibl. dogm.* tom. I, pag. 95 et seqq. aliique passim apud Wegscheider in eo conveniunt, ut asserant, discipulos Jesu iguominiam supplicii a Christo subeundi deleturos, post fata demum, ut ipsi loquuntur, doctoris divini, vel nonnulla ipsius allegorice dicta de morte sibi instante convertisse in hanc sententiam de morte expiatoria, vel ex opinionibus de λόγῳ, sacerdotis instar et intercessoris homines cum Deo reconciliante, V. T. loca eidem accommodasse. Affirmant Evang. Joannem alio omnino sensu ab eo, quo protulerat Joan. Bapt. dictum accepisse, quod Joan. I, 29 extat, ex praeconcepta sententia sua de morte Christi expiatoria; imo et Jesum ipsum, quippe qui sacrificia quaevis piacularia in regno coelesti a se condendo abrogare vellet, mortem sibi instantem tamquam symbolum in locum illorum substituendam *ad opiniones aequalium accommodate* nonnumquam proposuisse, quo citius ista sacrificia ad illud usque tempus usitata antiquaret.

(3) Coloss. II, 14.

(4) Cfr. Witasse, *De Incarn.* cap. I, q. 10, art. I, sect. I.

cata condonat, *C.* respectu Christi, qui ea ut sponsor in se suscepit ac luit *N.* Utraque gratuitam nempe peccatorum remissionem relate ad nos, ac redemptionis pretium relate ad Christum, luculenter conjunxit Apostolus, dum ait Rom. III, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae*. Pugnant autem inter se gratuita condonatio et satisfactio proprie dicta cum ad eamdem personam referuntur; non autem ut in casu nostro accidit, cum alia est persona, quae satisfacit, alia vero est, cui gratuita fit remissio.

632. Ad 2. *D.* Ubi intervenit debitum reale, *C.* ubi intervenit debitum personale *N.* In debito enim reali, in quo non exigitur nisi aequalitas rei ad rem, perinde est a quocumque demum solvatur; at in debito personali, quod exurgit ex injuria alteri illata, persona laesa quamcumque posset respuere satisfactionem ab altero oblatam; ac ipsum laedentem adigere ad satisfaciendum. Cum vero nos tali debito solvendo impares essemus, acceptum referre debemus divinae bonitati, quod ejusmodi debitum in Christum sponsorem transtulerit, ac ejus meritorum intuitu nos a solutione liberaverit, gratuito nobis condonando noxas omnes quibus eramus adstricti.

633. Ad 3. *D. Remissionem* dare censetur ei, cui creditor (personalis) praebet unde solvat seu satisfaciat, *C.* ei, quem creditor dat, ut solvat seu satisfaciat *N.* Responsio patet ex modo dictis in resp. ad 1.

634. Ad 4. *N.* Potuit enim Deus absolute absque ulla satisfactione omnia delicta nobis condonare; sed ei placuit misericordiam cum justitia temperare, misericordiam respectu nostri, justitiam respectu Christi, ut sic omnia ejus attributa in redemptionis oeconomia maxime elucerent.

635. I. Inst. Atqui non minus repugnat satisfactio ex parte Christi. Nam 1. injustum est, insontem pro reo plecti; 2. innocentem vero suffici in locum rei ad poenas dandas pro patratis sceleribus, vetat recta ratio, vetat divina lex, vetant omnium plane politiorum gentium jura. Nemo enim sobrius inficiabitur, ferendum non esse, ut dimisso nocente, qui pestis reipublicae est, saeviatur in innocentem, qui omnium bono et exemplo vivit. Quare Deus conceptis verbis, ne id unquam fiat, prohibet Deut. XXIV, 16: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* imo et sibimetipsi Deus hanc legem posuit, dicens, Ezech. XVIII, 20: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur . . . justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum*. Factum hinc est, ut tamquam injustam et noxiam ejusmodi substitutionem Athenienses repulerint (1); Romani vero id capitis poena vetuerint (2); praesertim cum nemo vitae suae dominus sit, et juxta justitiae leges poena peccatum sequatur. 3. Absurdum est, admittere in satisfactionis hypothesi, Christum nobis simul et iratum et propitium; iratum quia Deus est peccatis laesus, propitium quia pro iis satisfecit. Absurdum insuper est, plus nos debere Filio, qui pro nobis satisfecit, quam Patri, qui satisfactionem exegit. 4. Concludendum propterea est Christum mortuum pro nobis eo tantum sensu esse, quo declarat apostolus Petrus, ut nobis relinqueret exemplum ut

(1) Plato, *De leg.* lib. IX.

(2) Ex *Codice*.

sequamur vestigia ejus, I Pet. II, 21, non autem quasi loco ac vice nostra mortem subierit.

636. Resp. *N. subs.* Ad 1, *D.* Qui non fuerit ejus sponsor, *C.* qui ejusmodi sponsionem ultro ac libens in se susceperit, ut mox dicemus *N.*

637. Ad 2, *D.* Per se, ac nulla interveniente legitima causa ac potestate, *C.* intervenientibus libera electione, legitima potestate, bonis ingentibus ac damni lati reparatione, imo et foenore *N.* Admissis igitur adversariorum principiis relate ad casus ordinarios, ex defectu aut omnium aut aliquot saltem adjunctorum quae enumeravimus, negamus illa applicari posse ad casum nostrum unicum plane atque extraordinarium. Etenim 1. Christus libere se ad mortem loco nostro subeundam obtulit, *Oblatus est quia ipse voluit*. 2. Legitima potestate fecit, tum ex parte Patris, qui ejusmodi subrogationem non solum probavit, sed ipsemet nobis eam contulit: nam *pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. VIII, 32; tum ex parte sua, cum esset vitae suae Dominus, utpote Deus homo: *Potestatem habeo ponendi eam* (animam meam) Joan. X, 18. 3. Innumera bona inde consecuta sunt; siquidem *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Heb. X, 14. 4. Damni per mortem perpessi uberem consecutus est reparationem per excitationem a mortuis, per exaltationem ac nominis sui gloriam, Philipp. II, 9. Cum vero haec saltem simul sumpta in nulla creatura locum habeant, patet, extra rem prorsus a socinianis argumenta urgeri sive ex ratione sive ex legibus divinis et humanis quae non afficiunt nisi casus ordinarios. Hinc inutile ducimus, exempla inquirere et congerere tum ex sacris Litteris tum ex gentium historiis, ad ostendendum ejusmodi substitutiones ubique fere receptas reperiri (1).

638. Ceterum Deus, Deut. loc. cit.

(1) Ejusmodi sententiam apud omnes fere gentes obtinuisse, praesertim vero apud Hebraeos, sociniani prius inficiati sunt; nunc vero rationalistae, monumentorum pondere et perspicuitate pressi, id nobis jam ultro concedunt. Hanc autem persuasionem ipsi repetunt ex imbecillitate antiquorum hominum, qui putarunt, non esse divinae justitiae quemquam hominum sine culpa plectere, ac quodvis malum pro poena habuerunt aut proprii aut alieni peccati, quod judex in alium detulerit luendum. Ex hac longe lateque recepta sententia factum esse autumant, ut *auctor* cap. 53 Isaïae (qua loquendi ratione innuunt profani homines auctorem cap. 53 alium ab Isaïa esse), uti etiam reliqui prophetae, *artis disciplinaeque omnis ignarus*, retinuerit et sui et aliorum populorum opinionem, qua Deus, nihil non expiari cupiens, cujuscumque peccati poenam necessariam et inevitabilem ab insontibus adeo dicitur repetere. Quin etiam eo progrediuntur, ut asserant, hanc opinionem ab ipsis N. T. scriptoribus, antiquatis jamjam sacrificiis, conservatam et in mortem Jesu translatam esse. Ceterum quod spectat ad ethnicos, qui doctrinam adserunt de substitutione innocentis ad poenam luendam reo debitam, cfr. Herod. *Hist.* lib. II, cap. 39 et 46; Jul. Caesar, *De bello gall.* VI, 16; Ovid. *Fast.* VI, v. 162: *Hanc animam vobis pro meliore damus*, etc. Sic apud Hebraeos eamdem obtinuisse persuasionem, patet ex Exod. XX, 6; ubi patrum delicta in liberis castigari perhibentur; II Reg. XXI, 1 ad 14, ubi poena ante neglecta a posteris repetitur; ibid. XXIV, a 10 ad 25, Davidis noxa peste per tres dies grassante et LXXX hominum millibus interfectis expiatur; ibid. XII, 15 ad 18, ejusdem Davidis adulterii crimen infantis morte luitur; ut alia loca omittam, quae magna sedulitate ipsi rationalistae, etsi ad pessimum finem, collegerunt. Cfr. Wegscheider, § 137, nott. *b* et *c*.

vetat, quominus filii aut parentes innocui involvantur poena a parentibus aut filiis nocentibus promerita. Apud Ezechielem vero sermo est de praemiis ac poenis in altera vita, quae profecto pro meritis aut demeritis uniuscujusque individui rependentur a Deo.

639. Ad 3. *D.* Sub eodem respectu, *C.* sub diverso *N.* Sed illud inficiamur, quod ab adversariis obtruditur de majori obligatione, qua erga Filium ob praestitam ab ipso satisfactionem nos obstringi asserunt, quam erga Patrem, qui illam poposcit. Nam quod talem ac tantum redemptorem nacti simus, totum acceptum referre debemus divinae misericordiae et charitati, quae cum eadem in tribus divinis personis sit, est Patri ac Filio communis. Patri igitur obstricti esse debemus qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; Filio autem, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

640. Ad 4. *N.* ut ex dictis constat. Petrus autem non adaequatum, sed partialem tantum finem passionis Christi citato loco exponit. Multiplex fuit mortis et passionis Christi finis; primarius autem fuit, ut pro nobis satisfaceret, prout Petrus alibi, ut vidimus, declarat, et cum ipso sacri scriptores reliqui; secundarius, ut nobis exemplo esset, quem ad scopum suum Apostolus attingit, primarium supponendo.

641. II. Inst. Saltem satisfactio repugnat ex parte hominum. 1. Si enim Christus vere pro nobis satisfecisset, tot debuisset mortes oppetere, quot homines super terram sunt, erunt ac fuerunt; debuisset praeterea poenis subjici temporali et aeternae; utraque enim ejusmodi poena nostris peccatis debetur. 2. Homines praeterea liberi essent ab omni satisfactione praestanda, quod tamen catholici negant; 3. liberi essent ab omnibus hujus vitae calamitatibus, morbis, morte, etc. 4. Omnes denique homines salvi fierent, quod tamen nemo dicet; ergo.

642. Resp. *Neg.* iterum *subs.* Ad 1. prob. *D.* Si una Christi mors aequivalens non fuisset morti tum temporali tum aeternae, quas peccata omnium promerentur, *C.* si, spectata infinita ipsius divinae personae dignitate, non solum aequivalens illis fuit, sed longe eas superavit *N.* Jam vero Apostolus passim docet, Christum semel oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata, una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos, pro omnibus mortuum esse. Cum enim infinitum sit pretium pro peccatis nostris a Christo oblatum, hoc ipso, quantum ex se erat, Christus omne debitum tam temporale quam aeternum, quo universum humanum genus erga Deum obstringebatur, plene, imo cumulatissime solvit, ita ut nullo alio opus sit.

643. Ad 2. *D.* Proprie dicta ad promerendam reconciliationem, *C.* improprie dicta, quae consistat in applicatione satisfactionis et meritorum Christi *N.* Accurate enim distinguunt catholici inter oblatam a Christo Deo Patri satisfactionem et inter applicationem, ut ajunt, oblatae satisfactionis. Ut igitur peccata nostra deleantur, et innocentiam induamus atque justitiam, ejusmodi applicatione opus est, quae in usu sacramentorum consistit, atque in operibus per gratiam rite factis. Neque enim Christus ita satisfecit pro nobis, ut nos otiosi et nihil agentes salutem aeternam consequeremur, sed ut operibus et satisfactionibus nostris pretium et valorem acquireret. Sane in debito personali non sufficit, ut sponsor convenientem pro illata injuria satisfactionem exhibeat; sed praeterea requiritur, ut offensor cum sponsore conveniat, injuriae eum poeniteat, ac polliceatur, velle se in gratiam redire cum persona laesa atque ab injuria in posterum inferenda absti-

nere. Quae si praestare detrectet offensor, licet ingens sit solutum pretium, gratiam et reconciliationem minime consequetur. Conditiones porro, quas sponsor noster Christus servandas proposuit, ut fructum satisfactionis ejus nobis applicaremus, ejusmodi sunt, ut, si compatimur et conglorificemur, ut unusquisque tollat crucem suam eumque sequatur, atque Deum toto cordis affectu in posterum diligat et mandata ejus observet. Si quis ergo post adeptam reconciliationem iterum Deum offendat, poena utique aeterna dignus efficitur, eamque, nisi resipiscat, incurrit.

644. Ad 3. *D.* In altera vita, *C.* in praesenti vita *N.* Etsi enim plenam Christus nobis promeruerit a peccatis eorumque poenis omnibus liberationem, attamen gratiam hanc pro sapientia sua dispensat et ordinat; partem in hac vita largitur, non omnem, ut, quamdiu hic sumus, eum patientem imitari possimus, et virtutis exercitio ac meritis locus sit (1); in altera autem vita plenam nobis largietur ab his omnibus liberationem.

645. Ad 4. *D.* Si eas conditiones impleant, quas sponsor proposuit juxta dicta, *C.* si eas negligant *N.* Responsio patet ex iis, quae modo declaravimus in resp. ad 2. Ex quibus etiam colligitur, perperam socinianos inferre, juxta doctrinam catholicam Deum non amplius nobis irasci ob peccata nostra. Haec enim aliaque ejusmodi, quae magno apparatu nobis adversarii opponunt, ex praepostera doctrinae catholicae intelligentia atque expositione proficiscuntur.

646. III. Obj. *Doctrina de venia peccatorum, quam hominibus paraverit satisfactio vicaria per mortem Jesu Christi Deo praestita, in gravissimas, recentiore potissimum aetate, incurrit reprehensiones, partim ex origine dogmatis, partim ex idea numinis recte constituta, partim ex justis reatus et poenae notionibus atque ex ipsa experientia petitas.* Primum *enim haud male monitum est, omnem hac de re sententiam comparatione niti mortis Jesu Christi cum sacrificiis piacularibus facta, quae apud omnes fere gentes incultiores, inprimis apud Hebraeos, usitata erant, et ipsi Jesu Christo jam improbata* (*Matth. IX*, 13; *Joan. IV*, 23; *col. Ps. LI* (in Vulg. *L*), 18 *et* 19; *Mich. VI*, 6-8); *unde hunc ipsum dogma illud tamquam summum fidei christianae caput nondum tradidisse recte concluditur.* Deinde *non intelligitur, quomodo Pater coelestis voluntate justissima eademque benignissima ad poenas infligendas ductus, omnisque irae atque offensionis expers, nisi sanguine et morte victimae commoveri non potuerit, ut liberos suos, humanae quidem imbecillitati obnoxios, at pia tamen mente ipsi fidentes, morte aeterna, alioquin ipsis destinata, exsolveret; nec intelligitur, cur institutum ita necessarium tam longe moratus sit Deus beni-*

(1) Cfr. *Catech. Rom.* par. II, cap. 2, n. 48, qui docet, duabus potissimum de causis factum esse, ut in hac mortali vita non careamus incommodis atque calamitatibus; quarum prima est, quod nobis, Christi membris, plus dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset; Christus autem Dominus humanae naturae fragilitatem, quam suscepit, non ante deposuit, quam passionis tormenta ad mortem pertulit. Altera vero causa illa est, ut scilicet tamquam segetem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiorem gloriae fructum atque ampliora praemia consequeremur. Mors igitur et hujus vitae calamitates nos manent, non tamquam peccati poenae, sed tamquam exercitationes virtutum.

gnissimus, qui jam nomadibus rudioribus in desertis acclamari jussit: Ego sum benignus! (*Exod. XXII*, 27; *coll. XXXIV*, 6 *et* 7; *Sap. XI*, 24 *et* 25; *XII*, 15). *Neque magis liquet, quomodo homines, natura quippe finita praediti, peccando infinitam culpam in Deum contraxerint, quae nisi piaculo infinito elui non potuerit. Praeterea nulla apparet ratio, cur Deus ipse, secunda scilicet in Deo persona, innumerorum systematum solarium summus moderator, induto corpore humano, in hanc tellurem, tam exiguam mundi partem, descendere decreverit, ut cruci affixus ab Judaeis fatali quadam necessitate ductis, ipse sese sibi tamquam piaculum infinitum offerret; et cur Deus, quo tempore ipse sui expiationem parare cupiens et pacis ac reconciliationis nuncios adversariis mittens censetur, non jam pro vere placato haberi possit.* Tum *per se patet, reatus et poenae sicut meriti notiones, necessario inhaerere subjecto peccanti sicut benemerenti; quamobrem nec alterius culpa in alterum quemquam, praesertim innocentissimum, nec virtus et dignitas moralis, qua unus aliquis insignis fuerit, in reliquos peccatores transferri potest. Poena enim est malum cum peccato conjunctum, quod ipsi homini peccanti infligitur; at malum, quod innocens sentit, perperam poena dicitur..... Longa* denique *experientia ostendit, quantum fiducia in piaculis qualibuscumque collocata, emendandi studio cujusque ac virtutis severitati veraeque pietati nocuerit, quippe quae hominem in suo ipsius pectore salutem suam quaerere jubeat.* Ergo .... Hucusque Wegscheider (1).

647. Resp. *D. A.* In gravissimas doctrina catholica incurrit reprehensiones apud eos, qui, Scripturarum sensus traditionalis totius antiquitatis et ecclesiae auctoritate posthabita, malunt sensus privati ambagibus se committere, *C.* apud eos qui nondum christianae religioni nuncium remiserunt *N.* Ejusmodi enim sunt fructus, quos ultro protulit protestantismi radix, quod toties animadvertimus.

648. Ad 1. prob. *N.* Perperam enim id monitum fuit, idea siquidem primigenia sacrificiorum piacularium apud Hebraeos, quae deinde ad alios populos propagata est, originem traxit ab ipsa natura Veteris Legis, quae tota typica fuit, ut declarat Apostolus (2). Quare sacrificia cruenta instituta fuerunt ad significandam futuram Christi mortem piacularem, ex qua significatione et fide offerentium, totam vim suam ad peccata expianda vetera sacrificia derivabant (3). Hinc propheta Isaïas, ut jam notavimus, loquens cap. LIII de Christi morte, usus est vocibus liturgicis, quae ejusmodi piacularem virtutem exprimerent. Ab Hebraeis, seu potius ex primaeva traditione sensim ad gentes ceteras haec idea quoad sacrificia pervenit, et eo progressa est, ut ad expianda noxiorum crimina interdum victimas hu-

(1) § 141.

(2) Cfr. I Cor. x, a v. 6 ad 11; Coloss. II, 17; Heb. x, 1 seq. praesertim vero Rom. x, 4, ubi universim pronunciat: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.*

(3) Per se enim, ut rursum pluries significat Apostolus, non erant nisi egena elementa, munera et hostiae, quae non possunt perfectum facere servientem, quibus impossibile est auferri peccata, aliaque ejusmodi, de quibus tum in epist. ad Galatas tum data opera in epist. ad Hebraeos scribit.

manas immolarent, virgines potissimum, utpote diis ex ipsorum mente hostias acceptissimas, ac maxime idoneas ad publica mala seu promeritas poenas et calamitates avertendas (1).

649. Sic prorsus negamus, sive a Christo, sive a prophetis improbata fuisse piacularia sacrificia in sensu adversariorum. Citata autem loca, si Joan. IV, 23 excipias, nec enim ad praesentem quaestionem spectat, docent, cordis dispositionem et misericordiae opera praeferenda esse materiali sacrificiorum oblationi absque pietatis ac fidei sensu factae, ut ex eorum lectione aperte constat.

650. Ad 2. Resp. Parum refert quod adversarii non intelligant, quare Deus sanguine ac morte Filii sui placari *potuerit* (verius dixissent *voluerit*); dummodo nobis constet de ipsius voluntate, satis esse debet, nec ulterius inquirere debemus; cum autem Christus, ut ostendimus, saepius declaraverit se daturum sanguinem suum in *remissionem peccatorum*, in *redemptionem* imo *in pretium* redemptionis pro multis; cum idipsum, fatentibus adversariis, constanter doceant scriptores sacri, nullum dubium de hac Dei voluntate superesse nobis potest. Ceterum Apostolus, Rom. III, 25, rationem assignat, quare Deus ita voluerit, nempe *ad ostensionem justitiae suae*. In eo, quod addunt, se non intelligere, cur Deus adeo distulerit institutum adeo necessarium, ostendunt se non cognoscere doctrinam catholicam, quae profitetur cum s. Leone M. quod *gratia Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepta; et hoc magnum pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud cre-*

(1) Cfr. Comes de Maistre, *Éclaircissement sur les sacrifices*; ubi, cum mira eruditione ex omnium gentium documentis ostendisset, receptam quovis tempore ejusmodi sententiam de sacrificiis expiatoriis, quae magnum illud olim offerendum ab homine Deo portendebant pro totius humani generis expiatione ac salute, concludit: *Il n' y a rien qui démontre d' une manière plus digne de Dieu ce que le genre humain a toujours confessé, même avant qu' on le lui eût appris, sa dégradation radicale, la reversibilité des mérites de l' innocence payant pour le coupable et le salut par le sang.* Huc pariter referuntur quae de sacrificiis, *tauroboliis* nuncupatis, ac in veteribus inscriptionibus saepe adeo occurrunt. Ethnici enim perfusi sanguine tauri immolati, eo ritu, quem graphice describit Prudentius in *Hymno de s. Romano*, in aeternum renasci se putabant. Mosheimius, *Dissertat. ad hist. eccles. pertinentium*, vol. I, p. 379, edit. Altonae 1767, ostendit adversus Salmasium, Seldenum, Reinesium, Clericum ac Van-Dalium, ejusmodi sacrificia minime adscivisse Romanos ex christianorum vulgata doctrina de quadam expiatione ac mystica liberatione et regeneratione per sanguinem Jesu Christi, ut illi autumabant, sed longe *christiana* religione ea antiquiora esse. Mosheimius censet, ex Phrygia Romanos hunc ritum derivasse; ast verisimilius videntur ejusmodi sacrificia ex cultu antiquissimo mithriaco, qui obtinebat apud Persas repetenda esse, atque ex Oriente in Occidentem pervenisse. Cfr. *Mémoire sur le culte de Mithra*, par le chev. Jos. De Hammer, publié par G. Spencer Smith, Paris 1833, in-8. Ceterum quoad auctores, qui ex professo de *Tauroboliis*, *Crioboliis* et *Aegoboliis* scripserunt, tum qui de Ἀνθρωποθυσίαις, seu de *sacrificiis humanis* ubique gentium receptis ac generatim de sacrificiis *expiatoriis* egerunt, consulendus Alb. Fabricius in *Bibliographia antiquaria*, cap. 11, § 3 et seqq. qui more suo longum catalogum eorum intexuit.

didere promissum, quam qui suscepere donatum (1). Quare benignitas Dei quovis tempore eluxit, dum omnibus hominibus medium praebuit ad salutem (2).

651. Idem dicendum circa difficultatem, quam adversarius promovet, desumptam ex *culpa infinita*, quae contrahitur a natura *finita*. Haec enim ex falsa notione doctrinae catholicae oritur. Neque enim catholici docent culpam esse vere infinitam; sed solum, ut loquitur s. Thomas (3), dicunt habere *quamdam infinitatem* ex infinitate divinae majestatis, ideoque extrinsecam, in quo nihil est quod repugnet (4). Dum autem theologi exinde inferunt necessitatem hypoteticam Incarnationis et satisfactionis, nonnisi conjecturale, ut aiunt, argumentum proferunt, quod ab aliis tamen impugnatur (5). Vera ratio est Dei voluntas, de qua nobis ex divina revelatione constat.

652. Animadversio circa rationem, qua Dei Filius humano corpore indutus in hanc tellurem descenderit, supponit, quod adhuc incertum est, num scilicet existant *plancticolae;* supponit praeterea, in hac hypothesi eodem providentiae ordine illos regi ac nos, supponit denique eodem ac nos remedio illos indiguisse. Haec autem omnia sunt totidem somnia ac nugae; attamen ex his argumenta ducunt rationalistae ad id negandum, de quo nos revelatio divina certiores fecit. Haec velle serio refellere, jocum saperet.

653. Quod subditur de fatali necessitate, qua ducti Judaei dicuntur ad cruci affigendum Christum, non est nisi blasphemia, quam superius repulimus (6).

654. In eo quod Deus expiationem nobis paraverit, se benignum ac benevolum erga nos ostendit, in eo vero quod Christi morte placari voluerit, se justum prodidit. Benevolentia autem et justitia optime inter se cohaerere in eodem subjecto possunt.

655. Ad 3, *D.* Reatus culpae et ratio meriti stricte sumpti, *C.* reatus poenae adeoque et satisfactionis, *subdist.* ceteris paribus, *C.* necessario *N.* Hoc enim e diametro adversatur non solum divinae revelationi, ex qua novimus, non semel alios pro aliis satisfecisse, verum etiam communi gentium omnium sensui (7).

656. Sic *poena* prout dicit relationem ad *culpam*, est malum cum peccato conjunctum, *C.* prout importat *satisfactionem, subdist.* ut plurimum, *C.* semper *N.* Hoc autem posteriori tantum sensu malum, quod innocens sentit, *poena* vocatur. Detectis igitur aequivocationibus, concidunt argumenta, quae adeo magni fiunt.

657. Ad 4. *N.* Quibus enim suadebunt rationalistae purioribus ac sanctioribus moribus instructos evasisse suos discipulos

(1) *Serm.* XXIII (alias XXII) *in Nativ. Domin.* cap. 3, edit. Ballerin. opp. tom. I.

(2) Rationes a patribus assignatae, quare distulerit Deus executionem Incarnationis et Redemptionis, cfr. apud Petav. l. II, c. 17.

(3) P. III, q. 1, art. 2, ad 2.

(4) Cfr. tamen Vasquez *In* III *part.* disp. II, cap. 2 et seqq. ubi pluribus contendit, malitiam peccati seu rationem offensae finitam esse, non solum *subjective*, ut omnes fatentur, sed etiam *objective*, aut quocumque alio modo id dicatur. Consuli praeterea poterit Petav. loc. cit. capp. 13 et 14, ubi agit de necessitate Incarnationis.

(5) Cfr. ibid.

(6) N. 212.

(7) Cfr. Epist. ad Gal. VI, 2; II Cor. VIII, 14 etc. Sed de hoc argumento ex professo suo loco agemus. Cfr. interea *Catechism. Rom.* part. II, cap. 5, § 76.

per destructionem religionis christianae ab imis fundamentis suis ? Proferant suos sanctos et heroas, si quos habent; interea catholici ipsis perpetuo objicient martyrologia, et collectionem Bollandistarum, acta sincera innumerorum plane sanctorum, qui in avita fide enutriti omnigenis virtutibus floruerunt. Addo, et hanc difficultatem ex praepostera notione doctrinae catholicae originem trahere, quam nos superius discussimus et falsam esse ostendimus.

658. Et haec de magno hoc pietatis sacramento adversus Judaeos, incredulos, haereticos ac rationalistas, qui machinationes admoverunt omnes ad illud evertendum. *Quid autem fuit*, ut tractatum absolvam verbis magni illius dominicae Incarnationis mysterii assertoris ac vindicis Leonis, *quod et Judaeis intellectum abstulit, et sapientium mundi corda turbavit, nisi crux Filii Dei quae et philosophicam evanescere prudentiam et israëliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque sensum humanae mentis excessit divini altitudo consilii, cum placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (1), *ut mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim et irrationabile videbatur, recipere animo quod Creatorem omnium naturarum in substantia veri hominis virgo intemerata peperisset; quod aequalis Patri Filius Dei, qui impleret omnia et contineret universa, furentium manibus comprehendi, iniquorum judicio condemnari, et post dedecora illusionum cruci se permisisset affigi. Sed in iis omnibus simul sunt et humilitas hominis et celsitudo deitatis, nec misericordiae ratio majestatem miserentis obscurat; quia de ineffabili potentia factum est, ut dum homo verus est in Deo inviolabili, et Deus verus est in carne passibili, conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi enim Verbum caro fieret, et tam solida consisteret unitas in utraque natura, ut a suscipiente susceptam, nec ipsum breve mortis tempus objungeret, numquam valeret ad aeternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare praesidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset, et per id quod non poterat mori, posset id, quod erat mortuum, suscitari* (2).

(1) I Corinth. I, 21.

(2) *Serm.* LXX, alias LXVIII, *De Passione Domini* XIX, edit. Ballerin.

TRACTATUS

DE CULTU SANCTORUM

TRACTATUS

DE CULTU SANCTORUM

PROOEMIUM

1. Etsi passim tamquam appendix quaedam tractatus de Incarnatione, quae ad religiosum sanctorum cultum et venerationem pertinent, haberi soleant, commodiorem tamen rem futuram censuimus, si ea dispesceremus in diversas tractationes, quo magis ordini et perspicuitati foret per nos consultum.

2. Quae autem sub generico tractatus de cultu sanctorum nomine complectimur, reducuntur ad eorum cultum, invocationem, ad eorum item reliquiarum honorem, ad usum denique ac venerationem imaginum. In totidem propterea capita lucubrationem hanc distribuimus. Quandoquidem autem ex germana cultus notione totus, aut magna saltem ex parte pendet felix exitus disceptationis, quam aggredimur, ab hac propterea auspicabimur quae adversus protestantes dicturi sumus.

CAPUT I.

DE VARIA CULTUS ACCEPTIONE ET DIVISIONE

3. *Cultus* nomine venit honor ille, qui Deo tribuitur, aut creaturis Dei intuitu ac respectu defertur. Variis porro vocabulis honor iste designatur, *adorationis* videlicet, *respectus*, *venerationis*, *reverentiae*, *servitutis*, quae quidem denominationes aut synonymae sunt, aut saltem indiscriminatim in vulgari sermone usurpantur.

4. Licet vero promiscue voces istae adhibeantur, non unus tamen idemque est cultus vel honor, qui Creatori ac creaturis defertur. Etenim, cum honor juxta B. Thomam sit *signum et testimo-*

nium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato (1), inde fit, ut pro diversitate ejusmodi excellentiae diversus pariter sit honor vel cultus, quem Deo vel creaturis tribuimus. Deo nempe, utpote supremo rerum omnium Domino atque in infinitum creaturas omnes excedenti, cultum supremum, absolutum ac proprie dictum deferimus; creaturis vero nonnisi propter Deum seu in ordine ad Deum, relativum idcirco et improprie dictum honorem impendimus, quatenus scilicet ad Deum referuntur, ac de divinis bonis participant (2).

5. Duplex proinde in primis distinguitur cultus, *latriae* atque *duliae;* quae voces quamvis pariter *servitutem* significent, cum tamen earum prior referatur ad *subjectum* seu ad ipsos colentes, qui adoratione Deo servitutem suam ac dependentiam profitentur, posterior vero ad *objectum*, quod colitur, Sanctos scilicet, qui servi Dei sunt, rite ad utriusque cultus genus significandum usurpantur. Duliae cultus bifariam rursum dividitur, in simplicem nempe duliae cultum et in cultum *hyperduliae* quo B. Virgo speciali ratione honoratur prae sanctis ceteris, quos illa meritis ac dignitate longe antecellit.

6. Animadvertendum praeterea est, hunc ipsum duliae cultum, si spectetur quatenus ad sanctos refertur et in ipsis sistit, sub hoc respectu dici posse absolutum. Etsi enim sancti participatam, ut diximus, excellentiam habeant, reapse tamen in suo genere habent; honoris propterea ac religiosi cultus capaces sunt. E contra vero imagines et reliquiae, quae nullam ex sese excellentiam capiunt, ob quam honorem ac cultum mereantur, improprie tantum coli et adorari dicuntur, eo quod veneratio nostra minime in iis sistat, sed per eas transeat ad prototypum; quare totus hic cultus relativus est.

7. Pro diversa ratione, qua cultus seu adoratio tribui potest, fit ut cultus in *interiorem* et in *exteriorem* distinguatur, prout scilicet vel solo animo vel corporis insuper significatione praebetur. Interior, qui in sola mente consistit, sensus complectitur existimationis admirationis grati animi et obsequii erga illum, quem talibus sensibus dignum ducimus; exterior vero, qui corporis administratione perficitur, gestu, ex. gr. capitis inclinatione, submissione poplitis, etc. signa exhibet interiorum animi nostri sensuum, seu interioris cultus nostri.

(1) 1. 2. q. 2, art. 2.

(2) Apposite Petavius, lib. XV, *De Incarn.* cap. 2: Cultus, inquit, seu adoratio proprie non convenit nisi uni Deo, quemadmodum uni Deo proprie competit notio *entis*, et ipse est fons, principium omnium bonorum ac perfectionum. Sequitur proinde, nonnisi Deo proprie convenire cultum, honorem, adorationem. Quod si ceteris tribuitur, id fit tantum σχετικῶς, seu κατὰ σχέσιν, id est, secundum habitudinem, et ἀναλόγως, seu per analogiam quamdam. Quod explicat exemplo ducto a sanitate, quae proprie nonnisi convenit animanti; quod si de ceteris usurpatur, ac tribuitur, id non fit nisi quatenus ea ad illud principale referuntur, et ut eaedem res sunt sanitatis causae efficientes ac conservantes, vel indicia tantum vel vestigia, vel quocumque alio modo ad illud pertinent. Sic herbae dicuntur sanae, sana item ambulatio, quia salubres sunt, id est, sanitatem conciliant, quam sibi inhaerentem non habent; nonnulla item sana dicuntur, quia sanitatis dumtaxat indicium praebent. Sic, ait ipse, adoratio et cultus eo tantum sensu creaturis defertur, quatenus nempe ad Deum referuntur, cui soli proprie excellentia competit, cujus cultus testificatio est, nempe κατὰ σχέσιν, et reliquiis vel imaginibus secundo loco et per analogiam κατ' ἀναλογίαν.

8. Porro ex signis exterioribus alia communia sunt Creatori ac creaturis; qualia ex. gr. sunt prostrationes, preces, etc.; alia Deo soli reservata sunt, nec nisi ipsi soli deferri possunt; qualia sunt sacrificia, vota, jurajuranda, templorum inauguratio ac cetera ejusmodi.

9. Cum vero ex claris his notionibus solutio pendeat plurium difficultatum, quas in nos protestantes intorquent, juverit rem istam totam declarare exemplo petito ex cultu civili. In politica scilicet societate alium honorem deferimus regi, alium regni proceribus. Regi enim supremum honorem impendimus, absolutum ac propter se ipsum. En specimen cultus, ut ita loquar, *civilis latriae!* Proceres vero plus minusve honoramus juxta dignitatem, quam à principe obtinent, vel quo majorem aut minorem cum ipso propinquitatem vel relationem habent, ideoque non per se, sed propter regem proprie eos colimus. Et en cultum *duliae civilis!* Rursum principis effigiem ac simulacrum, seu etiam legatos veneramur non propter se, sed propter principem, quem referunt. En specimen cultus *civilis relativi!* Prosternimur, caput inclinamus vel genua flectimus tum coram rege tum coram aulicis, licet non parem iisdem honorem deferre intendamus; unde manifestum fit, discrimen exterioris cultus totum pendere ex intentione illum deferentis. Patet igitur diversam istiusmodi cultuum distinctionem et enumerationem ex ipsa rerum natura profluere ac in ipsa fundari. Totum siquidem quod reperitur discrimen inter cultum civilem ac religiosum, unice petitur ex diversitate objecti ac motivi.

10. Ex praejactis principiis colligimus, 1. unum idemque vocabulum diversam plane significationem prae se ferre posse, ideoque posse usurpari ad diversi generis cultum designandum. Sane in Scripturis legimus, patriarchas, prophetas aliosque religiosissimos viros *adorasse* Deum, Angelos, reges, principes, populum ipsum et coram ipsis se prostravisse, ut passim legitur de Abraham, Loth, Jacob, Josue, David, Nathan, etc. (1); quin tamen vel levis suspicio oriri possit, sanctissimos hos viros eumdem honorem Deo ac creaturis detulisse, aut se turpissimo idololatriae crimine commaculasse. Non igitur ex identitate vel vocis vel actus judicium ferri debet de identitate cultus; sed ex notione, quae voci subjicitur, et ex intentione agentis diversitas cultus repetenda est (2).

11. 2. Colligimus, recte juxta di-

(1) Cfr. Genes. XVIII, 2; XIX, 1; XXIII, 7; XXIV, 26, 48 et 52, etc. Jos. V, 15; I Reg. XXIV, 9, etc.

(2) Exinde liquet, perpetuo paralogismo uti protestantes, dum urgent adversus catholicos loca illa Scripturarum, in quibus *adoratio* uni Deo tribuenda praecipitur. Ecquis enim catholicorum ignorat, unum Deum esse adorandum? Stupidos profecto se produnt aut malae fidei, dum haec adversarii catholicis ingerunt, perinde ac si ipsi alios praeter Deum adorarent, dum sanctos honore prosequuntur. Imo ex statuto principio et illud infertur, numquam catholicos superstitionis in cultu quem sanctis tribuunt, argui posse. Si enim cultus pendet ab intentione colentis, et haec a fide, quam colens profitetur, nisi catholicus contra fidem, quam profitetur agere velit, impossibile ipsi est, ut idololatria se commaculet, cum juxta professionem suam unus Deus sit latria colendus, creaturae autem, quaecumque sint, nonnisi cultu inferioris ordinis, atque ut servi Dei, colendae seu cultu duliae adorandae sint. Quoniam vero protestantes suos libentius audiunt, praestat propterea eos domestica auctoritate convincere. Sic igitur scribit quidam ipso-

versam notionem ejusdem vocabuli posse istud vel recipi vel repudiari pro diverso sensu, quo assumitur. Hinc videmus, ab antiquis patribus voces *adorationis*, *venerationis*, etc. rejectas esse cum applicarentur honori seu cultui, qui tribuebatur creaturis, Angelis ex. gr. vel sanctis; etsi hos honore et cultu dignos haberent, ut inferius ostendemus. Ideo autem illas voces repudiabant, quia ethnici cum quibus res ipsis erat, in sensu *adorationis latreuticae* eas usurpabant; doctrinam tamen catholicam aliis vocibus exponebant.

12. 3. Colligimus, recte ad omnem ambiguitatem tollendam adscitas a recentioribus esse voces *latriae* et *duliae*, ad rite distinguendum cultum supremum ac soli Deo debitum ab inferiori, quo Angeli vel sancti honorantur. Fundamentum enim hujus distinctionis in ipsa rei natura habetur, ut ex dictis patet, atque in auctoritate s. Augustini, qui et hanc distinctionem agnovit et iisdem vocabulis expressit, dicens: *Non eo modo, quo jubemur per charitatem servire invicem, quod est* δουλεύειν, *sed eo modo, quo tantum Deo servitur, quod est graece* λατρεύειν (1), et alibi (2). Quod demum vel ipsi protestantes agnoverunt, ex quibus Gerardus Vossius sic scribit: *Eos qui distinctionem hanc* (inter latriam et duliam) *probant, minime improbamus, partim quia vitanda est viro prudenti omnis logomachia, partim quia nec inutile videtur, si cultibus toto genere differentibus qualis est Dei et creaturae, ad omonymiam*

rum theologus: « Si Loth se prosterne devant les deux anges qui le visitèrent, c'est une civilité qu'il fait à des étrangers; si Jacob se prosterne devant Esaü, c'est la déférence qu'un cadet a pour son aîné; si Salomon se prosterne devant Batzabat, c'est un fils qui honore sa mère; si Nathan se prosterne devant David, c'est un sujet qui offre ses respects à son prince. Mais si un homme se prosterne, en priant Dieu, alors c'est la créature qui adore son créateur; et, quand on a traduit les termes, que l'on a rapportés, tantôt par *adorer*, tantôt par se *prosterner*, ce n'est pas la signification du mot qui a déterminé les interprètes, c'est la nature du sujet qui les a conduits dans le choix de ces expressions. Je suppose qu'un Israélite se fût prosterné, en abordant son roi, personne ne l'aurait accusé d'idolâtrie. S'il en eût fait autant devant un idole, ce même acte corporel aurait passé pour un acte d'idolâtrie. Pourquoi? Parce qu'on aurait jugé, par son action, qu'il regardait l'idole comme une vraie divinité, et qu'il avait pour elle les sentiments que suppose l'adoration, prise dans le sens restreint que ce terme a dans notre langue. Que faut-il donc penser de ce que font les catholiques pour honorer les saints, les reliques, les bois de la croix? Ils ne nieront pas que ce culte extérieur ne ressemble en tout à ce qu'ils font pour honorer Dieu extérieurement. Mais ont-ils des saints et de la croix les mêmes idées qu'ils ont de Dieu? Je ne crois pas qu'on puisse justement les en accuser. Par-là même il me semble qu'on ne doit pas les qualifier d'idolâtres . . . Si l'on se bornait à dire qu'un culte rendu à des êtres qui vraisemblablement ignorent tout ce qu'on fait pour les honorer, que des prières adressées à des créatures qui ne sont pas en pouvoir de faire ce qu'on leur demande, est un culte déraisonnable, je n'hésiterais pas à y souscrire; mais je ne voudrais pas accuser les catholiques d'idolâtrie ». *Encyclopédie*, edit. d'Yverdun, tom. 1, art. *Adorer*.

(1) *De Trin.* lib. 1, cap. VI, alias XIII.

(2) *Cont. Faust.* lib. XX, cap. 15; *De vera relig.* cap. 55; *De Civit. Dei*, lib. VIII, cap. 25 et lib. X, cap. 7; *Confess.* lib. X, cap. 42; *Enarr. in Ps.* XCVI.

vitandam diversa imponantur nomina, partim quia neque ab ea abhorruit Augustinus (1).

13. Haec si probe teneantur, operosum non erit, plerasque disjicere difficultates, quas protestantes magno molimine congesserunt adversus catholicam doctrinam. Fucum enim per eas faciunt imperitis; cum agatur de argumento populari, hoc maxime abusi sunt ad incautos decipiendos, atque ad eos retinendos, ne dicam in turpissima haeretica secta, sed verius in apostasia a religione christiana, cujusmodi protestantismus in sua essentia spectatus reipsa est (2).

CAPUT II.

DE RELIGIOSI SANCTORUM CULTUS HONESTATE AC PIETATE.

14. Protestantes cum Vigilantio et Fausto Manichaeo a sanctis Hieronymo et Augustino confutatis causam communem agentes, in impugnando sanctorum cultu ac rejiciendo tamquam idololatrico, impio, superstitioso modum omnem excesserunt. Praeter sectas omnes, quae ex protestantismo prodierunt, atque in rejiciendo sanctorum cultu unanimes sunt, adversarios habemus incredulos, qui se philosophos nuncuparunt, inter quos eminent Beausobrius (3), Middletonius (4), Gibbonius (5), diobolares denique scriptores reliqui, qui sordes omnes verrere, declamationes, probra, loca denique communia furiosorum hominum congerere non desinunt in tanta, qua gloriantur, politiorum litterarum luce ac morum suavitate, et comitate quam affectant (6). Cum tamen nec unum argumentum novum protulerint, aut in medium proferant, quod millies a catholicis scriptoribus protritum jamdiu non fuerit, nobis non restat, nisi ipsis

(1) In *Append. ad disp.* 1 *de Incarn.* Cui inter alios potest addi Leibnitzius, qui in *Systemate theologico*, pag. 188, praeclare scribit: « Itaque censent viri pii et prudentes, dandam esse operam, ut omnibus modis discrimen infinitum atque immensum inter honorem, qui Deo debetur et qui sanctis exhibetur, quorum illum latriam, hunc duliam post Augustinum theologi vocant, non tantum inculcetur audientium ac discentium animis, sed etiam externis signis, quoad licet, ostendatur ».

(2) Dum protestantismi coryphaei, sub palliato praetextu se minime commaculandi idololatriae labe cum ecclesia Romana, id est, ecclesia catholica, ab ea se separarunt, principium statuerunt fundamentale, quod necessario extremam debebat inferre perniciem ipsi religioni christianae; sensim ac sine sensu illud principium spiritus privati seu independentiae a quavis auctoritate evolutum fuit, ac suos fructus attulit. Peperit enim anabaptistas, postea socinianos, deinde methodistas, chrestianos, antinomios, demum rationalistas, quibus Scripturae sacrae non sunt nisi mythographia, scriptores sacri totidem illusi, Christus ipse magnus deceptor et seductor. Sic enim Deus spiritu vertiginis superbos ejusmodi homines percussit, ut videntes non viderint, de abysso in abyssum misere proruentes.

(3) Beausobre, *Hist. de Manichè et du manichéisme*, tom. II, liv. IX, chap. 5, pag. 679 et suiv.

(4) Middleton *'s Letters from Rome*, etc. id est, *Middletoni Epistolae Romae datae, ostendentes exactam conformitatem inter Papismum et Paganismum, seu religionem Romae praesentis a paganis suis antecessoribus derivatam*.

(5) Gibbon, *Storia della decadenza dell' Imper. Rom.* trad. dall'ingl. cap. 15 et seqq.

(6) Inter ceteros gregarios illos disputatores, qui his annis maniacum furorem ostenderunt adversus sanctorum cultum, eminet Breckenridge americanus, in disputatione cum R.

denuo opponere, quae a tot doctissimis viris scripta sunt.

15. Cum vero ex bene constituto controversiae statu felix disputationis progressus tantum haberi possit, ideo ex praemissis dicimus, controversiam minime versari inter nos et adversarios nostros circa *modum*, quo sancti colendi sunt, sed circa *rem ipsam*; utrum scilicet possimus honeste ac pie per aliquod signum religionis testari excellentiam quam in sanctis deprehendimus ob virtutes, quas, cum in vivis agerent, ipsi exercuerunt, et amicitiam, qua cum Deo fruuntur, nec ne. Catholici affirmant, adversarii negant. In hoc propterea sensu sequentem adstruimus propositionem.

PROPOSITIO

Pius et omni idololatriae labe immunis est religiosus sanctorum cultus

16. Omni prorsus idololatriae culpa vacare, imo potius pium esse cultum, quem catholici sanctis tribuunt, constat ex sacris Litteris, quae illum commendant, ex vetustissima ecclesiae traditione et consuetudine, nec non ex ipsa intima rei natura, atque adversariorum agendi ratione.

17. Inprimis enim Scripturae patriarchas, judices, prophetas exhibent religioso cultu Angelos et sanctos viros prosequentes. Omissis enim iis, quae Abraham et Loth ac Jacob fecisse referuntur, Balaam Num. XXII, 31, ut *vidit Angelum stantem . . . . adoravit eum pronus in terram;* Josue, cum audivisset virum, quem viderat stantem evaginato gladio, esse principem exercitus Domini, *cecidit pronus in terram et adorans ait*, etc. Jos. V, 15. Honorem seu cultum istum religiosum esse seu in ordine ad Deum, minime vero solum *civilem*, exinde constat, quod patriarchae optime noverint, eos civiliter non conversari, sed Dei nuncios esse, atque cum Deo amicitia conjungi (1). Idem dicatur de adoratione illa quam Eliseo tribuit mulier Sunamitis, postquam propheta excitavit filium ejus a mortuis, IV Reg. IV, 37. Vix enim viderat Sunamitis ingens miraculum ab Eliseo patratum, statim corruit ad pedes ejus, eumque adoravit; itaque non simplicem hominem, sed qualitatem *viri sancti* et thaumaturgi in illo mulier venerata est. Cum igitur objectum ac motivum istius adorationis religiosum fuerit, merito concludimus, Sunamitidem non civilem ut protestantes nonnulli autumant, sed religiosum prorsus cultum Eliseo praestitisse.

18. Num vero aliquando actus istos improbarunt Scripturae? Haudquaquam sane. Praeterquam quod enim viros istos (si Balaam excipias, qui tamen juxta receptam consuetudinem se gessit) pietate ac religione spectatissimos nobis semper exhibent, Deum ipsum ejusmodi cultum expresse aliquando praecipien-

Hughes. Cfr. *Controversy between Rev. Messrs Hughes and Breckenridge* etc. seu *Controversia inter DD. Hughes et Breckenridge circa quaestionem: Estne religio protestantium vera Christi religio?* Philad. 1833, edit. stereotyp. controv. n. IV, pag. 35 et alibi.

(1) Cf. in *Criticis sacris* quae Grotius scribit in cap. XIX, v. 10 Apocalyps. de Hebraeorum more Angelos adorandi. Ex his patet, non deesse nobis, ut supponere videtur Hengstenberg, fundamenta biblica de veneratione et cultu Angelorum.

tem inducunt. Sic, Exodi XXIII, 20, Deus alloquitur populum suum: *Ecce, ego mittam Angelum meum, qui praecedat te . . . observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes . . . et est nomen meum in illo;* sic, Jos. loc. cit. Princeps exercitus Domini, non solum approbavit sibi exhibitam adorationem, sed praeterea Josue praecepit: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, sanctus est.* Eaedem praeterea Scripturae Deum exhibent vindicem contumeliae servis suis illatae, etenim ad Eliae nutum ignis e coelo descendit ad binos illos principes quinquagenarios absumendos, qui ad prophetam non ea, qua par erat, reverentia accesserunt; quare tertius quinquagenarius, utpote timens Deum, *curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum*, IV Reg. I, 13; ita et pueri Bethel Eliseum irridentes ab ursis lacerati sunt, ibid. II, 23 et seqq. Quibus aperte Deus ostendit, qua ratione velit honore affici servos suos. Itaque, nisi dicamus, viros pietate insignes idololatriae labe se commaculasse, dum cultum Angelis et sanctis tribuerunt, aut Deum jussis ac prodigiis idololatriae crimen honestare voluisse, fatendum est, pium sanctumque esse cultum istum, atque ab omni prorsus superstitionis ac idololatriae noxa immunem.

19. Sanctorum itidem cultum ab ipsis rei christianae primordiis in ecclesia obtinuisse, non unus vel alter testis probat, sed facta ineluctabilia ac certissima documenta. Etenim istius cultus monumentum sunt 1. festi dies in sanctorum martyrum honorem ac memoriam instituti, de quibus mentio fit, *Constitut. apostolicar.* lib. VIII, cap. XXXIII, ubi recensentur dies, quibus *feriandum erat famulis;* enumerantur autem inter ceteros dies festi sanctorum: *In diebus vacent Apostolorum*, inquiunt, ... *in die Stephani protomartyris ferientur atque in diebus ceterorum sanctorum martyrum, qui Christum vitae suae anteposuerunt* (1). Istius pariter consuetudinis nempe agendi festos dies sanctorum martyrum, meminit ecclesia Smyrnensis, apud Eusebium (2), scribens ad ecclesias Ponti: *Quo etiam in loco nobis convenientibus concedet Deus natalem ejus* (Polycarpi) *martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare* (3); ejusdem festi mentio fit in actis s. Pionii (4). 2. Cultus sanctorum per universam ecclesiam recepti a primis seculis

(1) Τὰς ἡμέρας τῶν ἀποστόλων ἀργείτωσαν · . . . τὴν ἡμέραν Στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος ἀργείτωσαν, καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων μαρτύρων τῶν προτιμησάντων Χριστὸν τῆς ἑαυτῶν ζωῆς. Apud Coteler. tom. I, pag. 415. Porro Constitutiones apostolicae prodierunt seculo ecclesiae III, quas magni faciunt viri eruditi Albaspinaeus, De Marca, Petavius, etc.

(2) *Hist. Eccl.* Lib. IV, cap. 15, edit. Valesii, qui refert integram hanc epistolam a Jac. Usserio primum editam. Cum vero s. Polycarpus martyrio functus sit sub Antonino Pio, hoc documentum spectat ad II ecclesiae seculum, cum vix ab ejus morte conscripta sit. Cfr. P. Aloixius S. J. *Illustrium Ecclesiae orientalis scriptorum vitae et documenta*, Duaci 1633, tom. I, not. ad vitam s. Polycarpi, cap. 13.

(3) Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυριοῦ αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον.

(4) Apud Ruinartium, *Acta martyr. sincera*, Amstel. 1713, pag. 140, ubi n. II legitur: « Secundo itaque die sexti mensis, qui dies est IV idus Martias, die sabbati majore, natale Polycarpi martyris celebrantes genuinum, Pionium . . . vis persecutionis invenit. » Passus est autem s. Pionius anno Christi 250.

monumenta indubia sunt sacrificia, quae in martyrum solemniis in ipsorum honorem Deo offerebantur; de quibus praeter s. Joan. Chrysostomum et Augustinum (1) testes sunt locupletissimi Tertullianus et Cyprianus. Tertullianus enim, lib. *De corona*, cap. III; *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus* (2). S. vero Cyprianus: *Sacrificia*, scribit, *pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus* (3). 3. Ejusdem cultus documenta pariter suppeditant altaria ac templa seu sacella, quae *confessiones* aut *martyria* nuncupabantur, in sanctorum martyrum honorem ac memoriam erecta (4). 4. Documenta sunt publica et vulgatissima sanctorum invocatio, et honor sanctorum reliquiis exhibitus, de quibus paulo infra ex instituto agemus. Non igitur singulares tantummodo testes in medium proferimus ad ostendendum, ubique receptum fuisse tribus prioribus ecclesiae seculis sanctorum cultum, sed monumenta publica et vulgatissima, quae extenuari ab adversariis nulla solida ratione possunt. Si quem tamen desiderium tangit consulendi singulatim vetustiorum patrum testimonia, eum remittimus ad Bellarminum (5) et Petavium (6). Concludendum interea est, vel nullum omnino in sanctorum cultu superstitionis atque idololatriae vestigium reperiri, vel superstitionem et idololatriam in ecclesia una cum ecclesia ipsa coepisse.

20. Verum ex ipsis protestantium principiis ita rem nostram conficimus: admittunt ipsi cultum civilem ad civiles seu politicas ac naturales dotes et virtutes honorandas; ergo jure inferimus, admittendum pariter esse cultum reli-

(1) S. Joan. Chrysost. *Hom.* XXI *in Act. Apost.* n. 4. opp. edit. Maur. tom. IX; s. August. *Serm.* CCLXXIII, cap. 12, opp. edit. Maur. tom. V, et alibi passim.

(2) Cfr. ib. adnot. Rigaltii, qui observat per natalitia intelligi a Tertull. solemnitates fieri solitas in honorem martyrum, quo scilicet die mundo mortui, coelo nati sunt. Cfr. etiam La-Cerda S. J. in nota ad hunc loc. in qua erudite germanum Tertulliani sensum defendit adversus Junium.

(3) *Epist.* XXXIV, edit. Maur. Vid. in hunc loc. adnot. 13 Pamelii. Illustre item monumentum suppeditat istius consuetudinis synodus Laodicena, quae can. LI. *Non oportet*, inquit, *in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in sabbato et dominica tantum memoriam fieri; Collect. Conc.* Labb. tom. I, col. 1520. Cfr. ibid. notae Binii. Aliud monumentum exhibet concil. Gangrense, can. XX. Trombellius, can. reg. in op. *De cultu Sanctorum*, Bonon. 1740, vol. II, diss. 6, cap. 12 et seqq. pluribus ea prosequitur quae in celebratione festorum ss. martyrum fieri consueverant.

(4) Cfr. Eusebius, *Histor. eccl.* lib. II, cap. 25, qui refert fragmentum Caji presbyteri ex libro, quem is scripserat adversus Proculum, patronum sectae Cataphrygum, ubi sic haereticum hominem perstringit: Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐαν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν. « Ego vero Apostolorum trophaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaea eorum, qui ecclesiam illam fundaverunt ». Floruit autem Cajus tempore Zephyrini Papae.

(5) *De beatif. et canon. SS.* lib. I, cap. 13.

(6) *De Incarn.* lib. XIV, cap 10, et seqq. Cfr. etiam Trombellius, diss. cit. cap. 1 et seqq.

giosum ad supernaturales virtutes ac dotes sanctorum proprias honore debito prosequendas. Imo quemadmodum honor ille, qui aulae proceribus exhibetur, nedum principis honori ac reverentiae ei debitae quidpiam detrahit, illam potius statuit atque confirmat, sic pariter cultus, quem sanctis tribuimus nedum quidpiam detrahit supremo honori et cultui, qui Deo debetur, eum potius perficit ac mirifice confirmat; mancus enim quodammodo esset honor ille, quo Deum prosequimur, si colere dedignaremur amicos ejus una cum ipso in coelesti aula regnantes; eo vel magis, quod in dominum ultimo redundet honor servorum, qui quidem honor ideo religiosus nuncupatur, quia Dei intuitu et causa sanctis defertur.

21. Haec demum viderunt cordatiores inter protestantes ipsos. Ceteris enim omissis, in medium proferam verba Leibnitzii, qui scribere non dubitavit: *Generaliter tenendum... neque cultum sanctorum aut reliquiarum probari, nisi quatenus ad Deum refertur, nullumque religionis actum esse debere, qui in honorem unius omnipotentis Dei non resolvatur ac terminetur. Itaque cum sancti honorantur, hoc ita intelligendum est, quemadmodum in Scriptura dicitur: honorificati sunt amici tui, Deus, et laudate Dominum in sanctis ejus* (1); et iterum: *certum est, secundo christianae ecclesiae seculo jam natalitia martyrum celebrata et apud monumenta eorum sacros conventus fuisse institutos* (2). Ex quibus recte infert: *Verendum autem est, ne, qui ita sentiunt* (idololatriam esse cultum sanctorum), *viam aperiant ad omnem rem christianam convellendam; nam, si jam ab illis temporibus horrendi errores in ecclesia praevaluerunt, arianorum et samosatenorum causa mirifice juvatur, qui originem erroris ab illis ipsis temporibus computant, atque obscure defendunt Trinitatis mysterium et idololatriam simul invaluisse.... judicandum cuique relinquo, quo res sit evasura. Quinimo procedet ulterius suspicio audacium ingeniorum; mirabuntur enim Christum promissis tam largum erga suam ecclesiam, tantum hosti generis humani indulsisse, ut, una idololatria profligata, succederet alia, et ex sexdecim seculis vix unum aut duo sint, in quibus vera fides utcumque inter christianos sit conservata; cum judaicam ac mahumeticam religionem videamus tot seculis satis puram secundum fundatorum instituta perstitisse. Quo igitur loco manebit consilium Gamalielis, qui de christiana religione et providentiae voluntate ex eventu judicandum dictitabat; aut quid de ipso christianismo judicabitur, si lapidem hunc lydium parum adeo sustineret* (3)? Quibus verbis ingenuus hic protestans non modo catholicam veritatem adstruxit, sed praecipua argumenta complexus est, quibus eadem fulcitur.

DIFFICULTATES

22. I. Obj. 1. Cultus sanctorum adversatur primo decalogi praecepto, Deut. VI, 13: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*. Quod Christus renovat, Matth. IV, 10, illis verbis: *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies*. 2. Hoc autem praecepto quicumque cultus et honor creaturis adimitur et uni Deo reservatur, ut illud exponit Apostolus, I Timoth., I, 17, dicens: *Soli Deo honor et gloria*. 3.

(1) *System. theol.* ab Emery edit. Paris 1819, pag. 160.

(2) Ibid. pag. 170.

(3) Ibid. pag. 172 et seqq.

Sane Deus profitetur apud Isaïam XLII, 8, nolle se gloriam suam alteri communicare illis verbis: *Gloriam meam alteri non dabo*. Ergo utpote superstitiosus et verbo Dei contrarius quicumque sanctorum cultus rejici debet.

23. Resp. *N. A.* Ad duas vero priores probat. *Dist.* Et adductis verbis uni Deo reservatur cultus seu honor supremus, latriae et proprie dictus *C.* inferioris ordinis, duliae ac improprie dictus *N.* Ut enim patet ex scopo et contextu, in objectis locis sermo est de solo supremo cultu ac proprie dicta servitute; adjicitur siquidem loc. cit. Deut.: *Et per nomen illius jurabis*... et clarius adhuc Deut. V, 7, ubi idem praeceptum traditur: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*. Cum vero cultus, quem nos sanctis tribuimus, ejusmodi non sit, nec eis cultum deferamus nisi in ordine ad Deum, atque intuitu ipsius Dei, liquet, nihil commune habere praeceptum istud cum sanctorum cultu. Ut aliquid proficerent adversarii, ostendere deberent, vel cultum, quem sanctis catholici tribuunt, esse supremum, vel supremo huic Dei cultui cultu illo sanctorum quidpiam detrahi; quod cum efficere nequeant, perperam catholicos damnant velut idololatriae reos, et primi decalogi praecepti infractores. Apposite Catechismus Rom.: *Quis adeo demens est*, inquit, *qui edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuo putet, nolle regem, suis ut magistratibus honor deferatur* (1)?

24. Ad 2, Idem responsum esto. Si enim Apostolus quemcumque honorem creaturis adimere voluisset cit. loc., alibi non scripsisset: *Honore invicem praevenientes*, Rom. XII, 10; *Presbyteri duplici honore digni sunt*, I Timoth. V, 17, et alibi passim (2). Vidimus praeterea, patriarchas aliosque viros in V. L. conspicuos prostravisse se coram Angelis, regibus ac viris sanctis, neque propterea eos in reprehensionem incurrisse.

25. Ad 3. *D.* Alteri, id est *sculptilibus* seu falsis diis, ut ibidem subditur, *C.* indiscriminatim, *subdist.* gloriam, quae solius Dei propria sit, *C.* quae convenire possit creaturis juxta dicta *N.*

26. Inst. Atqui omnis reipsa et cujuscumque ordinis cultus, qui Angelis vel sanctis tribuatur, a Scripturis prohibetur. Etenim 1. Apostolus Coloss. II, 18, scribit: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione Angelorum, quae non vidit, ambulans*. Voluit igitur ne ulla ratione Angeli colerentur. 2. Quare, cum Joannes Angelum sibi apparentem adorare vellet, talem honorem Angelus recusavit dicens: *Vide ne feceris, conservus tuus sum*..... *Deum adora*. Apocalyps. XIX, 10. Eadem ratione se gessit apostolus Petrus cum Centurione, Act. X, 25 et 26. Ergo.

27. Resp. *N. min.* Ad 1. prob. *D.* Cultu falso et superstitioso, *Tr.* rite intellecto *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, cum nondum inter expositores exploratum sit, quid illis verbis significare Apostolus intenderit. Nam alii contendunt iis perstringi superstitiosum Angelorum cultum tum bonorum tum malorum (3). Alii volunt, solum excludi cultum superstitiosum et

(1) P. III, cap. 2, n. 8.

(2) Cfr. Bernard. a Piconio, qui verba Apostoli de gratiarum actione exponit, ob misericordiam sibi exhibitam et aliis in se ostensam. Illud vero *soli* Deo exponit, qui unus et solus est. Ex quo patet, nihil haec verba commune habere cum scopo a protestantibus intento de exclusione sanctorum a gloria et honore.

(3) Cfr. Trombellius, op. cit. diss. IV, cap. 8, ubi diversas interpretationes recenset et expendit.

idololatricum Angelorum bonorum, qui censebantur mediatores inter Deum et homines juxta placita platonicorum, et quidem Christo excluso, quod indicare videntur verba immediate sequentia, v. 19: *et non tenens caput.* Alii arbitrantur, iis argui christianos judaïzantes, nimis scilicet mosaicae legi addictos et legalibus observantiis, praetexentes legem per ministerium Angelorum datam esse. Favere huic sententiae videtur contextus; dixerat enim paulo ante Apostolus, *Nemo vos judicet in cibo aut in potu*, etc. (v. 16.). Alii demum existimant, carpere Apostolum *studium singularis sanctitatis, nempe pharisaicae, quae crebris jejuniis et exquisitis exercitationibus aliis cernebatur;* quae est expositio ipsorum biblicorum protestantium (1). Quaecumque demum admittatur expositio, patet nil commune habere Paulinum textum cum legitimo Angelorum cultu, qualis ab ecclesia catholica admittitur.

28. Ad 2, *D.* Adoratione improprie dicta, quae in humilis obsequii signo consisteret, *C.* proprie dicta seu latriae *N.* Alioquin damnare deberemus Joannem apostolum et evangelistam tamquam idololatriae reum, qui non solum in loco objecto, sed iterum, ibid. XXII, 9, cecidit ad Angeli pedes, ut adoraret eum, et rursum prohibitus est. Itaque merito Grotius ad hunc loc.: *Non dicit* (Angelus) προσκύνησιν *(adorationem) soli Deo licite exhiberi; repugnat enim tota vetus historia .... Sed benigne agit, ut si quis collega collegae dicat: serva hunc honorem regi* (2). Id ipsum dicatur de Petro recusante obsequium Cornelii centurionis, qua agendi ratione B. Petrus Cornelium monuit, ut gratiam omnem Deo acceptam referret, a quo omne bonum descendit; seque professus est non esse nisi Dei ministrum, qui eum ad salutem elegerat.

29. II. Obj. ex traditione. 1. Laodicena synodus can. XXXV, districte prohibet; *Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire et Angelos nominare, vel congregationes facere; si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare anathema sit.* 2. Damnant eumdem cultum Origenes (3) et Theodoretus (4), quibus assentiuntur patres reliqui, dum 3. monent *diligi* quidem et *honorari* ab ecclesia sanctos, non autem *coli*, ut patet ex epist. ecclesiae Smyrnensis, ex Hieronymo (5) et Augustino (6), 4. dum palam iterum pro-

(1) Ita quidem Carolus Rosenmüller, qui in *Schol. in N. T.* in hunc loc. scribit: Θρησκεία τῶν ἀγγέλων *est studium singularis sanctitatis; nam et alibi* (*Act.* XXVI, 5) *Paulus* τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς Ἰουδαϊκῆς θρησκείας *non cultum dicit, sed studium singularis sanctitatis pharisaicae, quae crebris jejuniis et exquisitis exercitationibus aliis cernebatur, et v. 23 hujus capitis Paulus pro* θρησκεία τῶν ἀγγέλων *substituit* ἐθελοθρησκείαν, *quam dubitari non potest fuisse in fugiendis cibis, quos lex mosaica interdixisset, et similibus institutis.* Quare rejicit, seu retractat suam interpretationem, quae magis olim ei placuerat, de cultu Angelorum (Cfr. edit. 5, 1806). Ex his plane concidit praecipuum argumentum, quo tantopere protestantes usi sunt ad impugnandum cultum Angelorum et sanctorum.

(2) Cfr. *Crit. sac.* tom. IX.

(3) *Cont. Celsum*, lib. V, n. 8 et seqq. et lib. VII, n. 62 et seqq. edit. Maur.

(4) *Comment. in Epist. ad Coloss.*

(5) *Epist.* CIX (alias LIII), n. 1; tum *Cont. Vigilant.* n. 5.

(6) *Serm.* CCLXXIII (alias CI), necnon in lib. *De vera relig.* cap. 55, alias n. 108 et 110, tom. I opp.

fitentur, a se sanctos minime *coli propter religionem*, sed tantum *amari* et *honorari propter imitationem* ut idem loquitur s. Augustinus (1); 5. dum docent, illud honoris genus ad sanctos pertinere, quo viventes probitate spectatos amamus ut rursum loquitur Augustinus (2) et cum ipso Cyrillus Alex. (3); 6. dum affirmant, se nullum sanctis deferre cultum, qui in iis sistat, sed in eis Deum tantummodo honorare (4). 7. Nec aliter res esse poterat; distinctionem enim inter cultum supremum et inferiorem, seu *latriae* et *duliae*, quam recentiores scholastici invexere, penitus veteres ignorarunt. Nisi igitur patres idololatriae insimulemus, fatendum est, nullum cultum proprie dictum sanctis eos detulisse.

30. Resp. Ad 1, *D.* Synodus Laodicena cultum immodicum et superstitiosum prohibuit, *C.* cultum legitimum *N.* Talem porro fuisse scopum concilii Laodiceni in cit. canone ostendunt argumenta tum interna tum externa. *Interna* quidem, cujusmodi sunt, 1. quae ex ipsis verbis canonis eruuntur, ex quibus patet, perstringi eos, qui *relicta Dei ecclesia, congregationes facere, occultae idololatriae vacare*, seu in coetibus clandestinis se colligere audebant; 2. quod ex can. LI ejusdem synodi habetur, in quo hujus concilii patres admittunt legitimum cultum martyrum, ac tempus determinant, quo martyrum festivitatibus vacare fideles possunt. Ita enim se habet: *Quod non oportet in quadragesima martyrum natales peragere, sed sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et dominicis* (5). Porro eadem est ratio cultus Angelorum et sanctorum. Argumenta *externa* suppeditat historia, ex qua novimus viguisse tunc temporis in illa provincia superstitiosam sectam, quae juxta platonica principia Angelis ut divinitatis mediatoribus cultum tribuebat. Id testatur Theodoretus, qui in *Commentariis in Epist. ad Coloss.* explanans Apostoli verba: *Nemo vos seducat*, etc. haec scribit: *Et in hodiernam usque diem licet videre apud illos et eorum finitimos oratoria s. Michaëlis. Illi ergo hoc consulebant, atque humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri; et oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare* (6). Ex quibus tum germanus sensus objecti canonis Laodiceni liquet, tum mala eorum protestantium fides, qui absolute ab ea synodo damnatum Angelorum cultum esse affirmant (7).

(1) *De vera relig.* n. 108.

(2) *Cont. Faust.* lib. XX, cap. 21, tom. VIII opp.

(3) *Cont. Julian.* lib. VI, tom. X.

(4) Theodoret. *Serm.* VIII, *De curandis graec. affect.* etc.

(5) Cfr. *Acta Concil.* Harduini, tom. I, col. 789.

(6) Καὶ μέχρι δὲ τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ' ἐκείνοις καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων ἐστὶν ἰδεῖν· τοῦτο τοίνυν συνεβούλευον ἐκεῖνοι γίνεσθαι, ταπεινοφροσύνῃ δῆθεν κεχρημένοι, καὶ λέγοντες ὡς ἀόρατος ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἀνεφικτός τε καὶ ἀκατάληπτος, καὶ προσήκει διὰ τῶν ἀγγέλων τὴν θείαν εὐμένειαν πραγματεύεσθαι. Ad Coloss. II, 18, tom. III op. edit. Sirmondi, pag. 355.

(7) Sic enim inter ceteros Wegscheider fidenter scribit, § 102, n. *f: Postquam assentientibus pluribus patribus a synodo Laodicensi, anno 363 habita, adoratio Angelorum improbata erat, Ambrosium eam denuo commendasse videtur* (op. *tom.* I, *pag.* 146, De viduis): Angeli sunt obsecrandi pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt. Τιμητικὴν προσκύνησιν, *honorificam venerationem, non* λατρείαν *Con*

31. Ad 2, *N.* Etenim Origenes loc. cit. refellit Celsum calumniantem christianos ea ferme ratione, qua nunc protestantes catholicos lacessunt, quasi ipsi Angelos uti deos haberent et colerent. En ipsius verba: *Nusquam tamen ibi* (in Scripturis) *praeceptum reperias, ut, qui Deo debetur cultus, eodem prosequamur eos* (Angelos) *quorum nobis ministrandi Deique dona afferendi negotium est* (1). Ceterum Origenes, ibid. lib. VIII, n. 13, rite intellectum Angelorum cultum aperte admittit (2). Quare Keilius et Origenem recenset inter patres a suis protestantibus accusatos hujus *erroris* admissi nempe cultus Angelorum; neque aliam evadendi viam invenit, nisi tamquam spurium traducere locum, qui ipsi adversatur. Quod quidem mirum est in tanta critices luce (3).

32. Sed neque Theodoretus adversatur cultui Angelorum, cum non perstringat nisi eos, qui Angelos habebant velut praecipuos rerum nostrarum curatores, delatoresque nostrarum precum, quasi Deus vel ignoraret preces nostras, vel obsequia nostra ad se immediate deferri nollet, ut ex adductis ejus verbis manifestum fit. Id ipsum dicatur de patribus reliquis, quorum testimonia expendit Petavius (4).

33. Ad 3. *D.* Non autem *coli* sensu ethnicorum, adversús quos patres agebant, *C.* sensu catholico *N.* Ut enim monuimus, nondum determinata *technologia* seu vocabulorum vi, videntur in-

Nicaen. II, *anno* 787 *habitum*, *Angelis praestandam esse decrevit; similiter Conc. Trid. sess.* XXV; *Catech. Rom. p.* 3, *cap.* 2, § 9 *et seqq. Petav. Dogm. theol.* II, 69 *et seqq.* Duo hic habemus, 1. impudentiam scilicet hujus rationalistae, affirmantis a Laodicena synodo improbatam esse Angelorum adorationem eo sensu, quo eam denuo commendavit s. Ambrosius; 2. ejus confessionem, quod tam synodus Nic. II quam conc. Trid., Catechismus Rom. ac Petavius nonnisi inferioris ordinis cultum ac venerationem Angelis tribuendam tradiderint.

(1) *Cont. Cels.* lib. V, num. 4. Ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας, καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ. Tom. I, pag. 579, edit. Maur.

(2) En ejus verba, quibus respondet propositae sibi a Celso difficultati: « Ex eo, quod cum Deo Filium ejus colamus, consequens esse *(putat Celsus)*, ut non Deum solum, sed etiam ejus ministros colendos esse sentiamus. Si intellexisset, *inquit*, quinam sint post Dei Unigenitum vere ministri Dei, ut Gabriel, Michael et alii Angeli atque Archangeli, et eos colendos esse dixisset, fortasse, repurgatis cum significatione illius vocis *colere* tum ejus qui colit officiis, hoc loco pro rei momento attulissem ea, quae de hoc argumento assequi intellectu potui. Ἴσως ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοῦ σημαινόμενον ἐκκαθήραντες, καὶ τῶν τοῦ θεραπεύοντος πράξεων, εἴπομεν ἂν εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικούτων διαλεγομενοι, ἅπερ ἐχομεν περὶ αὐτῶν νοῆσαι.

(3) Car. Aug. Theoph. Keilii *Opuscula academica*, edita a Joan. David Goldhorn, Lips. 1821, sectione poster. cap. III, sect. 2, *De Angelis bonis eorumque cultu*. Cfr. pag. 550 et seqq. Demum pag. 560, cum retulisset Origenis testimonium ex *Homil.* I *in Ezech.*: *Veni Angele*, etc. quacumque se vertit, ut ejus vim eludat, confugit et ipse ad rhetoricam apostrophen, postea vero concludit: *Ecquis tandem sibi persuadeat, haec ab Origene scribi potuisse?* Tanta est vis anticipatorum judiciorum et ingenii sectae!

(4) *De Angelis*, lib. II, capp. 9 et 10, ubi etiam egregie ostendit, Theodoretum cum ceteris patribus consentire circa Angelorum cultum et invocationem. Cfr. etiam *De Incarn.* lib. XIV, cap. 14 et seqq.

terdum veteres omnem cultum Angelorum et sanctorum rejicere, dum negant *colendos* eos esse, *adorandos*, *venerandos*, etc. At his vocibus utebantur ad excludendos Angelos et sanctos a supremo latriae cultu, qui profecto uni Deo debetur. His enim vocibus utebantur ethnici, qui nullam inter cultum supremum et inferiorem distinctionem agnoscebant. Aliis autem verbis catholicam de sanctorum cultu doctrinam designabant, dum profitebantur se eos *diligere*, *honorare*, *charitate* et *dilectione* cum iis conjungi, aliaque ejusmodi. Factis demum publicis, festorum scilicet celebratione in martyrum honorem, monumentorum erectione, invocatione, aliisque superius commemoratis, quid sentirent, satis ostendebant. Hac igitur aequivocatione sublata, corruunt, quae magna diligentia et vano apparatu adversus nos collegerunt protestantes; inter quos demum in scenam prodiit Keilius, qui non veretur tritissima testimonia congerere ut serio ostendat, *fuisse constantem ecclesiae antiquioris doctrinam, neminem praeter unum Deum religioso cultu esse prosequendum* (1).

34. Ad 4. *D.* Id est, non propter solam religionem, sed etiam, imo potissimum propter imitationem, *C.* propter solam imitationem *N.* Constituto enim principio de honore sanctis debito, ut a concionatoribus fit, inculcabant patres, potiorem obsequii nostri partem collocandam esse in imitatione virtutum, quas sancti exercuerunt, *ut imitari non pigeat, quos celebrare delectat*. Quae Augustini verba sunt, et cultum supponunt, non autem excludunt, cum loquatur de *solemnitatibus* martyrum.

35. Ad 5. Concedimus, sanctos mortuos eodem cultus genere honorandos, quo sanctos viventes colimus, *sed illos* (mortuos) *tanto devotius, quanto securius post certamina superata*, ut idem loquitur Augustinus (2). Quod si diverso ritu et apparatu sanctos viventes honoramus, ideo est, quia ita exposcit sanctorum humilitas, et quia plerumque vera eorum sanctitas nos latet (3).

36. Ad 6. *D.* Profitentur se Deum in

(1) Loc. cit. pag. 550: ubi plura testimonia congerit a Bellarmino, Petavio, Nat. Alex., Trombellio aliisque jamdiu disjecta; attamen, perinde ac si ineluctabile argumentum adversus catholicam doctrinam opponeret, triumphum canit. Ceterum vix ullum ex tot, quae affert, testimoniis graecorum ac latinorum patrum est, quod scopum attingat, quem sibi auctor proposuit. Non aliud siquidem omnia illa testimonia evincunt, nisi quod catholici omnes ultro profitentur, nulli creaturae deferendos esse honores divinos. Omitto malam ejusdem fidem in diversis auctoritatibus proferendis. Atque ita quidem protestantes seculi XIX catholicam doctrinam impugnant!

(2) *Contra Faustum Manich.* lib. XX, cap. 21 edit. Maur. Sed et hic praestat animadvertere s. Augustinum, quem contendunt adversarii detraxisse sanctorum cultui eo quod passim scribat, sanctos nos tantum amare ac dilectione prosequi, aut non in alio quam in dilectione et amore consistere cultum, quem eis deferimus, praestat, inquam, animadvertere, eadem prorsus ratione eum esse locutum, cum ageret de cultu ipsius Dei: *Quid autem*, ait, *est pietas nisi Dei cultus? et unde ille colitur nisi caritate? (Epist.* CLXVII, n. 11); et alibi: *porro*, inquit, *pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando (Epist.* CXL, n. 45). Quis autem propterea inde inferat, s. Doctorem cultum proprie dictum Deo denegasse?

(3) Iisdem interdum honoribus sanctos viventes coli, quibus veneramur sanctos vita functos, non uno exemplo ostendi posset. Satis sit illud adducere, quod Theodoretus, *Hist. eccles.* lib. V, cap. 34, edit. Vales. refert de s. Joan. Chrysostomo ab exilio revocato

sanctis colere et laudare, utpote auctorem donorum omnium, quibus sancti ditati sunt, *C.* ad excludendum honorem sanctis debitum *N.* Honorem servorum in dominum demum terminare et nos profitemur; verum hoc non impedit, quominus sanctos in se colamus, quos ita Deus ipse honorificare dignatus est. Cum enim honor et cultus, ut ex dictis patet, sit testificatio illius excellentiae, quam in aliquo deprehendimus, hoc ipso patet, sanctos dignos cultu esse, qui propria excellentia donantur.

37. Ad 7. *D.* Patres non usurparunt ante s. Augustinum voces *latriae* et *duliae* ad duplex cultus genus distinguendum, *Tr.* vel *C.* ignorarunt cultus ipsius distinctionem *N.* Etenim ex una parte certum est, patres Angelos et sanctos coluisse, ut omnia documenta evincunt superius adducta; ex altera autem pariter est manifestum, patres cultum supremum Angelis aut sanctis minime detulisse; alioquin turpissimo idololatriae crimine se commaculassent, quod vel suspicari de tot sanctissimis viris nefas est. Quare sequitur necessario, patres intrinsecam ejusmodi cultus distinctionem agnovisse, etsi aliis vocibus eam designaverint. Sane Origenes declarat, *repurgatis cum significatione illius vocis colere, tum ejus, qui colit, officiis*, posse Angelis cultum tribui (1). Demum s. Augustinus, aliique catholicae doctrinae defensores, non solum discrimen attulerunt ac certa discriminis argumenta inter utrumque cultum, sed voces ipsas *latriae* ac *duliae* usurparunt. Hac ratione retuderunt ethnicorum et manichaeorum accusationes, quibus illi catholicos impetebant, quod rejectis numinibus suos martyres substituissent (2).

CAPUT III.

DE SANCTORUM INVOCATIONE

38. Controversia, quae agitatur inter catholicos et protestantes circa sanctorum invocationem, non respicit hujus invocationis necessitatem; omnes enim catholici fatentur, ad salutem absolute necessariam non esse sanctorum invocationem (3). In eo igitur totus versatur controversiae cardo, an sanctorum invocatio *licita* ac *utilis* sit, uti declarat concilium Tridentinum adversus heterodoxos, qui in ecclesiam insurrexerunt, perinde ac si ipsa rem superstitiosam,

cui *universi cereas faces praeferentes*, obviam venerunt τὰς ἐκ κηροῦ λαμπάδας προσάπτοντες.

(1) Recolatur textus superius adductus.

(2) Cf. S. Hieron. *Contra Vigilantium*, n. 5, ubi stultum hunc protestantium praeformatorem interrogat: *Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Tum s. August. qui *De Civ. Dei*, lib. VIII, cap. 27, sic loquitur: « Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt . . . Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane? etc. » Eadem fere repetit, *Adv. Faustum*, lib. XX, cap. 21, et *Epist.* XLIV.

(3) In se scilicet spectatam. Fieri enim potest, ut quis teneatur ex ecclesiae praecepto sanctos invocare, ut ii qui sacra faciunt, et qui ad horas canonicas persolvendas adstricti sunt, etc.

Deo et Christo injuriosam, imo et idololatricam permitteret et approbaret.

PROPOSITIO I.

Ex sacris Litteris in primis evincitur, licitam esse et utilem sanctorum invocationem

39. Ad fidem catholicam spectat haec veritas, quam Tridentina synodus, sess. XXV, declarat, dum praecipit episcopis, ut fideles doceant, *Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere*. Ex quibus verbis discimus. 1. invocationem sanctorum bonam ac utilem esse: 2. opem et beneficia non a sanctis, sed a Deo ad eorum intercessionem expectanda esse: 3. orationes et intercessionem sanctorum inniti meritis Christi Jesu, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ac propterea solus Mediator proprie dictus, qui talis nempe sit tum natura tum officio, ac nitatur propriis meritis. Sancti enim improprie tantum ac secundarii mediatores sunt, qui nihil nisi per Christi merita nobis comparare atque obtinere possunt. 4. Demum discimus, invocationem sanctorum habendam esse ad instar adminiculi cujusdam, quo facilius impetremus ipsorum intercessione opem, quam a Deo per Christi merita efflagitamus.

40. Hoc autem sensu licitam, bonam ac utilem esse sanctorum invocationem sacrae Litterae in primis ostendunt, quae duplex nobis suppeditant argumentum ineluctabile ad causam catholicam tuendam, alterum in invocatione viventium, alterum in intercessione Angelorum et sanctorum qui jam beatifica Dei visione fruuntur.

41. Passim enim legimus, viventes se commendasse orationibus viventium; ergo possumus nos orationibus sanctorum, qui cum Deo et Christo regnant, commendare, seu pia ac licita est sanctorum invocatio. Antecedens vix probatione indiget; Apostolus enim in omnibus fere epistolis fidelium precibus se commendat; Rom. XV, 30: *Obsecro*, scribit, *vos, fratres, per D. N. J. C. et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, Ephes. VI, 18: *Vigilantes*, inquit, *in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis;* I Thess. V, 25: *Fratres, orate pro nobis;* et alibi passim. Consequentia vero ex se patet; nulla enim ratio assignari potest, quare bonum, licitum ac utile sit ad orationes viventium confugere, inutile vero, malum et illicitum sit censendum confugere ad orationes eorum, qui in coelis sunt; quare invocatio viventium non deroget divinae benignitati, nec ulla per eam injuria afficiatur Christus Jesus mediator et Salvator noster, invocatio autem sanctorum cum Deo regnantium deroget divinae bonitati et Christo sit injuriosa. Quod si excipiant, sanctos ignorare preces ac vota nostra, quae quidem unica exceptio est quae fieri posset, reponimus, ex eadem divina revelatione nobis constare, saltem Deo manifestante, Angelis et sanctis ea innotescere; alioquin quomodo Angeli super peccatore poenitentiam agente gaudere possent, ut Christus Luc. XV testatur? Quomodo preces nostras Deo possent offerre, Tob. XII, 12; Apocal. VIII, 3, nisi viventium preces et cordis vota, Deo ipsis manifestante, cognoscerent? Quaquaversum igitur spectetur illud argumentum, tanta ejus est vis, ut numquam protestantes

se ab eo potuerint aut possint expedire (1).

42. Alterum argumentum, quod sacrae Litterae pro sanctorum invocatione praebent, in istorum intercessione consistit; intercessio enim et invocatio sunt relativae, quarum priori posita, altera ponatur necesse est. Siquidem intelligi nequit, quomodo sancti pro nobis intercedere possint, dona ac beneficia impetrare, nos autem nequeamus eorum intercessionem implorare et exposcere. Jam vero de sanctorum intercessione passim sacrae Litterae loquuntur. Nam Zachar. I, 12, ita Angelus pro populo israëlitico Deum deprecatur: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Eumdem porro Angelum id impetrasse, pro quo Deum exoraverat, patet ex verbis proxime sequentibus: *Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria;* ac paulo post: *Propterea haec dicit Dominus: revertar ad Jerusalem in misericordiis; domus mea aedificabitur in ea.* Angelum quoque pro ejusdem populi reditu Deum orasse, ex Daniele cap. X, discimus, illius partes adjuvante Michaële, uno *ex principibus*, dum *princeps* Persarum utrique obsisteret, et quod optabat obtinuisse. Exinde patet, quaenam sollicitudo Angelorum fuerit, ut pro suo quisque populo deprecaretur.

43. Non minus clara sunt, quae in Scripturis habentur circa sanctorum vita functorum intercessionem; ex libro enim II Mach. XV, 12 et seqq. edocemur, tum Oniam tum Jeremiam, vita jam functos, curasse Judaeorum res, eos adjuvisse, et dato Judae aureo gladio a Jeremia promissam fuisse victoriam; edocemur praeterea, utrumque orasse pro populo Judaeorum, et hac de causa Jeremiam ab Onia fratrum amatorem appellatum fuisse. Praelii autem faustissimus exitus illorum impetrationem comprobavit se *dignum fide somnium*. Quare merito Grotius, locum istum commentariis illustrans, scripsit: *Erat haec Judaeorum, si non omnium, certe plerorumque opinio, animos exutos corporibus non omnem perdere eorum, quos hic reliquere, memoriam curamque, quin et preces eos ad Deum fundere pro populo et iis, quos caros habuere* (2). In Novo autem Foedere B. Petrus haud obscure pollicetur, se post mortem intercessurum pro fidelibus apud Deum, scribens, II Pet. I, 15: *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*: quae quidem verba non secus ac illa, quae in Apoc. V, 8, leguntur de viginti quatuor senioribus, *qui pro-*

(1) Cfr. Bellarmin. *De Beat. et Canon. Sanct.* lib. I, cap. 19, qui recte admonet: *et hoc argumentum adversarii numquam solvere potuerunt*. Vid. etiam P. Viti Erbermanni S. J. in hunc locum Bellarmini vindiciae adversus Amesium.

(2) *Crit. sacr.* tom. VI. In cujus rei confirmationem profert auctoritatem Flavii Josephi, a quo inducitur Abraham alloquens filium suum Isaacum jamjam immolandum: Μετ' εὐχῶν δὲ καὶ ἱερουργίας ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ, quod praecesserat), τὴν ψυχήν τὴν σήν προσδεξομένου, καὶ παρ' αὐτῷ καθέζοντος, ἔσῃ τέ μοι εἰς κηδεμονα καὶ γηροκόμον, διὸ καὶ μάλιστα σὲ ἀνετρεφόμην, τὸν Θεὸν ἀντὶ σαυτοῦ παρεσχημένος. Id est: « Ubi autem Deus cum precibus et sacro dimissam animam tuam susceperit et apud se locaverit, tu mihi id eris, cujus praecipue causa te educavi, adjutor et senectutis solatium, Deum mihi pro te exhibens ». Tom. I ep. edit. Havercampi, pag. 42.

cidebant coram Agno, habentes singuli... phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum, de vera intercessione veteres plerique omnes interpretati sunt.

DIFFICULTATES

44. 1. Obj. V. Ex Apostolo, I Tim. II, 5: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ergo Christo unico mediatori nostro injuriam irrogat, qui praeter ipsum alium invocat. 2. Nec minor injuria Deo ipsi infertur ab eo, qui ad sanctorum patrocinium confugit; nam, sicut in unum Deum credere, ita unum Deum invocare debemus, dicente eodem Apostolo, Rom. X, 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* 3. Sane Deum, et quidem solum, esse invocandum, constanter Scripturae inculcant; sic I. Paral. XVI, 8, et Ps. CIV, 1, legitur: *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* Eadem igitur ratione invocandum est nomen Domini, qua confitenda ejus omnipotentia ac bonitas; quis porro neget, has proprietates soli Deo competere? Ergo.

45. Resp. Ad 1. *D.* Unus est mediator primarius, *C.* secundarius *N.* Responsio patet ex iis, quae praemisimus circa naturam et officium mediationis Christi respectu mediationis Angelorum et sanctorum, quae in primaria illa fundatur. Alioquin non minor injuria irrogaretur Christo per invocationem viventium, quae tamen toties in Scripturis commendatur, et ad quam confugit, ut vidimus, idem Apostolus, etsi unum praedicet Christum Jesum Dei et hominum mediatorem.

46. Ad 2. *N.* Ad probat. autem, *D.* Sicut in unum Deum credere, ita unum Deum invocare debemus invocatione, quae fidei confessionem includat et supremum in res omnes dominium, *C.* invocatione, quae in sola intercessione consistat *N.* Ludunt propterea in ambiguo protestantes, dum haec nobis opponunt ad excludendam sanctorum invocationem. Duplex enim distinguitur invocationis genus, aliud proprium divinitatis, quo ipsam cognoscimus ut fontem bonorum omnium, aliud intercessionis, quo auxilium tantum et praesidium quaerimus ad facilius obtinendum, quod a Deo poscimus et ab eo expectamus. Alia sane ratione beneficium et opem a principe efflagitamus, alia autem ab aulico, dum ejus patrocinium et officium interponimus apud principem (1).

47. Ad 3. *D.* Sensu jam exposito, *C.* alias *N.* Responsio patet ex modo di-

(1) Cfr. s. Thom. 2, 2, q. 83, a. 4. « Oratio, *ait*, porrigitur alicui dupliciter. Uno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quae solus Deus dat, secundum illud Ps. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sed secundario modo orationem porrigimus sanctis Angelis, et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum... et hoc etiam patet ex ipso modo, quo ecclesia utitur in orando. Nam a Sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur; ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus, ut orent pro nobis. » Quam clara haec sunt et rectae rationi consentanea! Attamen Fell, episcopus Oxoniensis, ut mox videbimus, absolute pronunciat: *Deos, qui rogat, ille facit.* Verum quaeri posset a Fell, num in Britannia reus fieret laesae majestatis, qui intercessionem alicujus ministri apud regem interponeret ad aliquod officium obtinendum?

ctis ; in eamdem enim incidunt adversarii vocis ambiguitatem .

48. II. Obj. Scripturae nos docent , omnem fiduciam in Deo ejusque Christo esse collocandam , ad Deum confugiendum nobis esse in necessitatibus nostris, non autem ad sanctos. Nam 1. Christus apostolos , Matth. VI , 9 , et Luc. XI , 2, sic orare docet: *Pater noster*, etc.; et Joan. XVI , 23 , ita rursum eos alloquitur : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, et alibi saepe. Hinc Paulus, Hebr. IV, 16: *Adeamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur*. 2. Nullum propterea extat in sacris Litteris mandatum aut exemplum invocationis sanctorum ; 3. quin potius, Jer. XVII, 5 : *Maledictus* dicitur *homo , qui confidit in homine*. Ergo .

49. Resp. *D. A.* Quae tamen fiducia consistit cum invocatione sanctorum, *C.* quae cum ea consistere nequit *N.* Etenim , nisi haec simul conciliari possent, sequeretur neque ad viventium preces nos confugere posse , quod tamen adversarii non contendunt . Tota igitur fiducia nostra in Deo collocanda est , ad ipsum est recurrendum in necessitatibus, quibus urgemur . Nec alius unquam fuit ecclesiae catholicae sensus , quae orationes suas ad Deum fundit , ut quod poscit ab eo obtineat tamquam bonorum omnium fonte ac largitore (1) . Numquam sanctos agnovit tamquam gratiarum et donorum dominos et arbitros , ut eam calumniantur haeretici , nec eos proinde Deos facit (2) . Quod si sanctorum patrocinium implorat ac interponit apud Deum ad facilius obtinendum quod postulat , id absque detrimento illius fiduciae , quam in Deo collocat , facere consuevit . Ceterum ipsa didicit , quandoque Deum ad sanctorum intercessionem concedere , quae ob demerita nostra nullo modo largiretur . Nonnisi ad Jobi intercessionem placari Deus voluit amicis ejus (3) . Ad preces Abraham sanitatem restituit Abimelech , uxori ejus et ancillis (4) . Ad orationem Moysis victoriam populo israëlitico contulit pugnanti adversus Amalec ; ut innumera alia exempla praeteream , quibus referta est Scriptura . Adde orationes , quibus sanctorum opem imploramus , ad Deum demum referri , cum sanctos non exoremus , nisi ut ipsi nobis per Christi merita a Deo impetrent , quod ab ipso postulamus . Tali autem invocatione magis nostra in Deo fiducia firmatur (5) .

(1) Reipsa ecclesia , ut patet ex publica liturgia , semper ad Deum dirigit orationes suas , etiam cum opem seu intercessionem alicujus sancti efflagitat , ex. gr. : *Concede , quaesumus , omnipotens Deus ; Praesta, quaesumus , ut intercedente* , etc. ut quidem per merita Christi , semper concludens easdem orationes usitata formula: *Per D. N. J. C.* vel: *Per Christum D. N.* Huic praxi congruit decretum Concilii Trident. sess. XXV , quo constat ipsos sanctos supplicare , et omnia impetrare *per Christum , qui solus noster Redemptor et Salvator est*. Cfr. Bossuet , *De professoribus confessionis Augustanae ad repetendam unitatem catholicam dispo-nendis* , part. II , cap. 3 , art. 1 , et alibi .

(2) Sic in *Apolog. confess. August.* art. XXI , *De invocat. SS.* pag. 224 et seqq.: *Quidam plane tribuunt divinitatem sanctis , videlicet quod tacitas cognitiones mentium in nobis cernant ;* additur ibid. praeterea : *Faciunt* (catholici) *ex sanctis mediatores redemptionis*. Superius retulimus verba Felli . At haec omnia totidem calumniae sunt , a quibus longe distat catholicorum doctrina .

(3) Job , cap. ult. 7 et seqq.

(4) Genes. XX , 17.

(5) Cfr. Bellarm. op. cit. lib. I , cap. 20, n. 49.

50. Ad 1. prob. *D.* Et haec aliaque his similia evincunt, nos posse ad Deum immediate recurrere, *C.* excludunt sanctorum invocationem *N.* Nempe tum haec tum alia ejusmodi testimonia, quae congerere solent adversarii, dum catholicam doctrinam impugnant, ad rem praesentem minime spectant, cum nullo modo quaestionem hanc attingant. Neque enim catholici negant, posse quemlibet pro lubito Deum ipsum adire ac rogare, sed quaestio in eo versatur, an licitum ac utile sit sanctos praeterea invocare, ut nos adjuvent orationibus suis apud Deum. Porro in adductis locis de hac quaestione ne verbum quidem reperitur; nec magis ea excludunt invocationem sanctorum cum Christo regnantium quam invocationem in terris degentium, admissam tamen ab adversariis. Ad orationem dominicam speciatim quod attinet, recte observat Bellarminus, Christum, cum docuit Apostolos orare, non *de eo*, qui orandus est, sed *de iis rebus*, *quae petendae sunt*, admonere discipulos voluisse. Satis enim constabat, Deum esse orandum, et solum etiam Deum, cum auctor donorum quaeritur; sed *de modo orandi*, seu *de petendis rebus* apostoli ambigebant, cum dicerent apud Luc. loc. cit. *Doce nos orare*.

51. Ad 2. *D.* Nullum extat mandatum, quia de re libera agitur, *C.* nullum extat exemplum *N.* Plura enim exempla ex Scripturis adduximus.

52. Ad 3. *D. Et a Domino recedit cor ejus*, ut ibid. subditur, *C.* ut majori cum fiducia Deum adeat, prout in casu nostro *N.* Jeremias enim in adducto testimonio comminatur maledictionem in eum, qui Deum prorsus deserens in homine tantummodo fidit, ut ex recitatis ejus verbis liquet.

PROPOSITIO II.

Ex traditione et ecclesiae praxi ostenditur, licitam esse et utilem sanctorum invocationem.

53. Angelos et sanctos vita functos pro nobis intercedere, adeoque piam utilemque esse illorum invocationem, traditio antiquissima nos docet ac perpetuus ecclesiae usus. Ut enim omittamus concilia oecumenica Chalcedonense, Constantinopolitanum III et Nicaenum II, nec non Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, Missalia Gothicum et Francicum, quae sunt totidem certissima documenta praxis ecclesiae universalis seculi V et VI circa sanctorum invocationem, testes habemus antiquissimos istius pii catholici usus.

54. Ac primo quidem hujus fidei testem appellamus Origenem, qui, *Contra Celsum*, lib. VIII, loquens de Angelis et animabus cum Deo regnantibus, ait: *Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adjungunt preces, simul cum eis postulant* (1). Sed non minus luculentum catholicae doctrinae circa invocationem sanctorum documentum suppeditat idem Origenes, in libro *De Oratione*, ubi scribit: *Obsecratio et postulatio et gratiarum actio non absurde potest et sanctis offerri; harumque duae, postulatio inquam et gratiarum actio, non sanctis modo, sed et hominibus; obsecratio vero sanctis tantum, si quis*

(1) Συμπράττουσι τοῖς βουλομένοις τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν θεραπεύειν, καὶ εὐχεσθαι, καὶ συνεύχονται, καὶ συναξιοῦσιν. N. 64, tom. I, opp. pag. 789, edit. De la Rue, Paris 1733.

Paulus aut Petrus inveniatur, ut adjuvent nos, dignosque efficiant, qui fruamur concessa ipsis remittendorum peccatorum potestate . . . Quod si hominibus sanctis illae preces offerendae sunt, quanto magis Christo, etc. (1)? Sibi propterea constans, sic *Hom. I in Ezech.* n. 7, Angelum suum invocat: *Veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino* (2). Et haec ex Origene seculi III scriptore, attulisse sufficiat (3).

55. Verum non minus clara sunt, quae in rem nostram eodem seculo scribit s. Cyprianus ad Cornelium; *Memores nostri invicem simus . . . utrobique pro nobis semper oremus . . . . et, si quis istinc nostrûm prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio* (4). Et ipse pariter in praxim hanc doctrinam deduxit, virgines ac martyres invocando; ita enim concludit Cyprianus librum *De habitu virginum*. *Tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari* (5).

(1) Δέησιν μὲν οὖν καὶ ἔντευξιν καὶ εὐχαριστίαν, οὐκ ἄτοπον καὶ ἁγίοις ἀνθρώποις προσενεγκεῖν, ἀλλὰ τὰ μὲν δύο, λέγω δὲ ἔντευξιν καὶ εὐχαριστίαν, οὐ μόνον ἁγίοις, ἀλλὰ δὴ καὶ ἀνθρώποις· τὴν δὲ δέησιν μόνον ἁγίοις, εἴ τις εὑρεθείη Παῦλος ἢ Πέτρος, ἵνα ὠφελήσωσιν ἡμᾶς, ἀξίους ποιοῦντες τοῦ τυχεῖν τῆς δεδομένης αὐτοῖς ἐξουσίας πρὸς τὸ ἁμαρτήματα ἀφιέναι . . . Εἰ δὲ ἀνθρώποις ἁγίοις ταῦτα προσενεκτέον, πόσῳ πλεὸν τῷ Χριστῳ . . . κ. τ. λ. N. XIV, tom. I, opp. pag. 221, edit. cit.

(2) Hic est locus, ad quem eludendum mire se torquet Keil, et omnes vias frustra tentat evadendi; modo recurrit cum Dallaeo ad apostrophen rhetoricam, modo ad contradictionem, in quam Origenes incurreret, si haec ita se haberent, modo denique ad ejus loci obscuritatem, etc.

(3) Cfr. *Hom.* XXVI *in Num.* n. 6, ubi scribit: *Quis enim dubitat, quod sancti quique patrum et orationibus nos juvent?* edit. cit. tom. II, pag. 373. Haec omnia Keilius silentio praeterit, utpote nimis sibi molesta.

(4) Epist. LVII, pag. 96, edit. Maur. Quem quidem locum sic exponit Fell editor oxoniensis: « Sensus videtur esse, alterutro ex nobis obeunte, sive ego, qui Carthagini praesum, sive tu, qui Romae praesides, superstes fuerit ejus, cui in vivis diutius esse contigerit, pro utraque ecclesia perseveret et supersit apud Deum oratio ». *Deinde pergit:* « Interim minime dubitamus, animas coelo receptas precibus Deum Opt. Max. sollicitare, ut in terris agentium misereatur; sed non inde conficitur, preces ad sanctos fundi debere. Deos, qui rogat, ille facit ». Ast hoc est pervertere sensum auctoris ad propriae sectae errores stabiliendos. Non enim commendat s. Cyprianus precandi munus *ei, qui superstes fuerit*, seu, ut exponit Fellus, *ei, cui in vivis diutius esse contigerit*, sed *ei, qui prior praecesserit;* ex qua observatione corruit plane editoris hujus animadversio, quam fallaci fundamento superstruxit. Cfr. edit. Maurin. opp. ejusdem s. Cypriani, in praefat. § 15. De eo vero, quod subdit: *Deus qui rogat, ille facit*, superius diximus. Adversus autem interpretationem Rigaltii in hunc ipsum locum cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. XIV, cap. 10, § 2 et seq.

(5) Et hunc locum eludere conatur editor oxoniensis, quasi s. Martyr loquatur de virginitate, quae incipiat honorari, cum ad confessionis decus pervenerit; cum tamen manifestum sit, s. Cyprianum non solas martyres alloqui, sed omnes generatim virgines, ac proinde non martyrii, sed virginitatis coronam indicare. Quare, nisi recepta esset in tota ecclesia invocatio sanctorum, ut eam viguisse certissima monumenta testantur, numquam Cy-

56. Duobus his tertii seculi scriptoribus addendus Eusebius, qui quamvis seculo quarto floruerit, loquitur tamen de sanctorum invocatione tamquam de consuetudine in ecclesia receptissima; disserens enim de sanctorum sepulcris, haec habet: *Nam et eorum sepulcra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus; idque a nobis merito fieri statuimus* (1). Et reipsa indubia extant documenta et facta certissima II et III seculi, quae Eusebii assertionem confirmant. In vetustissimis enim s. Ignatii mart. actis legitur quod apparuerit per quietem Ignatius nuper martyrio functus, *super orans nobis* (2). Acta martyrum Scillitanorum, qui anno 200 passi sunt, his verbis clauduntur; *Consummati sunt Christi martyres mense julio, die septimo decimo, et* INTERCEDUNT PRO NOBIS *ad Dominum Jesum Christum* (3). Eadem leguntur in actis s. Maximi, qui anno 250 martyrio coronatus est (4), et in actis s. Theodoti, qui anno 303 martyrium subiit (5). Pervulgata sunt ea, quae de B. Potamienae intercessione refert Eusebius; promiserat enim B. Virgo, se intercessuram apud Dominum pro Basilide ejus pudicitiae defensore; exitus autem ostendit, ipsam gratiam, pro qua Deum rogaverat, impetrasse (6). Receptissima proinde dicenda est a priscis ipsis ecclesiae seculis praxis sanctos invocandi; siquidem, ut superius monuimus intercessio ex parte sanctorum et invocatio ex parte nostra relativae sunt, et sane Justina Virgo, sec. III, Gregorio Nazianzeno teste, ut se a Cypriani adhuc pagani magicis artibus liberaret, *Virginem Mariam supplex obsecravit, ut periclitanti virgini suppetias ferret* (7).

57. His accedit liturgiarum auctoritas, quae, etsi seculo tantum IV conscriptae sint, publicam tamen et receptam universalis ecclesiae praxim et fidem exhibent, quae anterioribus seculis in ea viguit (8); in iis enim scripto consignata non sunt, nisi quae de manu, ut ita dicam, ad manum, non interrupta traditione, ad seculum IV pervenerunt.

priano in mentem venisset, virgines et martyres in antecessum precari et invocare, prout scite animadvertit editor Maurinus, loc. cit.

(1) *De Praepar. evang.* lib. XIII, cap. 11: Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. Edit. Vigeri pag. 663.

(2) Passus est s. Ignatius anno 112 aerae Christ. juxta Norisium; juxta Pagium vero, Pearsonium et Dodwellum an. 116. Cfr. ejusdem s. Martyris acta, apud Ruinart. op. cit.

(3) In urbe Carthagine martyrio perfuncti sunt; eorum acta juxta Ruinartium conscripta sunt ab auctore coaevo ac teste oculato.

(4) Qui sic allocutus est proconsulem Optimum: « Gratia Christi me salvum faciet in aeternum, omnium sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt ». Ibid.

(5) Hic enim cum vidisset fratres suos flentes, eos consolaturus: *Deinceps*, inquit, *in coelis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor*.

(6) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. VI, cap. 5.

(7) *Orat.* XVIII, n. 19: Τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ. Tom. I, opp. pag. 279, edit. Paris. 1630.

(8) Cfr. Euseb. Renaudotii, *Liturgiarum orientalium collectio*, Paris. 1716, vol. I, dissert. *De Liturg. orient. orig. et antiquit.* capp. 2 et 3.

Inter ceteras eminet liturgia, quae s. Jacobi nomine inscribitur; in ea porro legitur: *Praecipue vero sanctae et gloriosae semper Virginis beatae genitricis Dei memoriam agimus. Memento illius Domine Deus, et per ejus orationes puras et sanctas parce et miserere nobis, et exaudi nos* (1). Eadem occurrunt in liturgiis a s. Petro et s. Marco nuncupatis (2). Eadem prorsus in liturgia s. Joan. Chrysostomi (3). Quibus addi debent Ordo romanus, editus a Mabillonio in *Musaeo italico*, Sacramentarium s. Gregorii M. ac Missalia superius recensita (4).

58. Sed non minus illustre est testimonium, quod habetur in *Catechesi mystagogica V.* s. Cyrilli Jerosolymitani, qui liturgiam explanans ait: *Postea recordamur eorum, qui obdormierunt, sanctorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat* (5). Porro liturgiae exhibent fidem publicam et communem totius ecclesiae; publice enim recitabantur. Idipsum dicatur de catechesibus mystagogicis, quibus publice fideles instituebantur; impossibile proinde erat per eas inducere innovationem contra fidem ab omnibus ad id temporis receptam. Multo vero minus possibilis censenda est talis innovatio, cum agatur de innovatione juxta adversarios summopere perniciosa, cujusmodi ea esset, quae ecclesiam in superstitionem atque publicam idololatriam conjecisset, atque id quidem nemine reclamante ex tot viris sanctitate et doctrina spectatissimis.

59. Atque hinc exurgit argumentum praescriptionis, quod plane opprimit adversarios. Ipsis enim fatentibus, seculo IV. universam ecclesiam jam invaserat haec superstitio, id est, seculo IV receptus ab ecclesia universa erat cultus et invocatio sanctorum (6); ergo, concludimus, jamdiu recepta erat seculo III. Etenim si innovatio contigisset, haec vel extemplo per totius christiani orbis conspirationem facta esset, vel sensim

(1) Cfr. ibid. tom. II, pag. 33.

(2) Cfr. ibid. pag. 145 et seq. et pag. 176 et seqq.

(3) Ibid. pag. 242.

(4) Haec inter ceteros exhibet Joseph. Aloys. Assemanus in opere, cui titulus: *Codex Liturgicus Ecclesiae universae*, Romae 1751, vol. IV, V, VI, sive tom. IV, part. 1, 2, 3; nec non B. Jos. Mar. Card. Thomasii opp. edita a Jos. Blanchinio, tom. I, fol. Rom. 1741; et Lud. Muratorius, *Liturgia rom. vetus*, duob. vol. fol. Venet. 1748.

(5) Εἶτα μνημονεύομεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὅπως ὁ Θεὸς ταῖς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν. *Cateches. mystagog.* V, § IX, pag. 328, edit. Touttée. Cfr. ejusdem not. *(a)*

(6) Hoc quippe fatentur Centuriatores Magdeburg. centuria IV, cap. 4; Witacker, *Contra Bellarm.*; Hospinianus, part. I, *Hist. sacram.* lib. II, cap. 7, et alii calvinistae, clamantque, pro invocatione sanctorum jam IV seculo fere omnes patres stare, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, eosque in hoc cum papistis errasse. Quis vero pius et prudens, ut optime arguit Vitus Erbermannus in *Vindiciis Bellarmini*, non malit cum quarti et quinti seculi (in quibus IV concilia oecumenica celebrata fuere) sanctissimis patribus desipere, quam cum istis neo-evangelicis sapere? Et, si idololatriae immersa fuit ecclesia quarti et quinti seculi, consequenter adultera facta est, nec fidem meretur in decretis quatuor conciliorum generalium. Cfr. Card. Perronius in *Replicat. ad Jacobum* VI, *Britanniae regem*, pag. 641 et seqq.

ac sine sensu. Prius vero asserere absurdum est ac omnem fidem superat; posterius vero impossibile omnino fuit. Nec enim clanculum introducta est, ut vidimus, sed in publicis christianorum coetibus obtinuit ac publicis instructionibus. Plures seculi IV. persecutionibus Diocletiani, Maximiani, Maximini, Maxentii, Galerii et Licinii supervixerant, sub iisque passi erant, ac mutili interfuerunt concilio Nicaeno. Disciplina tunc temporis recepta postulabat: *Secundum regulas patrum bis in anno in unum convenire per singulas provincias episcopos, ubi singula, quae emerserint, corrigantur*, ut statuit concilium Chalcedonense, can. XIX (1). Rursum provinciales synodi communicare debebant cum universi orbis episcopis per epistolas encyclicas (2). Si qua igitur fuisset in cultu et invocatione sanctorum innovatio, aliqui saltem ex tot sanctissimis ac doctissimis episcopis, quibus aetas illa maxime floruit (3), reclamassent. Ast tantum abest ut adversus eam episcopi reclamaverint, ut potius Faustum et Vigilantium hujus invocationis impugnatores tamquam haereticos et novatores unanimi consensione ab ecclesia rejecerint atque scriptis impugnaverint. Non igitur ex parte ecclesiae, ut Beausobrius, Dallaeus, Gibbonius aliique contendunt innovatio extitit, sed ex parte Fausti et Vigilantii, qui illam invocationem ubique receptam adorti sunt. Idem argumentum valet pro seculo tertio et seculo secundo, quin etiam ad ipsorum apostolorum usque tempora.

60. Sed jam praestat id ipsum conficere ex confessione ipsorum adversariorum. Centuriatores Magdeburgenses ingenue fatentur, vestigia hujus *superstitionis* occurrere in testimoniis *priorum* patrum, id est, seculi III (4). Wegscheider fatetur, eodem seculo coepisse ecclesiam in paganismum declinare (5); quod pariter sentiunt sociniani passim. Atque hinc factum putamus, ut cordatiores demum inter protestantes suffragium tulerint pro doctrina ecclesiae catholicae circa sanctorum invocationem. Inter hos eminent Leibnitzius (6), Starckius (7); nec non Horlty, Albertus Haller, Lavater, Plank, Schuhkraft, Brown, Augusti, quorum testimonia nuper collegit Esslinger (8).

61. Veritati demum catholicae suffragatur ratio ipsa, quae ex intima rei natura deducitur atque ex analogia eorum, quae in usu quotidiano apud nos

(1) Cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. II, col. 609.

(2) Cfr. canon. V, concilii Nicaeni, ibid. tom. I, col. 323 et seq. et canon XX concilii Antiocheni anni 341; ibid. col. 601, vid. *Decretum Gratiani*, dist. 18; S. Leo M. *Ep.* XVI, cap. 7. edit. Ballerinii, ubi s. Pontifex hanc regulam inculcat *pro custodia concordissimae unitatis*.

(3) Nulla aetas tot doctissimos patres tulit, quot eo tempore, seculis nempe IV et V, floruerunt tum in ecclesia orientali tum in ecclesia occidentali.

(4) Loc. cit.

(5) § 92. *Formulam illius dogmatis* (Trinitatis), inquit, *publice receptam .... neque ecclesiae doctores effinxerunt ante seculi* III *exitum, quo quidem tempore ad paganismi errores suscipiendos procliviorem fuisse ecclesiam constat*.

(6) *Systema theol.* edit. cit. pag. 161 et seqq.

(7) *Entretiens philosophiques, ou le banquet de Théodule, trad. de l' allemand*, Paris 1818, pag. 318 et suiv.

(8) *Apologie de la religion cathol. par des auteurs protestants*, etc. Vid. *Annali di scienze religiose*, Roma 1836, vol. II, num. 6, pag. 372 et seqq.

sunt. Nemo siquidem eo usque insanit, ut reum habeat laesae majestatis eum, qui aulicum suppliciter oraret, ut suam apud regem mediationem ac officium interponat ad aliquid facilius obtinendum; quare igitur dicendus reus erit laesae majestatis divinae, qui sanctos, utpote Dei amicos et in aula coelesti degentes, invocat, ut aliquid ab ipso per Christi merita facilius impetret? Quid dulcius ea cogitatione fingi animo potest, quae ex doctrina de invocatione sanctorum provenit? Hac enim profitemur, nos, qui in exilio degimus, in arcta communione esse cum mundo coelesti, ad quem destinati sumus; hac quodammodo persentimus, nos non omnino separatos esse per mortem ab iis, qui, cum viverent, nobis carissimi erant; hac demum nos mediatores et intercessores, imo et amicos devinctissimos habere laetamur apud Deum eos ipsos, qui jam in Dei sinu ineffabili illa felicitate fruuntur, quae nobis pariter servata est, quamque a longe expectantes salutamus. Quapropter in sola ecclesia catholica plena invenitur illa *sanctorum communio*, quam in symbolo apostolico profitemur, quae non tantum in bonorum operum communicatione, sed praeterea in mutuo charitatis vinculo et intercessionis ac subsidii respective consistit.

DIFFICULTATES

62. 1. Obj. Patres, qui a catholicis pro sua sententia afferri solent, testes idonei non sunt; 1. tum quia, si unum vel alterum excipias, qui ad tertium seculum spectant, reliqui omnes ea vixere aetate, qua omnium mentes impia superstitio pervaserat; 2. tum quia constat, eosdem in erroribus saepe saepius fuisse versatos. 3. Accedit, plerosque veteres invocationem uni Deo vindicasse, ut Ignatius (1), Clemens Alex. (2) et Irenaeus (3), aut etiam 4. alios quoslibet ab eadem exclusisse, ut Origenes (4) et Tertullianus (5), atque Athanasius (6). Ergo.

63. Resp. *N. antec.* Ad 1. probat. Resp. 1. *Neg.* unum tantum vel alterum patrem a nobis in medium adduci. Etenim praeter patres plura indubia facta ex tribus prioribus ecclesiae seculis in doctrinae nostrae confirmationem protulimus. Resp. 2. Admissa protestantium exceptione, negamus quidpiam ipsos exinde proficere adversus causam catholicam; quia, etsi nonnisi paucos laudemus patres trium priorum seculorum pro illius aetatis monumentorum inopia, illi tamen rem nostram apprime conficiunt, quia nemine reclamante, de eo ritu, tamquam de more apud omnes ecclesias recepto, loquuntur (7).

64. Quod vero attinet ad patres illos, qui seculis IV et V floruerunt, in memoriam revocanda sunt, quae de praescriptione diximus, ac de illius aetatis disciplina et adjunctis, quae nulla ratione introduci novitatem aliquam impune patiebantur. Addimus praeterea catholicos hac agendi ratione imitari oecumenica concilia, quae ad asserenda verae fidei dogmata adversus novatores testimonia depromere consueverunt a citimis potius ac recentis memoriae do-

(1) *Epist. ad Philad.* cap. 4.

(2) *Stromat.* lib. VII, cap. 7. tom. II, pag. 851, edit. Potteri, Oxonii 1715.

(3) *Cont. haeres.* lib. II, cap. XXXII, edit. Maur. alias LVII.

(4) *Cont. Celsum* lib. VIII, n. 26.

(5) *Apolog.* cap. XXX.

(6) *Contra Arianos*.

(7) Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. XIV, cap. 15.

ctoribus quam a vetustioribus. Ita se gesserunt synodi Ephesina et Chalcedonensis, necnon V et VI oecumenicae (1). Quod pariter ex patribus praestiterunt Augustinus, Theodoretus, Cyrillus aliique passim, disputantes adversus haereticos sua aetate exortos (2). Nondum enim, ut apposite animadvertit Petavius, frigidum illud et insulsum audiri coeperat calumniae genus, quod postremis hisce temporibus excogitatum est, ut ad primum ac secundum seculum, aut vero tertium et quartum controversorum capitum disceptatio revocaretur (3).

65. Ad 2. *D.* Erroribus obnoxii fuerunt patres seorsum sumpti et cum propria darent, seu ex privato suo sensu loquerentur, *Tr.* simul sumpti, et cum testes se exhibent fidei in ecclesia receptae, ac suffragio praesertim ecclesiae potiuntur *N.* (4).

66. Ad 3. *D.* Ad exclusionem daemonum, vel aeonum, aut deorum ethnicorum, pro diverso adversariorum, quos perstringebant, errore, *C.* ad exclusionem sanctorum, de quibus nec verbum habent *N.* Etenim s. Ignatius numquam dixit in epistola, quae objicitur, ad Philadelphienses scripta : *Virgines solum Christum in orationibus*, ut legebat Molinaeus, *ante oculos habete*, etc.; haec enim verba sunt pseudo-Ignatii (5). Verus autem Ignatius indirecte saltem adstruit sanctorum invocationem, se fratrum orationibus commendans; scribit enim in eadem epistola, cap. VIII: *Quibus justificari cupio per precationes vestras* (6). Clemens Alex. in septimo *Stromatum* libro perstringit gentiles, qui inanes deos exorabant (7); Irenaeus denique *Contra haereses*, lib. II, valentinianos confutat, qui aeonas suos et falsos angelos invocabant, et operam dabant incantationibus (8). Quid cum

(1) In Ephesino Deum natum esse de Virgine, non simplicem hominem, probatur ex Cypriano, Petro Alex., Athanasio, Julio Papa, Felice item Papa, Theophilo Alex., Ambrosio, Gregorio Naz. et Nyss., Basilio, Attico et Amphilochio, ut patet ex actione I ejusdem synodi. Porro ex his vetustissimus est s. Cyprianus, qui non plenis ducentis annis antecessit Ephesinae synodi tempus; ceterorum erat memoria recentior. In synodo Chalcedonensi appellantur ad fidem faciendam de distinctione naturarum adversus eutychianum errorem, auctores vix toto seculo anteriores, unus etiam proxime ante sex annos vita functus, nimirum s. Cyrillus Alex. Eamdem agendi rationem tenuerunt quinta synodus nec non oecumenica sexta, quae omnes juxta canonem adversariorum nostrorum rejiciendae forent.

(2) Cfr. Petav. loc. cit.

(3) Ibid. § 5.

(4) Cfr. Petav. ibid. § 6.

(5) Cfr. Cotelerius, *Scripta Patrum Apostolicorum*, vol. II, pag. 80.

(6) Ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι.

(7) Praestat integrum ejusdem textum exhibere, quem detruncatum affert Molinaeus, cap. 7 : Ἐσχάτη δὲ ἀμαθία, παρὰ τῶν μὴ θεῶν ὡς θεῶν αἰτεῖσθαι· ἢ τὰ μὴ συμφέροντα αἰτεῖσθαι, φαντασίᾳ ἀγαθῶν κακὰ αἰτουμένους σφίσιν. Ὅθεν εἰκότως ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ, παρ' αὐτοῦ μόνου τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν δοθῆναι, τὰ δὲ παραμεῖναι εὐχόμεθα, ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἄγγελοι. « Extrema, *inquit*, est inscitia, ab iis, qui non sunt dii, tamquam a diis petere, vel ea petere, quae non conducunt, dum per bonorum speciem nobis mala postulamus. Unde merito, cum sit bonus Deus, ab ipso solo bonorum alia dari, alia conservari petimus tam nos quam Angeli ». Opp. edit. Potteri, tom. II, pag. 853, Oxonii 1715. Addo, in toto libro VII, pro certo sumere Clementem Angelos pro nobis et nobiscum orare.

(8) Cfr. quae adversus Grabium scripsit

istis commune habet invocatio sanctorum ?

67. Ad 4. *D.* Alios quoslibet excludunt ab illa invocatione, quae propria est solius Dei utpote bonorum omnium largitoris, *C.* ab illa invocatione, quae in intercessione consistit, qualem Angelis et sanctis catholici tribuunt *N.* Enim vero Origenes, *Contra Celsum*, lib. VIII. n. 57, de illa sola invocatione agit, quae Deo vero proprie convenit, quamque ethnici diis suis velut bonorum auctoribus, etsi supremo inferioribus, deferre solebant. Tertullianus loc. cit. gentilium criminationibus occurrit, qui iniquo animo ferebant christianos pro salute imperatorum diis non supplicare. Athanasius demum arianos arguit, quod Christum creaturam esse putantes, haereticorum more, qui numquam sibi constant, Deum tamen ipsum appellarent, eumque tamquam aliquid creatura praestantius adorarent (1).

68. II. Obj. 1. Sancti, etsi pro nobis intercedant, non possunt tamen a nobis invocari; 2. invocatio enim ad supremum illud cultus latreutici genus pertinet, quod solius Dei est proprium; 3. praeterea sancti vota nostra precesque non audiunt, juxta illud Isaiae LXIII, 16: *Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos;* aut Eccles. IX, 5: *Mortui nihil noverunt amplius*. Ergo.

69. Resp. Ad 1. *N.* Nulla enim ratio assignari potest, quare sancti invocandi non sint, si pro nobis intercedere possunt, ut post Calvinum, Kemnitium aliosque protestantes concedit Molinaeus. Ridiculum sane esset asserere, aulicum quempiam posse nobis opem ferre per suam apud principem intercessionem, nec posse nos tamen ejus patrocinium efflagitare. Hinc patres reipsa tum de invocatione tum de intercessione promiscue loquuntur.

70. Ad 2. Sensu catholicorum superius exposito, *N.* alioquin nec viventes invocare possemus.

71. Ad 3. *D.* Sancti vota nostra precesque non audiunt virtute propria, *Tr.* divina virtute, aut ex ejus manifestatione *N.* Quomodo vero sancti preces nostras cognoscant, an in Verbo, ut aliqui contendunt, an vero ex peculiari Dei manifestatione, ut plerique volunt, aut alia qualibet ratione, nostrum inquirere non est. Ad causam nostram sufficit, quod eas certo cognoscant, ut ex dictis constat. Merito Grotius, diversis perpensis modis seu rationibus a patribus ac theologis indicatis ad explicandam hanc sanctorum notitiam, con-

in hunc locum Massuet not. (i). Ostendit enim, s. Martyrem, tum hic tum in capite praecedenti, vera ecclesiae miracula haereticorum praestigiis opponere; aliaque puris et mundis orationibus et invocatione D. N. J. C.; alia *fraude universa*, ut ipse Sanctus loquitur, et *adinspiratione apostatica* (malorum scilicet Angelorum, quos Angelos apostatas vocare solet) *et operatione daemoniaca et phantasmate idololatriae* fieri probat. Verba enim, quae objicit Molinaeus, apud s. Irenaeum, num. 5, ita se habent: *Nec invocationibus angelicis facit aliquid* (ecclesia catholica), *nec reliqua prava curiositate, sed munde et pure et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen D. N. J. C. invocans*. Cfr. praeterea ejusdem Massueti dissertatio III, art. 9, § 109. Quis vero post haec non miretur malam fidem Keilii, qui audet iterum hoc Irenaei testimonium catholicis objicere adversus Angelorum invocationem? Huc redit tota vis argumenti istorum haereticorum hominum: s. Irenaeus ostendit ecclesiam catholicam operam non dare incantationibus magicis per daemonum invocationem; ergo ecclesia catholica Angelos sanctos non invocabat. Optime!

(1) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 16.

cludit : *Itaque inique faciunt protestantes, qui idololatriae damnant eos, qui, multorum veterum sententiam secuti, putant nostrarum necessitatum et precum notitiam aliquam ad martyres pervenire* (1). Adversus Burnetum autem et Gibbonium qui existimant, ideo sanctos ignorare necessitates nostras, quia inertes ac somnolenti jacent, nondum Dei aspectu fruentes, recolantur quae suo loco adversus hunc errorem disputavimus (2).

72. Verba autem Isaïae, Clerico ipso interprete, non aliud significant, quam *Deum multo potiore jure patrem Hebraeorum dici quam Abrahamum aut Jacobum* (3). Clerico adsentiuntur protestantes alii non pauci (4).

73. Textus Ecclesiastae, ut ex serie orationis patet, hunc sensum prae se fert: Viventes adhuc possunt resipiscere ac in melius mutari, quod mortui non possunt (5). Quid autem haec ad scopum protestantium conferant, non video.

74. III. Obj. Sanctorum invocatio inutilis est ac superstitiosa : 1. inutilis quidem ex parte Dei, qui cum paterno prae sanctis omnibus nos prosequatur amore, satis per se prospicit necessitatibus nostris absque aliena intercessione; 2. superstitiosa est ex parte nostra, cum per illam diffidentiae indicium praebeamus; sed 3. superstitiosa ex alio capite invocatio haec censenda est, cum saepe saepius contingat, nos opem implorare aut eorum, qui numquam fortasse extiterunt, aut eorum, quorum saltem sanctitas dubia est; 4. ethnicam insuper superstitionem sapit sanctos singulos pro singulis morbis aut beneficiis rogare; 5. eo vel magis quod sancti nihil jam possint a Deo impetrare, cum nec mereri quidpiam valeant. Ergo.

75. Resp. *N. antec.* Ad 1. probat. *D.* Deus per se prospicit necessitatibus nostris, seu dona largitur absque aliorum intercessione, *ut plurimum*, *C. semper N.* Saepe enim legimus in Scripturis, Deum ad aliorum intercessionem concessisse, quod alioquin non fuisset concessurus. Hoc autem, adductis in

(1) *Ad Consultat. Cassandri*, tom. IV, quibus consonant ea quae scripsit Leibnitzius, in cit. *Syst. theol.* pag. 194: « Cum igitur beatae mentes multo magis nunc rebus nostris intersint, quam quando in terris vivebant, multoque omnia praesentius intueantur (nam homines pauca tantum, quae in conspectu geruntur, aut ab aliis nuntiantur, cognoscunt), cum caritas earum aut voluntas juvandi longe sit ardentior, denique cum preces earum longe sint efficaciores, quam quas olim fundebant in hac vita, constet autem, quantum Deus etiam viventium intercessionibus tribuerit, et quam utiliter nos fratrum preces nostris conjungi expectamus, non video, quomodo crimini dari possit, compellare felicem animam vel sanctum Angelum, ejusque intercessionem vel auxilium postulare . . . praesertim si cultus ille consideretur tantum ut exigua accessio summi illius, qui in unum Deum recta dirigitur, etc. » . Demum Thom. Brown, dum disserit de medici religione, concludit in rem nostram: « Ad eum quod spectat, qui rejicit invocationem SS. atque inficiatur ipsos, res quae in terris geruntur, agnoscere, eum quaeso, ut mihi explicare velit textum hunc Evangelii: Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente » .

(2) Tract. *De Deo Creat.* n. 632 et seqq. tom. IV.

(3) *Comment. philolog. et paraph. in Isaïam*, hoc loco.

(4) Grotius, Vitringa, etc. apud Starckium, loc. cit.

(5) Cfr. Calmet, Emm. Sà, Menochius, etc. tum Critici sacri in hunc locum.

medium exemplis, superius ostendimus. Addo, hoc argumentum pariter impetere intercessionem viventium.

76. Ad 2. *D.* Diffidentiae indicium praebemus, quae se teneat ex parte nostra, *Tr.* quae se teneat ex parte Dei *N.* De paterno enim Dei in nos amore nulla nobis suboriri potest dubitatio; sed ad nos quod attinet, quos gravat sarcina peccatorum, quique nos Dei beneficiis saepe indignos praebemus, utique opportunum ducimus, sanctorum suffragiis supplicationes nostras communire.

77. Ad 3. *D.* Et dubium de existentia talium sanctorum aut sanctitatis afficit praxim, quae accidentalis est ac res merae disciplinae, *C.* afficit cultum ipsum *N.* Tot sancti existunt, de quorum existentia aut sanctitate nec ipsi protestantes dubitant, hos propterea tuto invocare poterunt (1).

78. Ad 4. *D.* Si exclusive singulis sanctis aliquod tribueretur beneficium ipsorum intercessione obtinendum, *Tr.* si pro divisione gratiarum, quas, ut loquitur Apostolus, Deus dividit prout vult, unus prae alio invocetur pro singulari dono, quo unusquisque a Deo praeditus est *N.* Frustra propterea hic stylum oratorium exercent protestantes et increduli in recensendis sanctis, qui vel ad peculiares morbos depellendos, vel ad peculiare beneficium impetrandum invocari solent (2).

79. Ad 5. *D.* Sancti impetrare nihil possunt ex meritis praesentibus et propriis, *C.* ex meritis Christi, vel meritis propriis antecedentibus, seu verius ratione amicitiae et charitatis perfectae, qua cum Deo copulantur *N.* Neque enim docent catholici, sanctos gratias a Deo obtinere merito stricte sumpto seu *de condigno*, ut vocant; sed solum docent eos impetrare precibus suis merito *de congruo*, quod fundatur in amicitia, qua feliciter cum Deo fruuntur, prout et sancti viventes pariter impetrare possunt.

80. Dices: catholici a B. Virgine, quam interdum *deam* vocant, immediate dona et gratias poscunt; ex. gr. cum ei has preces dirigunt: *Mala nostra pelle; Jesum nobis post hoc exilium ostende* aliasque ejusmodi non paucas, ut cum eam vocant *spem nostram*, etc. Idipsum dicatur de sanctis reliquis.

(1) Atque hic sedulo animadvertendum est, saepe ab adversariis duo permisceri, quae distingui omnino debent, *acta* nempe sanctorum et sanctorum, quorum acta proferuntur, existentiam. Fieri enim potest ut acta spuria sint, sancti autem reipsa extiterint, ex. gr. omnes fere critici recentiores tamquam supposititia habent acta s. Dionysii Areopagitae, s. Mariae Magdalenae, s. Marthae, etc. num propterea ex eo, quod ejusmodi acta uti spuria rejiciuntur, dubitare poterimus de existentia aut sanctitate Dionysii, Mariae Magdalenae aut Marthae? Porro, quod his contigit, pluribus aliis sanctis contingere potuit. Praeterea distingui debent sancti, qui invocantur aut colantur ab universa ecclesia, ab iis, qui cultum non obtinent nisi in ecclesiis particularibus. De nonnullis istorum forsitan aliquando dubium suboriri posset; ast de primis nonnisi summa temeritate dubitaretur.

(2) Albert. Fabricius, *Bibliographia antiquaria*, cap. 8, § 23 et seq. plures insumit pagiuas in catalogo texendo sanctorum tutelarium, et praefecturae, ut ipse vocat, sanctis in ecclesia romana tributae. Ex eo proinde pronum fuit scriptoribus protestantibus, qui eum subsecuti sunt, repertorium quaerere, ut illuderent catholicis. Ast ejusmodi ars apud cordatos auctores adeo viluit, ut, si excipias gregarios quosdam nullius nominis scriptores, vix jam reperiatur, qui ad eam confugiat.

81. Resp. Numquam ab ecclesia B. Virginem *deam* esse nuncupatam ; quod si nonnulli eam vocem usurparunt, ab ecclesia improbati sunt (1). Dum vero vel a B. Virgine vel a sanctis dona aut gratias catholici exposcere videntur, semper subintelligitur, mediante ipsorum intercessione (2). Idipsum dicatur de eo, quod opponunt adversarii de *spe* aliisque ejusmodi, quae nullum alium sensum patiuntur (3).

CAPUT IV.

DE RELIQUIARUM CULTU

82. Reliquiarum nomine, severiori sensu seu primario, sanctorum exuvias, cineres, ossa, etc., sensu autem latiori seu secundario, quidquid ex iis, quae ad eos pertinuerunt, ac de se aptum est ad piam eorumdem sanctorum excitandam memoriam, significare consuevimus. Magno istas in honore ac pretio catholici habent, qui propterea insimulantur a protestantibus velut superstitiosi. Germanum ecclesiae sensum circa sacrarum reliquiarum cultum adversus eosdem novatores concilium Tridentinum adstruit his verbis : *Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse* (episcopi doceant) *per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur ; ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra*

(1) Ita respondet auctor protestans articuli citati operis : *Encyclopèdie methodique*, Yverdun 1770 : *Il est pourtant vrai que le titre de déesse est échappé à quelques-uns d' entr' eux, en parlant de la Sainte Vierge ; mais ce n' est pas l' eglise qui a tenu ce langage, ce sont de simples particuliers*, etc.

(2) Juverit et hanc responsionem communire verbis alterius protestantis, nempe Leibnitzii, qui in *Syst. theol.* pag. 160, ita scribit : « Cum invocantur sancti, auxiliumque eorum expetitur, semper subintelligendum; consistere auxilium eorum in precibus, quas pro nobis magna efficacia funduut, quemadmodum et Bellarminus notavit : juva me, Petre aut Paule, nihil aliud significare debere, quam ora pro me, aut juva intercedendo pro me ». Cfr. de hoc argumento Scheffmacher S. J. *Lettres d' un théologien de l' université catholique de Strasbourg, sur les six principaux obstacles à la conversion des protestants*, Strasbourg 1732. *Quatrième lettre, sur l' invocation des saints.*

(3) Si quis cuperet monumenta antiquitatis consulere pro cultu, invocatione et intercessione sanctorum ex re lapidaria, adeat J. B. Gener., *Theol. scholast-dogm.* Romae 1773, tom. IV, pag. 194 et seqq. Plura alia nuper effossa dabunt Cl. Nic. Wiseman *Lectiones circa praecipuas doctrinas et usus ecclesiae catholicae*, Londini anglice 1836, Parisiis et Bruxellis gallice 1839 editae ; tum ejusdem : *Epistolae ad Joan. Poynder*, circa ejus opus : *Papismus in concordia cum paganismo*, Londini 1836, pag. 38 et seqq. Hic adnoto, Middletonio, Poyndero, in parallelismo sive collatione instituenda inter ritus et usus ecclesiae catholicae cum ritibus et usibus ethnicismi, praeivisse Marangonum in op. *Delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso ed ornamento delle chiese*, in 4., Roma 1744, licet mente longe diversa. Adeo verum est, catholicos nihil timere ex ejusmodi parallelismo !

frequentari omnino damnandos esse (mandat sancta synodus), *prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat ecclesia* (1). Totum porro relativum esse ejusmodi sacrarum reliquiarum cultum, jam admonuimus. Ad expositam igitur ecclesiae catholicae doctrinam vindicandam sic accedimus.

PROPOSITIO

Sanctorum reliquiae et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorantur

83. Ad fidem catholicam pertinet ea propositio, ut ex adducta concilii Tridentini declaratione constat.

84. Religiosi autem hujus cultus et honoris vestigia in Scripturis passim reperiuntur. Missa vero facientes quae in V. T. occurrunt (2); Matth. IX, sanata describitur mulier illa haemorrhoissa, quae solam Christi vestimenti fimbriam magna fide tetigit; Act. V, 15, infirmi in plateas ejiciebantur, *ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis* (3); et Cap. XIX, 12, legitur quod *super languidos deferrentur a corpore ejus* (Pauli) *sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur*.

85. Atque hinc factum est, ut ab ipsis ecclesiae primordiis maximo semper in pretio ac honore sanctorum exuvias habuerint Christi fideles. Ne autem confusionem pariat congeries documentorum, quae pro sacrarum reliquiarum cultu exhibent tria priora ecclesiae secula, ea in peculiares classes distribuimus, quae totidem invictissima argumenta suppeditant adversus protestantes.

86. Prima itaque horum documentorum classis complectitur christianorum sollicitudinem in sanctorum reliquiis colligendis, cujus testis est epistola ecclesiae Smyrnensis, quae refert, christianos omnes sollicitos fuisse in colligendis s. Polycarpi reliquiis, *ut communicarent sancto cadaveri* (4), hoc est, ut eas cultu religioso prosequerentur.

(1) Sess. XXV, *De invocatione*, etc.

(2) Exod. XIII, 19, coll. Eccli. XLIX, 18; IV Reg. XIII, 21, coll. Eccli. XLVIII, 14; IV Reg. XXIII, 17, 18.

(3) Ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. Reliqua desunt in exemplaribus graecis.

(4) Κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ, ut habetur apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 15. Quae quidem phrasis desumpta est ex Apostolo, Rom. XII, 13, jubente sanctorum necessitatibus communicare. Hic autem locus in primis notabilis est, ut observat Valesius, quippe qui vetustissimam christianorum consuetudinem, ac praeterea rationem ejus ostendit. Ideo enim reliquias martyrum aliquas habere tanto studio optabant, ut cum iisdem etiam mortuis communicarent. Nec contenti ea communione sanctorum, quam catholica ecclesia profitetur, per fidem scilicet, spem et charitatem, per sacras etiam eorum reliquias et pignora cum ipsis communicare cupiebant. Itaque eorum reliquias in coemeteriis honorifice condebant; ibique quotannis convenientes, anniversarium martyrii diem celebrabant, hac ratione cum defuncto martyre perpetuo communicantes, ut testatur haec ipsa epistola. Certe Optatus, *De schismat. Donatist.* lib. II, pag. 48, edit. Albaspin. Paris. 1631, illud Apostoli, prout olim legebatur, Rom. XII, 13: *Memoriis sanctorum communicantes*, ita interpretatur, ut idem significet quod offerre ad sepulcra martyrum. Nec aliter sumit Hilarius in libro contra Constan-

Id ipsum legimus in actis s. Ignatii M., in quibus ejusdem reliquiae, ingenti cura nec sine vitae discrimine a christianis collectae, vocantur *thesaurus inaestimabilis ecclesiae relictus* (1); ut plurima alia ejus generis omittam. Testes insuper receptae istius sollicitudinis sunt ipsi fidei christianae hostes, qui fassi sunt vereri se, ne christiani, relicto Christo, Polycarpum deinceps adorare inciperent (2); hinc martyrum cadavera, ne a christianis colerentur, gladiatorum corporibus commiscebant, in amphitheatris feris, in aquis piscibus, ut vorarentur, exponebant; ac, ne quidpiam eorum superesset, quod christiani colere possent, eadem comburere et cineres in ventum dispergere consueverunt (3).

87. Altera classis complectitur monumenta erecta super reliquiis sanctorum, cujusmodi erant cubicula, martyria, memoriae, altaria, de quibus late scribit Baronius (4). Inter haec autem monumenta praecipuam venerationem ac celebritatem semper obtinuerunt, quae Romae erecta sunt in honorem apostolorum Petri et Pauli super eorum cineribus. Haec porro a christianis jam tempore s. Zephirini ostendebantur ad confundendos haereticos, ut testatur Eusebius (5). Ossa s. Polycarpi *gemmis pretiosissimis cariora* (ut legitur in citata Epistola ecclesiae Smyrnensis) *et quo-*

tium, sub finem. De hac communione loquitur Marcellinus presbyter, in libello precum ad Valentinianum Imperatorem. Et haec quidem de cultu publico reliquiarum, quae in coemeteriis recondebantur. Fuit et alius mos subsequenti aetate, ut singuli fidelium reliquias martyrum, quascumque nancisci potuerint, domi honorifice servarent. Cfr. Valesius, loc. cit.

(1) Apud *Ruinart Acta Martyrum sincera*, pag. 22. edit. Amstel. 1713: Θησαυρὸς ἀτίμητος τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ καταλειφθέντα. Ubi animadvertendum, ex his ipsis actis constare, tantum extitisse primis fidelibus martyrum reliquias colligendi studium, ut evidenti quandoque se mortis periculo exponerent. Legitur enim ibid. n. v, optasse s. Ignatium, *ut nulli fratrum gravis fieret ob suarum reliquiarum collectionem*. Prudentius describit imaginem a se Romae visam in *catacumbis* martyrii s. Hippolyti, in qua plurimi cernebantur christiani reliquias colligentes. In musaeo christianarum antiquitatum ad Vaticanum omnia asservantur instrumenta, quibus pagani martyres excruciaverunt atque laniarunt; plura item ex illis collecta invenire est in nostro musaeo Kircheriano Collegii Romani; in omnibus fere antiquis hujus Urbis ecclesiis nonnulla suis documentis munita instrumenta occurrunt. Argumento igitur est, christianos antiquiores permagni ea fecisse, imo et in veneratione habuisse, ut aperte liquet ex verbis s. Leonis M. *In Natal.* s. Laurentii: *Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?*

(2) Cfr. epist. cit. eccles. Smyrn. apud Euseb. loc. cit.

(3) Cfr. Trombellius, *De cultu sanctorum*, diss. VII et VIII.

(4) Ad annum 226, a n. 7 ad 12. Plura etiam in hanc rem scribit auctor minime suspectus, cl. D'Agincourt, *Storia dell' arte coi monumenti*, Prato 1826, vol. II, circa cubicula, martyria, confessiones, quae in subterraneis Romanis inveniuntur, cum omnibus insignibus cultus catholici, quem ecclesia hactenus oppressa tyrannorum impotenti dominatu, tamquam suavitate veri temporis hilarata, e situ ac latebris explicare coepit, ac lacertos suos exerere, hoc est, palam dogmata sua et instituta proferre.

(5) *Hist. eccles.* lib. II, cap. 25.

vis auro pretiosiora sepulta sunt, ubi decebat. Quo in loco convenientibus christianis ejus martyrii diem celebrabant (1).

88. Tertia classis exhibet studium primorum christianorum atque ecclesiae universae in secernendis martyrum cineribus a reliquorum fidelium exuviis. Ut enim distinguerentur martyrum corpora solebant apponere super eorum sepulchris palmae effigiem, interdum vero piscis aut columbae, una cum vasis vitreis seu ampullis plenis sanguine, ut apud Bosium (2), Aringhium (3) videre est, atque Boldettum, qui insuper eadem signa velut specificas martyrii notas adstruit ac tuetur adversus Mabillonium et Papebrochium (4). His saepe adjiciebant inscriptiones ac monogrammata, de quibus pariter data opera scripsit citatus Boldetti.

89. Quarta demum classis comprehendit obsequia, quibus primi christiani sanctorum reliquias prosequebantur. Haec autem erant sacrificia, quae in ipsorum honorem Deo offerebantur super eorum sepulcris, ut ostendit laudatus auctor (5). Hujus consuetudinis monumenta indubia exhibent acta s. Stephani Papae (6) et *Constitutiones apostolicae* (7). Inter haec obsequia et actus summae venerationis erga martyrum reliquias recenseri debet osculum, quod imprimebatur martyrum ossibus, quodque celebre evasit ex historia donatistarum. Nam ob indiscretam Lucillae factiosae feminae devotionem, quae os cujusdam martyris non vindicati ante sacram synaxim deosculabatur, originem habuit dirissimum illud schisma, quod per tria integra secula ecclesiam Africanam afflixit (8); idem dicatur de osculo, quod imprimebatur martyrum vinculis (9). Porro osculum, ipso Beausobrio fatente (10), nisi ratio habeatur in-

(1) Cf. Bened. XIV, *De beat. et canoniz. sanctorum*, lib. I, cap. 2.

(2) *Roma sotterranea*, lib. I, cap. 20, et lib. III.

(3) *Roma subterranea novissima*, tom. II, lib. IV, cap. 48.

(4) *Osservazioni sopra i cimiteri de' santi martiri*, lib. I, cap. 38 et seqq., praesertim vero cap. 45.

(5) Ibid. cap. 10.

(6) Apud Bolland. die 2 Augusti, edit. Antverp. tom. I, mensis Aug. pag. 143.

(7) Apud Coteler. op. cit. tom. I, lib. VI, cap. 30, p. 358, ubi legitur: Συναθροίζεσθε ἐν τοῖς κοιμητηρίοις, τὴν ἀνάγνωσιν τῶν ἱερῶν βιβλίων ποιούμενοι, καὶ ψάλλοντες ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων μαρτύρων καὶ πάντων τῶν ἀπ' αἰωνος ἁγίων, ... Εὐχαριστίαν προσφέρετε ἔν τε ταῖς ἐκκλησίαις ὑμῶν, καὶ ἐν τοῖς κοιμητηρίοις. Id est: *Congregamini in coemeteriis, lectionem sacrorum librorum facientes, atque psallentes pro defunctis martyribus et omnibus a seculo sanctis . . . . eucharistiam offerte in ecclesiis vestris et in coemeteriis*. Cfr. ejusdem Cotelerii notae 72 et 73; etenim plura alia affert documenta hujus antiquae consuetudinis, et exponit, quo sensu diceretur olim *psallere* et *offerre pro martyribus*, ostenditque pluribus documentis, id perinde esse ac psallere et offerre Deo in gratiarum actionem ob victoriam ipsis concessam, eis gratulari, etc.

(8) Cfr. Optatus Milevit. *Hist. schism. donat.* lib. I, pag. 40. edit. cit.

(9) Cfr. Mamachius, *Origin. et antiquit. Christ.* tom. I, lib. I, § 27; Ruinart. *Praef. gener. in acta Martyrum sincera*, § 70.

(10) *Hist. de Manichée et du manichéisme*, tom. II, pag. 661, ubi de osculo scribit: *Le baiser fut chez les anciens idolâtres une des cérémonies de l'adoration*; et pag. 663: *La cérémonie de bai-*

tentionis illud imprimentis, summus erat ex natura sua venerationis et adorationis gradus. Concludendum igitur, ex his omnibus aliisque non paucis, quae consulto, ne longior sim, silentio praetereo, colligi, aut universam ecclesiam ab ipso aevo apostolico, ac proinde ab institutione sua, idololatram ac superstitiosam fuisse, quod nec adversarii admittunt, aut piam sanctamque esse sacrarum reliquiarum venerationem, quam ex apostolica traditione semper ecclesia professa est.

90. Ad haec accedit ratio ipsa, quae ex intima rei natura, atque ex communi sensu ac agendi ratione petitur. Fieri enim non potest, ut quempiam ob dotes, quibus fulget, aut gradum, quem obtinet, aut praeclaram virtutem, qua excellit, amore atque existimatione prosequamur, quin simul in pretio habeamus, quae ad eum spectant et ejus excitant recordationem. Quare vel ipsi protestantes summo studio sibi comparant, quod noverint ad aliquem clarissimorum virorum, qui magnam de se excitarunt admirationem, pertinuisse, ac de illius possessione gloriantur (1). Quidni igitur idem feramus judicium quoad illos, quos novimus omni virtute excelluisse, et amicos Dei fuisse, ac praeterea cum Deo regnare credimus? Religio suppeditat incitamenta, ut in pretio habeamus sanctorum exuvias, qualia profecto nulla alia aut moralis aut politica virtus suppeditare potest. Docet enim nos, eas ad illos spectasse, qui viva jam fuerunt membra Christi Jesu ac templa Spiritus Sancti, eas olim fore excitandas, ut una cum animabus in coelis gloria aeterna coronentur. Promovet praeterea reliquiarum sacrarum cultus in Christi fidelibus ardens studium sanctos imitandi. Hinc Deus ipse ad hunc cultum magis ac magis honestandum innumera prope ac ingentia miracula patravit; quorum testes oculatos se exhibent patres gravissimi atque sanctissimi, Ambrosius, Augustinus, uterque Gregorius, Joannes Chrysost., Hilarius, Paulinus, Asterius, Theodoretus, Eulogius aliique permulti, quos recenset ac expendit Petavius (2), quique ea referunt ut facta vulgatissima et coram populi immensa multitudine quandoque patrata (3).

91. Quod demum spectat ad validis-

ser jusqu' au pavé des temples était le plus haut degré de l' adoration, et la plus profonde humiliation où une pure creature raisonnable pût descendre.

(1) Profecto, cum ipsi in Italiam veniunt magna sedulitate inquirere solent aliquid ex iis, quae olim ad aliquot praestantiorum virorum pertinuerunt, adeo ut secum deferant vel ipsorum libros, vel chartulas, aut instrumenta, imo etiam quidpiam parietis ex cubiculo, quod illi incoluerunt, aut aliquid ejusmodi. Nonne protestantes praeterea in summo pretio habent quae ad Lutherum quondam spectarunt, atque inter cetera atramentarium quod ille jecit in daemonem cum ab eo perterrefactus est? Cfr. Audin *Vie de Luther.* tom. I.

(2) *De Incarn.* lib. XIV, cap. 13 et seqq. Cfr. etiam Ruinart, cap. I, § 71; Mabillon, *Praef. in sec.* II *Benedict.* n. 70 et seqq.

(3) Hic porro animadvertendum est, argumentum, quod ex miraculis ducitur a Deo patratis per sanctorum reliquias, huc demum referri, ut necesse sit aut nos fateri, reliquiarum venerationem omni superstitione vacare ac Deo acceptam esse, aut *ad unum* omnia, quae perhibentur, miracula per sanctorum exuvias patrata rejicere tamquam totidem fabulas. Posteriorem hanc dilemmatis partem amplexi sunt Dallaeus, Middleton et Gibbon cum Beausobre. Ast praeterquam quod haec agendi ratio nos cogit admittere aut hebetudinem atque mentis stuporem, qui vel puerum dedeceret, aut *fraudem* ac manifestam *syco-*

simum praescriptionis argumentum, quod exurgit pro sacrarum reliquiarum veneratione ex usu seu praxi ubique recepta in universa ecclesia seculis IV et V, et confessione ipsorummet protestantium, recolantur quae Cap. I, Prop. II, adnotavimus, cum huc pariter referantur.

DIFFICULTATES

92. I. Obj. 1. Deus Moysis corpus abscondit, ne ab Hebraeis coleretur; ergo facto ipso ostendit, nullum cultum sanctorum cineribus esse deferendum. 2. Et revera Christus pharisaeis exprobrat erectionem monumentorum in honorem prophetarum his verbis: *Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta justorum*, Matth. XXIII, 29; ergo.

93. Resp. ad 1. *D. A.* Abscondit Deus corpus Moysis, ne a Judaeis cultu superstitioso coleretur, *Tr.* ad damnandum reliquiarum cultum *N.* Transmisimus autem primum distinctionis membrum, cum non certo constet, quo demum fine Deus voluerit latere Moysis sepulcrum; cum ipsemet seu per Angelos Moysis corpus sepeliverit, ut ibid. legitur (1). Verum et hoc dato, cum nimis populus ille propensus esset ad idololatriam, ideo recte Deus voluit quodcumque objectum scandali ab oculis ejus removere.

94. Ceterum accurate dogma a disciplina distinguendum est; illud nobiscum retinebant Hebraei, licet circa usum aut disciplinam, qua actu alicujus prophetae aut sancti alterius viri reliquiae honorantur, diversa ratione se gesserint ob motivum nuper allatum. Sanctorum porro reliquias honore dignas esse, non semel Deus in V. T. factis ipsis significavit; ut cum ad contactum ossium Elisaei mortuum excitavit, IV Reg. XIII, 21, de quo Eccli. XLVIII, 14, dicitur: *Mortuum prophetavit corpus ejus;* aut cum per Eliae pallium Jordanis fluenta divisit, IV Reg. II, 14. Quod cum optime intellexerit Josias, cum pervenisset ad sepulcrum prophetae, qui altaris Bethel destructionem praedixerat, dum ceterorum cineres dispergeret, venerationis gratia erga virum sanctum intactum ipsum reliquit, dicens: *Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus*, ibid. XXIII, 18. Spectata tamen illius populi indole, temperamento quodam opus erat circa rationem ejusmodi honorem ac venerationem tribuendi (2).

95. Ad 2. *D.* Id est, hypocrisim ac

phantiae notam in tot sanctissimis ac doctissimis viris, Ambrosio scilicet, Augustino, Hilario, Paulino, Joan. Chrysostomo, Asterio, Theodoreto, Eulogio aliisque prope innumeris, qui omnes spectatissimi sunt antiquitate integritate eruditione ac doctrina; num omnia, quae referuntur miracula censeri debent impossibilia, inverisimilia et absque exemplo in sacris Litteris? Qui voluit honorem conciliare Petro et Paulo adhuc in *carcere mortis hujus* detentis, ita ut ingentia patrata fuerint prodigia ad umbram Petri (Act. v) et ad contactum semicinctiorum corporis Pauli (Act. XIX), non potuit eadem operari per *vasa possessa in honorem* usque ad mortem ab his ipsis sanctis, postquam eos in coelis coronavit? Quid in hoc, quod fidem superet aut risum moveat, excogitari potest? Cfr. Fratres De Walemburch, *De unitate eccles.* lib. XII, cap. 29, tom. II, Colon. Agrip. 1671. Cfr. etiam Petav. loc. cit.

(1) Cfr. Nat. Alex. *Diss.* XXV *in sec.* V, quaest. I, assert. I.

(2) Cfr. Fratres De Walemburch, loc. cit. § 15 et seqq.

perversam eorum agendi rationem, *C.* erectionem ipsam in se spectatam *N.* Ut colligitur ex verbis Christi immediate sequentibus: *Et dicitis: si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.... et vos implete mensuram patrum vestrorum*. Apposite propterea s. Joan. Chrysost. ita Christi Domini objecta verba exponit: *Non quia aedificant, nec quia patres suos accusant, vae illis dixit; sed quia ita facientes et ita docentes, patres suos condemnare audebant, cum ipsi pejora committerent* (1). Sane numquam improbatus fuit Simon eo quod parenti suo Mathathiae ac fratribus suis magnificum extruxerit sepulcrum in Modin, I Mach. XIII, 27 et seqq.

96. II. Obj. 1. Altum extat circa sacrarum reliquiarum venerationem silentium apud patres trium priorum seculorum, etsi dimicare deberent adversus gnosticos martyriorum refragatores. 2. Nec nisi tardius inductus est ritus condendi reliquias martyrum sub altaribus, eas gestandi in publicis supplicationibus aut in thecis collocandi, sed statim terrae mandabantur a vetustissimis christianis martyrum corpora, ac diligentissime sepeliebantur. 3. Quinimo patres ethnicis exprobrabant sepulcrorum et mortuorum religionem, altarium et templorum super sepulcris consecrationem, ut Clemens Alex. (2), Tertullianus (3), Minutius Felix (4), aliique passim; ergo ex ethnicis superstitiosus hic cultus ad ecclesiam pervenit.

97. Resp. Ad 1. *D.* Quod tamen silentium abunde supplent facta publica ac testatissima, quae superius commemoravimus, *C.* aliter *N.* Longe profecto validiora sunt ad aliquid probandum facta ipsa, quam singularia testimonia; innumera porro facta, tribus prioribus ecclesiae seculis, ac documenta occurrunt, quae invicte ecclesiae fidem ac praxim per id temporis obtinentes circa sacrarum reliquiarum venerationem ostendunt, ut ex allatis probationibus evincitur. Nec aliter patres sentire potuisse circa ejusmodi cultum, vel ex eo probatur, quod inseparabilis sit sacrarum reliquiarum veneratio a veneratione, quam hi ipsi patres erga sanctos profitebantur; altera enim ex altera profluit, ita rei ipsius natura exposcente.

98. Quod si haereticis resurrectionem impugnantibus non opposuerunt patres receptum reliquiarum cultum, ideo est, quia ipsum urgere non poterant adversus illos, qui indirecte saltem rejiciebant pariter dogma istud, cujus velut fundamentum est futura corporum resurrectio. Idipsum dicatur de iis, qui adversus gnosticos disputabant. Etenim, si gnostici martyriis refragabantur, a fortiori oppugnare debebant martyrum cultum eorumque reliquiarum venerationem (5).

99. Ad 2. *D.* Ita exposcentibus rerum adjunctis, non omnes ritus qui postea obtinuerunt, adhibebantur in reliquiarum veneratione, *C.* illi saltem ritus non viguerunt, quos rerum adjuncta patiebantur *N.* Et hic pariter distingui

(1) *Hom.* LXXIV *in Matth.* alias LXXV, n. 1. Οὐχ ὅτι οἰκοδομοῦσιν, οὐδ' ὅτι ἐγκαλοῦσιν, ἐκείνοις οὐαὶ φησιν, ἀλλ' ὅτι καὶ ταύτῃ καὶ δι' ὧν λέγουσι παταγινώσκειν προσποιούμενοι τῶν πατέρων, χείρονα πράττουσιν.

(2) In *Protreptico adv. gent.*

(3) Lib. *De idol.* cap. 13.

(4) In *Octav.*

(5) Cfr. Muratorii *Dissert. de sanctorum mart. natalibus*, Mediol. 1697, tom. 1, *Anecdot.* p. 195.

debet dogma a disciplina. Idem tribus prioribus seculis dogma viguisse post allata documenta in dubium revocari nequit. Disciplina autem, ad quam ritus diversi referuntur, varia esse potest, prout postulant aut ferunt diversa temporum, locorum, aut personarum adjuncta. Jam vero quomodo potuissent primi Christi fideles, dirissima saeviente persecutione, in publicis supplicationibus deferre martyrum reliquias? Cavere praeterea debebant a nonnullis ritibus usurpandis, ne ethnicis, inter quos agebant, ansam eos calumniandi praeberent. Quae tamen pro temporum angustiis praestare potuerunt ad propria sensa erga sacras reliquias patefacienda, non omisere, ut superius dicta ostendunt. Data autem ecclesiae pace, illico publicas hujusmodi cultus testificationes varia ratione exhibuerunt, iis ipsis probantibus, qui ad tertium seculum pertinuerunt (1).

100. Ad 3. *D.* Veteres patres mortuorum ac sepulcrorum religionem ethnicis exprobrabant, utpote ex propriis eorum principiis superstitiosam, *C.* in se *N.* Ethnici siquidem ideo illa omnia circa suorum mortuorum sepulcra praestabant, quod putarent illorum animas oberrare circa sepulcra, *aut daemones sive genios ac deos esse*, ut tradit s. Augustinus (2); qui praeterea refert paganos templa et aras mortuis extruxisse et dicasse velut numinibus (3); quae profecto longe absunt a catholicorum fide.

101. Ad id vero quod addunt adversarii de ritibus, quos ecclesia ab ethnicis mutuata est, reponimus, etsi fateremur, aliquot ex ritibus, quibus sanctorum reliquias cultu prosequimur, cum ethnicorum ritibus aliquando fuisse communes, vel ab ipsis ad christianos pervenisse nihil tamen inde proficere adversarios. Ritus enim, ut ita dicam, materiales, seu per se, indifferentes sunt, totamque moralitatem suam ab objecto, adjunctis ac fine illos usurpantium desumunt. Cum igitur eorum objectum mutatum sit, cum diversa plane sit mens, diversus sit finis, quem sibi christiani in iis ritibus proponunt, evidens est, identitatem rituum, si quae sit, nulla ratione catholicorum cultui derogare. Sane Middletonius cum Spencero censet, judaicos ritus longe ante ab Ægyptiis fuisse usurpatos, atque a Moyse, Deo jubente, fuisse adoptatos (4). In hac hypothesi cultus praedilecti populi Dei juxta principia, quae

(1) Innumera prope habentur documenta, quibus constat, vix data per Constantinum ecclesiae pace illico summo honore ac publico cultu sanctorum reliquias ubique prosecutos christianos fuisse. Huc referuntur expostulationes Fausti ac Vigilantii, qui aegre ferentes, sanctorum exuvias tot honoris significationibus coli, criminati sunt ecclesiam, quod verteret idola in martyres. Audiatur s. Hieronymus, scribens adversus Vigilantium, n. 5: *Dolet* (Vigilantius) *martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium . . . Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Constantius imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim?* etc. Alia plura vid. apud Fratres De Walemburch, loc. cit.

(2) *De civit. Dei*, lib. IX, cap. 11.

(3) Ibid. lib. ult. cap. 10.

(4) Joan. Spencerus, *De legibus hebraeorum ritualibus*, lib. III, edit. 3, Lips. 1705. Quem librum dissertationibus octo satis prolixis absolvit, ad evincendum, ritus et mores gentium in legem fuisse translatos, item sacrificia, purificationes, neomenias, arcam et cherubim, templum, urim et thummim, hircum demum emissarium. Hoc porro constituto,

adversarii adversus catholicos urgent, fuisset impurus, superstitiosus ac sacrilegus, quod tamen negant. Ex confessione praeterea ipsius Gibbonii satius fuisset indulgere victoribus christianis, ut, per sacros ritus sufficienter purificatis profanorum templorum parietibus, cultus veri Dei expiaret vetus idololatriae crimen, qua ratione servata fuissent insignia illa antiquitatis monumenta (1); quod reipsa pluribus templis factum est (2). Jam vero quod in templis, id in multis pariter gentilium superstitionibus contigit, inquit Card. Baronius (3), ut earum usus sacris ritibus expiatus et sacrosanctus redditus in Dei ecclesiam laudabiliter introductus sit. *Deus enim*, apposite inquit s. Joan. Chrysostomus, *ob deceptorum salutem se coli passus est per ea, per quae daemones illi ante coluerant, aliquanto in melius inflectens, ut eos paulatim a consuetudine reduceret, et ad altiorem philosophiam perduceret* (4). Quare Beausobrii, Middletonii aliorumque, qui eos exscripserunt inopportuna eruditio est, siquidem invicta semper manet responsio Hieronymi ad eamdem Fausti ac Vigilantii expostulationem, quam denuo in nos intorquet Gibbonius: *Vertitis idola in martyres. Quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est* (5).

102. III. Obj. 1. Superstitiosum est,

illud validissimum in rem nostram conficimus argumentum: vel Spencerus opere suo propositum, quod sibi praestituit, assecutus est, ostendendo rituum mosaicorum et aegyptiacorum identitatem, vel non: si primum dicas, ergo, infero, identitas rituum paganorum cum ritibus a Deo probatis imo et adscitis non officit religionis sanctitati, ita ut tamquam superstitiosa haec haberi possit; sin alterum affirmes, ergo similitudo, quae intercedit inter ritus profanos et sacros tanta esse potest, ut identici videantur, nec tamen inferri possit, alios ab aliis depromptos fuisse aut derivatos; neque similitudo, aut etiam identitas materialis rituum ullam arguit inter ipsos necessitudinem, ut propterea ritus, quos usurpat ecclesia catholica in sanctorum cultu, accusari queant superstitionis aut idololatriae. Quocumque se vertant adversarii, huc demum deveniendum est. Perperam igitur Beausobrius et Middletonius cum gregariis auctoribus, qui eos secuti sunt, adlaborarunt in parallelismo instituendo inter ritus paganos et ritus catholicos, ut hos insimulent superstitionis et idololatriae reos.

(1) Op. cit.

(2) Romae reipsa potissimum servata sunt ethnicorum templa ea ratione expiata, inter quae eminet Pantheon. Sed consulendus de hoc argumento Joan. Marangoni, op. cit. *Delle cose gentilesche*, etc. capp. 43, 44, 51, 52, 53, 54, 55, ubi innumera fere recenset. Cfr. etiam D'Agincourt, opp. cit. tom. II, pag. 53 et seqq.

(3) In *Not. ad Martyrol. Rom.* die 2. febr. Cfr. idem, in *Annal. ecclesiast.* ad annum 45, num. 23 et seq.

(4) Cfr. erudita Dissert. P. Fassini, *De veterum quorumdam christianorum nominibus*, Venet. 1772; vid. etiam Muratorii dissert. XVIII, *De veterum christianorum sepulcris*, tom. I, *Anecdot.* pag. 185 et seqq. et Saxius, *Diss. de ss. Gervasii et Protasii corporibus*.

(5) *Lib. cont. Vigilant.* n. 8. opp. edit. Vallars. tom. II. Hic porro notandum est, ss. patres, dum adstruunt cultum sanctorum eorumque reliquiarum, sollicite patefacere Christi fidelibus ingens discrimen, quod intercedit inter cultum, quem Deo, et cultum, quem sanctis deferebant. Inter ceteros s. Au-

mortuorum ossa et cineres venerari, in quibus nulla est excellentia, etiam si verae omnes ac genuinae sanctorum, quae circumferuntur, reliquiae supponerentur; 2. sed quot suppositiliae? 3. Quotnam abusus in earum cultum irrepsere? Ergo.

103. Resp. Ad 1. *D.* Non habent mortuorum ossa ac cineres excellentiam, ob quam per se et cultu absoluto colantur, *C.* ob quam colantur cultu relativo *N.* Habent enim sanctorum exuviae excellentiam relativam, quia, ut superius innuimus, fuerunt corpora eorum, qui viva Christi membra extiterunt et Spiritus Sancti templa, quique nunc jam beata immortalitate potiti cum Christo regnant; propterea et ipsae aliquando ad aeternam vitam excitandae sunt et glorificandae. Hinc fit, ut, quemadmodum absque stultitiae labe, uti cara pignora habemus res eorum, quos vel absentes vel extinctos adhuc diligimus, ita absque labe superstitionis honore

gustinus, ut refelleret Faustum, qui immerito idololatriae catholicos insimulabat eo quod sanctos eorumque exuvias magnifico rituum apparatu colerent, in medium affert argumentum ineluctabile petitum ex sacrificio, quod semper spectatum fuit universali omnium consensu tamquam nota specifica ad recognoscendam et colendam divinitatem. Affirmat propterea s. Doctor, a christianis sacrificium soli Deo offerri, numquam autem sanctis. Libro siquidem XX, *Cont. Faust.* cap. 21, fidenter interrogat: « Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem et in illos quos imitari possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei . . . sed illos tanto devotius quanto securius post superata certamina ». Cum Beausobrius hoc se argumento premi persentiret, nullam aliam evadendi viam invenit, quam inficiandi aetate s. Augustini panis et vini eucharistici oblationem velut sacrificium creditam fuisse. Ast in hac hypothesi s. Doctor responsum dedisset Fausto sensu communi destitutum. Cfr. Murator. *De rebus liturgicis*, cap. 16 et seqq. ubi luculenter ostendit adversus Basnagium perpetuum utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis consensum in profitendo dogmate de veritate sacrificii in eucharistiae oblatione. Extat haec dissertatio in op. cit. vol. 1. Cfr. etiam dissertatio III Touttée *De doctrina s. Cyrilli Hierosolymit.* cap. 12. Jam vero juxta Beausobrium: *Les idées de s. Augustin sur le culte des martyrs . . . sont assez pures (Hist.* etc. tom. II, pag. 681*)*; *mais nous nous tromperions infiniment, si nous jugions par là des idées et de la pratique des peuples. Il en était du christianisme des s. Augustin, comparé à celui des peuples, comme du paganisme des philosophes comparé de même à celui des peuples*. Id est, nos falleremur existimantes, omnes christianos IV et V seculi fuisse totidem Augustinos in theologiae doctrina et peritia: aut, inter haereticos vel etiam nonnullos inter catholicos extitisse, *qui luxuriosissime super mortuos biberent* (Aug. *de Mor. eccl.* cap. 39), verissimum est. Ast pastorum et populorum coetui non fuisse ideas satis puras circa cultum martyrum eorumque reliquiarum, hoc constanter negamus; neque unquam aut Beausobrius aut Gibbonius contrarium evincent. S. Augustinus non de se solum, sed generatim dicit: *Quis antistitum*, etc. et alloquens gregem suum: *Quando audistis? . . . numquam audistis, non fit, non licet (Serm. de divers.* CI, cap. 7). Quid porro commune habent pauci otiosi philosophi sine missione, sine auctoritate, sine populis sibi commissis, patria et aetate inter se remotissimi cum prodigioso doctorum et pastorum numero ecclesiae catholicae, ut conferri inter se possint?

prosequamur, seu cultu relativo veneremur eorum corpora, quorum praeclara gesta suspicimus et quibus adeptam gloriam gratulamur.

104. Ad 2. Aliquot martyrum aut sanctorum reliquiae vel dubiae vel suppositiae sunt, *Tr.* omnes, aut quot saltem adversarii fingunt *N.* Hoc vero satis est. Haec porro difficultas non attingit cultum ipsum, quem adstruimus, sed praxim. Ecclesia autem semper sollicita fuit in veris a dubiis ac falsis reliquiis secernendis. Tridentina synodus, sess. XXV, decrevit, non esse *novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante episcopo*, et quidem cum iis cautionibus, quas sapienter praescribit. Impossibile porro est omnes omnino fraudes, quae irrepere possent, praecavere. Ceterum cum his cultus, totus relativus sit, ut saepius monuimus, nullum detrimentum aut fidelium pietas aut religio capere possunt. Apposite Leibnitzius: *Quoniam*, inquit, *pii tantum affectus res est, nihil refert, etiamsi forte contingeret, reliquias quae pro veris habentur supposititias esse* (1). Atque hoc quidem in hypothesi adversariorum. Ceterum tot falsae non habentur, quot ipsi comminiscuntur (2).

105. Ad 3. *D.* Abusus irrepserunt ex parte privatorum et ideo tollendi ac corrigendi sunt, *C.* ex parte ecclesiae *N.* Religionis corruptelam quovis tempore ecclesia detestata est et emendare curavit. Addo nihil esse quo interdum homines abusi non sint, aut saltem abuti nequeant. Stultum porro consilium esset, velle rem ipsam tollere ad abusus omnes praecavendos, qui vel humana imbecillitate vel ex destinata malitia oriri possent.

CAPUT V.

DE SACRARUM IMAGINUM USU AC VENERATIONE

106. Ex praescripto concilii Tridentini imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim habendae ac retinendae sunt, eisque debitus honor et veneratio impertienda: *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur* (3). Quoniam vero ex sacrarum imaginum hostibus alii, usum ipsum imaginum insectantes, eas destruebant, et *Iconoclastae* propterea nuncupati sunt, alii vero, illarum usum admittentes, ad templorum ornatum et decorem vel historiam, cultum tantum ac veneratio-

(1) *Syst. theol.* pag. 198. Et hinc ruunt omnes declamationes nonnullorum protestantium, praesertim vero Breckenridge in cit. controversia.

(2) Cfr. in hanc rem *Dissertazioni del P. Anton Maria Lupi, poste in luce da Franc. Antonio Zaccaria*, Faenza 1785, tom. 1, diss. 1; ubi, § 125 et seqq. praeclare et erudite ostendit, falsum esse, quod a Burneto aliisque cum eo scriptum est in locis subterraneis (vulgo *catacombe*) sepultos fuisse paganos: neque confundi debere coemeteria christianorum cum *puticulis* ethnicorum Romanorum.

(3) Sess. XXV.

nem impugnent, quique *Iconomachi* vocantur, cujusmodi sunt recentiores protestantes, idcirco adversus utrosque doctrinae catholicae vindicias sumere debemus. Ne tamen dicendorum copia confusionem ingerat, in duas propositiones rem totam dispertiemur in quarum altera ex Scriptura, in altera vero ex Traditione probationes catholici dogmatis promemus.

PROPOSITIO I.

Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse sacrae litterae ostendunt

107. Ac primo quidem ad sacrarum imaginum usum quod attinet, illum Dei ipsius mandato in V. T. obtinuisse, constat ex iis, quae Exod. XXV, 18 et 19, leguntur; cum scilicet Deus jussit duos extrui aureos cherubim ex utraque tabernaculi parte et super arcam testimonii, dicens: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero.* Sic Num. XXI, 8. mandavit Dominus Moysi, ut faceret serpentem aeneum ac poneret *eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet*, ut ibidem legitur. At vero serpentem aeneum Christi in crucem elati signum seu imaginem fuisse, declarat ipsemet Salvator noster, Joan. III, 14, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Porro, si licitus ac salutaris fuit veteris figurae usus, quae futuram Christi passionem obumbrabat, cur noxius erit et illicitus usus imaginis Christi in cruce passi?

108. Non minus luculenter eaedem sacrae Litterae licitam ac piam evincunt earumdem imaginum venerationem. Arcam enim, quae Dei praesentiae symbolum prae se ferebat, maxima veneratione prosecutos esse veteres Hebraeos, inter cetera Josue exemplum ostendit, qui, ut legitur Jos. VII, 6: *Scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israël.* Magno praeterea apparatu ac religiosa pompa eamdem arcam a Davide publica ac solemni supplicatione translatam primum e domo Abinadab ac deinceps de domo Obededom in civitatem David exhibet liber II Reg. cap. VI. Quinimo ex Ps. XCVIII, 5, patet, cultum istum erga arcam Domini ex Dei ipsius mandato quodammodo profluxisse, iis verbis: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Scabelli* autem nomine arcam significari, constat ex I Paral. XXVIII, 2, ubi David de seipso dicebat: *Cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri.* Vel itaque dicendum, licitum ac pium, ideoque omni prorsus idololatria ac superstitione immunem esse imaginum usum ac venerationem, vel idololatriam ac superstitionem a Deo ipso praescriptam et commendatam fuisse; quod si postremum hoc absurdum ac impium cogitatu est, immerito ac per summam calumniam iconomachi protestantes ineptis obtrectationibus quotidie catholicis insultant, eosque traducunt tamquam totidem idololatras ac superstitiosos, eo quod imaginibus Christi, Deiparae ceterorumque sanctorum honorem illum deferunt, quem Deus ipse quoad arcam et propitiatorium et verbis et factis in sacris Litteris commendavit (1). Constat igitur ex dictis sacra-

(1) Dolendum plane est, aetate hac nostra, in tanta nempe bonarum artium, scientiarum ac omnigenae eruditionis copia, quam extollunt praesertim protestantes, inveniri adhuc,

rum imaginum usum et venerationem licitam ac piam sacras Litteras perhibere; quod primum nobis ostendere propositum erat.

DIFFICULTATES

109. Obj. 1. Deus, Exod. XX, 4 et seqq. omnem imaginum usum et cultum aperte prohibuit, dicens: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles.* Ergo tam usus quam cultus sacrarum imaginum divinae legi adversatur. 2. Sane si consuetudo est optima legum interpres, cum synagoga ac veteres Judaeorum doctores vi istius praecepti omnem rejecerint cujuscumque imaginis usum ac venerationem, nulla superesse potest dubitatio de sensu hujus primi decalogi praecepti. 3. Ac reipsa hoc sensu mandatum istud patres omnes priorum seculorum interpretati sunt, ut Clemens Alex. (1), Tertullianus (2), Justinus (3), Origenes (4). 4. Praesertim cum imaginibus ac simulacris christianorum ea omnia aptari possint, quae paganorum idolis cum prophetis patres citati exprobrabant, quod scilicet eadem materia constarent ac vascula communia; quod insensibilia ac irrationabilia essent; quod denique super illis mures hirundines araneae jocarentur et nidificarent. Ergo.

110. Resp. 1. generaliter. Ergo protestantes, qui saltem sacrarum imaginum ac simulacrorum usum admittunt, infractores sunt primi decalogi praecepti; adductae enim probationes non magis venerationem quam usum ipsum imaginum impetunt. Viderint ipsi, quomodo sibi cohaereant.

111. Resp. 2. Ad 1. *D.* Prohibuit Deus omnem similitudinem et sculptile falsorum deorum vel earum rerum quae pro Deo haberi possent, *C.* omnem omnino similitudinem ac effigiem absolute *N.* Etenim id patet 1. ex contextu, qui ita se habet: *Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem... Non adorabis ea neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Evidens igitur est, hic non agi nisi de imaginibus atque sculptilibus deos falsos astra, aut animalia referentibus, quae tunc temporis ubique gentium ac in Aegypto, et a Zabienis praesertim colebantur; ad quas idololatriae species hic textus manifeste alludit (5). Ab his autem deterrere Deus populum suum vo-

qui obsoletas naenias refricent de idololatria in cultu catholico, prout factum vidimus a ministris genevensibus in opere eorum, *Catéchisme sur les principales controverses que nous avons avec l'église Romaine*, 1821. Multo vero magis mirum esse debet, haec obtrudi ab hominibus, qui rejiciunt mysteria omnia Trinitatis, Incarnationis, divinitatis Christi Domini, peccati originalis, seu ab iis, qui purum deismum ac rationalismum profitentur.

(1) *Stromat.* lib. v.

(2) *Lib. de Spectac.* cap. 13 et *Lib. de Idololat.* cap. 3.

(3) *Dialog. cum Tryphone.*

(4) *Cont. Celsum*, lib. IV. Horum singulorum testimonia a Dallaeo post alios plures objecta cfr. apud Nat. Alex. *Diss.* 5. *in sec.* 8, tum apud Petav. *De Incarn.* lib. XV, cap. 6.

(5) Si hanc expositionem confirmaremus auctoritate catholicorum, utpote suspectam rejicerent adversarii. Placet itaque eam commu-

lebat. Agitur propterea de cultu latriae et absoluto, qui nihil commune habet cum dogmate catholico de imaginibus Christi aut sanctorum, quae coli non debent nisi cultu relativo.

112. Patet 2. ex eo, quod verba ista unum idemque mandatum constituant de uno Deo colendo, ad deorum, quicumque demum ii fuerint, eorumque simulacrorum exclusionem; alioquin non decem, sed undecim essent Decalogi praecepta (1).

113. Patet 3. ex facto; etenim si Deus quodcumque omnino sculptile vel similitudinem aut imaginem fieri prohibuisset hoc praecepto, profecto neque

nire auctoritate doctorum protestantium. Rosenmüller in *scholiis V. T.* in hunc loc. sic scribit: « Hac lege ostendere voluit Deus Israëlitis, se variarum religionum mixturam et praeter suum etiam aliorum deorum cultum nullo modo probare. Erat enim haec vulgatissima illorum temporum superstitio, ut homines praeter ejus terrae, quam habitabant, Deum, etiam aliarum deos coli posse ac debere putarent »; et in v. 4, ad illa verba: *Non facies tibi sculptile*, etc., rursum scribit idem auctor: « Facile intelligitur, non omnes vetari imagines, ut quidam interpretes voluerunt, sed tantum imagines tum ipsius Dei veri, tum aliorum deorum; erant enim in ipso templo imagines, e. c. cheruborum. Vid. Michaëlis, *Jus mosaic.* P. V. § 250; Josephus *Antiquit.* lib. III, cap. 5, § 5: Ὁ δεύτερος (λόγος) κελεύει μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν, secundum praeceptum docet nullius animalis simulacrum adorandum. Et sane hoc versu praecipue innui videtur animalium cultus inter Aegyptios usitatissimus. Triplicem, ut ita dicam, Aegyptiorum idololatriam paucis verbis complexus est Philo in libro de Decalogo, etc. ». Demum in v. 5: *Non adorabis ea, etc.* haec habet: « Id est, nullo cultu eos adficies, ne legi fraus fiat. Ut nullam omnino imaginem, quae coleretur, statui voluit Deus, ita non modo inflexionem corporis, sed omnem illarum cultum vetuit, אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנָּא ego sum Jova Deus tuus, Deus perfidiae in ipsum commissae impatiens. Ut קַנָּא de marito dicitur, qui rivalem pati nequit, sic Deus socium in cultu, quem ab hominibus postulat, ferre non potest. Atque hoc ipsum hic significare vult Israëlitis; neque enim se coli tantum jubet, sed se solum; negatque, se passurum sibi alienos deos conjungi, aut partem cultus sibi soli exhibendi in ulla simulacra deorum alienorum transferri ». Vol. II, Lips. 1822. Cfr. etiam Michaëlis, *Jus mosaicum*, p. I, § 33.

(1) Cfr. Bellarm. *De beatificat. et canoniz. Sanct.* lib. II, cap. 7, n. 3 et seqq. Petav. *De Incarnat.* lib. XV, cap. 6, § 3 et seq. ubi et illud probe notat, non esse confundendam imaginem εἰκόνα cum εἰδώλῳ effigie rei non existentis. Cavendum propterea hic a Roberto Stephano, Scapula aliisque lexicographis protestantibus. Ceterum, ut ad illud a quo discessimus redeamus, ipsi protestantes saltem Lutherani nobiscum consentiunt in partitione praeceptorum, ac tria priora ad primam tabulam referunt, septem posteriora ad secundam tabulam; quare et ipsi v. 3, 4 et 5 pro uno eodemque praecepto habent. Hinc ridendum se prodit procax Breckenridge, dum in controversia, quam habuit cum Hughes, n. 4, pag. 35 et alias saepe, insimulat auctores Catechismi Romani, quod suppresserint aliquot verba *secundi*, ut ipse cum suis *reformatis* vocat, praecepti, quo prohibentur imagines earumque cultus. In omnibus editionibus, quas ipse consulere potui, integra reperi illa ejusmodi verba. Ceterum adeo puerilia haec sunt, ut vix commemorari debeant. Effrons hic provocator seculo ad minus toto se a praesentis polemicae statu dissitum, ac non minus catholicae quam protestanticae doctrinae ignarum ostendit.

arcam neque cherubim aut aeneum serpentem fabricari jussisset; multo minus permisisset populum suum prosternere se coram arca, eamque in publica supplicatione deferre.

114. Ad 2. *D.* Si reipsa de hac consuetudine ac praxi non interrupta constaret, *Tr.* vel *C.* si non constet, imo si contrarium documenta ipsa evincant *N.* Porro certum est, antiquiores Hebraeos alio sensu verba decalogi, quae objiciuntur, intellexisse ac deduxisse in praxim. Si enim de usu imaginum sermo sit, luculentum exemplum occurrit, III Reg. VI et VII, in eo, quod fecit Salomon in templo Domini, in quo extruxit cherubim leones ac boves palmas aliaque ornamenta. Deus autem non solum non improbavit ejus agendi rationem, sed gloria ac majestate sua templum implevit (1). Si autem de veneratione loquamur, vidimus, qua ratione se gesserint Josue ac senes Israël et David cum universo populo. Dixi *antiquiores* Hebraeos; nam non abnuimus, synagogam post reditum a captivitate babylonica severiorem hac in parte fuisse; verum id non tam ex vi legis repeti debet, quam ex peculiari sollicitudine, quam habuit, ne populus in superstitionem delaberetur; quaque factum est, ut tum circa hunc articulum tum circa alios non paucos ad firmiorem legis custodiam constitutiones sanxerit, quas rabbini vocant *sepem legis divinae* (2).

115. Ad 3. *D.* Loquuntur citati patres de ethnicorum idolis ac simulacris falsorum numinum, *C.* absolute juxta sensum catholicorum *N.* Ex toto enim contextu patet, scriptores illos agere de idololatria, quam impugnabant; ac proinde tum ex subjecta materia, tum ex adversariorum indole, quos perstringebant, aperte colligitur, ipsos nec verbum habere, quod feriat catholicam doctrinam; prout magis etiam constabit ex inferius dicendis. Quod si nonnulli inter ipsos visi sunt sensisse, per primum decalogi praeceptum omnem reipsa prohibitum fuisse imaginum usum, praeterquam quod non sibi constiterint (3), reponimus, eos de imaginibus Dei locutos esse, prout censet Natalis Alex.; quod inverisimile non videtur pro illorum temporum peculiaribus adjunctis (4). Etenim cum ethnici deorum suorum imaginibus fingendis assueti essent, patres in alteram partem deflexerunt.

116. Ad 4. *N.* Merito patres haec urgebant adversus ethnicos, qui vel idola totidem deos esse autumabant, vel saltem in illis divinam quamdam putabant

(1) Cfr. II Paralipom. VII, 1 et seqq. Ex quo refellitur Josephus Flavius, qui, *Antiqq.* lib. VIII, violatae legis Salomonem accusat, eo quod in templo palmas leones et boves collocari curaverit.

(2) Quo refertur jussio illa, ex. gr. qua praescribebatur, ut in flagellatione triginta novem tantum ictus infligerentur. Cfr. Petav. *De Incarn.* lib. XV, cap. 6, § 6 et seqq. Non semper eadem Hebraeis stetit sententia circa vim primi praecepti decalogi et circa imaginum usum. Seldenus *De jure naturae et gentium, juxta leges Hebr.* lib. II, cap. 6, ostendit Hebraeos a primaeva severitate paululum recessisse.

(3) Nam Tertullianus, qui in *Libro de Idololatr.* cap. 3 et seq. autumaverat, Deum in decalogo omnem prorsus imaginem ac rei cujusque similitudinem fieri interdixisse, in lib. II *Cont. Marcionem*, cap. 22, ut se extricet a difficultate sibi proposita, quod nempe Deus mandaverit quod fieri interdixerat, respondet, legem non in totum vetuisse fieri similitudinem aliquam, sed eam tantummodo, quae ad hoc fieret, ut pro Deo coleretur. Idipsum dicatur de Clemente Alex. aliisque, de quibus cfr. Petav. loc. cit.

(4) *Diss.* VI *in sec.* VIII, § 1, 7.

inesse virtutem. Haec enim omnia a catholicorum fide toto coelo distant, qui nullam intrinsecam excellentiam aut virtutem in imaginibus agnoscunt; alioquin haec ipsa urgeri potuissent adversus arcam Cherubim et aeneum serpentem; siquidem super istis pariter mures et araneae jocari poterant, et aves nidificare.

PROPOSITIO II.

Usus ac veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur

117. Ac primo usum sacrarum imaginum tribus prioribus ecclesiae seculis obtinuisse, certa et antiquissima monumenta indubium faciunt. Post tot eruditorum labores qui omnem impenderunt operam in christianis antiquitatibus perquirendis ac illustrandis, talem evidentiam historicam hoc argumentum adeptum est, ut contemni potius quam refelli mereantur, qui adhuc in ejus negatione insistunt. Cum igitur vix non obruamur ejusmodi monumentorum copia, nobis satis erit, hic ea indicare; ne longius, quam par sit, in re non necessaria excurramus.

118. 1. Apud archaeologos compertum est, primos christianos consuevisse symbolis exprimere mysteria religionis imaginum ope. Sane annulorum referentium imaginem piscis vel columbae, quibus christiani viri utebantur meminit Clemens Alex. (1). Plura ejus rei monumenta proferunt Aringhius (2) ac Buonarrotius (3), qui praeterea reliqua veterum testimonia collegerunt.

119. 2. Symbola ista in lapidibus, lucernis, gemmis, picturis, sarcophagis occurrunt, in quibus etiam potiora V. T. facta expressa reperiuntur, quorum praecipua post Bosium et Aringhium collegit Mamachius (4). Ad Novi autem Testamenti symbola quod spectat, illustria sunt ea, quae saepe saepius in coemeteriis reperiuntur. Talia sunt Christi imago in monte consistentis, ex quo quatuor flumina originem habent, ejusdemque Salvatoris crucem aut virgam gestantis figurae, quae passim etiam in musivis operibus conspiciuntur, de quibus erudite scripsit Bottarius (5). Item imago Christi sub figura boni pastoris vel pascentis vel succollantis ovem in vitris, in lucernis, in sarcophagis, in parietibus, in gemmis, in calicibus passim reperitur; plura hujus symboli monumenta proferunt, praeter laudatos scri-

(1) *Paedag.* lib. III, cap. II, tom. I, pag. 289, edit. cit. De pisce haec habet P. Halloixius in *Illustrium seculi secundi script. vitis*, pag. 143: « Clemens, agens de annulis christianorum obsignatoriis, suadet inter alia, ut piscis figura in illis insculpatur, non alia, opinor, de causa, quam ut memores sint aquarum baptismi, in quibus tamquam pisciculi vitam acceperint, in Christo Jesu post veterem hominem renati ». Est etiam notissimum, *ἰχθὺς* symbolum olim christiani nominis fuisse, quod istius litterae essent initiales Ἰησοῦ Χριστοῦ Θεοῦ Υἱοῦ Σωτῆρος. Tertull. etiam in lib. *De baptismo* ad hoc symbolum alludens scribit: « Sed nos pisciculi secundum *ἰχθῦν* nostrum Jesum Christum in aqua nascimur: nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus ».

(2) Op. cit. praesertim toto lib. III.

(3) Filippo Buonarroti, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*, Firenze 1716.

(4) *Origin. et antiqq. christ.* Romae 1751, lib. III, cap. I, § 3 et seqq.

(5) *Sculture e pitture sacre estratte dai ciniteri di Roma*, Roma 1737, trib. vol. in fol.

ptores, Boldettus, Casalius atque Ciampinius (1). Hujus praeterea consuetudinis meminit Tertullianus, qui in lib. *de Pudicitia*, cap. VII, scribit: *Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius;* et iterum ibid. cap. X: *Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*.

120. 3. Ad haec accedunt vetusta monumenta de aliis symbolis, quibus Christum resque ab eo gestas prisci Christi fideles expresserunt, ea quae B. Virginem, Angelos, sanctos referunt, nec non figuras animalium, plantarum, domorum, navis, anchorae, doliorum, aliarumque ejusmodi rerum; de quibus praeter citatos auctores fuse scripserunt Blanchinius (2), Fabrettus (3), Fogginius (4), Marangonus (5) aliique archaeologi sacri (6), quibus jungendi sunt qui non ita pridem de pingendi aut sculpendi arte juxta antiqua monumenta scripserunt (7). Exploratum est igitur, receptissimum apud christianos fuisse imaginum usum tribus prioribus ecclesiae seculis.

121. Ex hoc porro imaginum usu, quem obtinuisse ostendimus ab ipsis ecclesiae primordiis, facile colligimus, earum pariter viguisse in ecclesia venerationem. Etenim, cum imaginum veneratio relativa sit ad venerationem prototyporum, eo ipso quod christiani Christum ac sanctos venerarentur, ut ex demonstratis constat, in veneratione pariter habuerunt eorum imagines. Adeo enim haec inter se connexa sunt, ut unum sine altero vix aut ne vix quidem subsistere possit; quod vel ex ipsa protestantium agendi ratione patet, qui, cum vellent imaginum venerationem tollere, cultum ipsum sanctorum abstulerunt.

122. Sed non desunt documenta positiva, quae ostendant, tribus prioribus ecclesiae seculis imaginum venerationem viguisse. Constat enim, ethnicos passim accusasse christianos, quod cruces adorarent, quasi in illis (juxta ethnicorum

(1) Boldetti, oper. cit. lib. II, cap. II et seqq.; Casalius, *De veteribus christian. ritibus*, Romae 1647; Ciampini, *Vetera monimenta*, Romae 1690, part. I, cap. XVII et seq.

(2) Cfr. ejus eruditae notae in *Prolegomena ad vitas Romanorum Pontificum* Anastasii Bibliothecarii, 1723, tom. II, cap. 4; tum ibid. opusc. 16 et alibi passim; tum vol. III, *Proleg.* opusc. II.

(3) *Inscription. antiquar.* Romae 1699, cap. 8, pag. 545 et seqq.

(4) *De romano D. Petri itinere et apostolatu*, Florentiae 1741, exercitat. XX, pag. 453 et seqq.

(5) *Delle cose gentilesche*, etc. cap. 72.

(6) Hos congessit magno numero Mamachius, op. cit. lib. III, § 20 et seqq.

(7) D' Agincourt, op. cit. *Storia dell' arte*, vol. IV, pag. 69 et seqq. plures imagines commemorat a se repertas in subterraneis romanis elaboratas jam a tempore primae persecutionis. Ex harum imaginum stilo, quem contulit cum imaginibus a se pariter repertis in sepulcro familiae Nasoniorum, nempe Ovidii, extra portam Pinciam, collegit, eas spectare ad sec. II aerae christianae. Unde duo inferimus, 1 usum imaginum jam a primo et secundo sec. in ecclesia viguisse, ideoque non a basilidianis aut gnosticis hunc usum ecclesiam mutuatam esse, ut nonnulli recentiores protestantes inscite autumarunt, sed cum ipsa coepisse; 2 cultum imaginum, ut animadvertit idem auctor, ab interitu liberasse artes sculpturae atque picturae, quarum protestantes nunc studiosissimi sunt. Sane Roma bonarum artium semper extitit domicilium. Sic etiam Winckelmann, de quo postea.

principia) divinitas quaedam lateret. Sic enim loquitur Caecilius ethnicus apud Minucium Felicem in *Octavio*: *Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant, quod merentur* (1); et iterum: *Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, etiam non adorandae sed subeundae cruces* (2). Id ipsum postea objecit Julianus, apud s. Cyrillum, lib. VI, contra eumdem, dicens: *Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, et postibus aedium insculpitis* (3); item Celsus apud Origenem, lib. II, n. 47; ex quo insuper patet ethnicos existimasse, omnes crucifixos a christianis coli, ut adnotant maurini editores in hunc locum. Evidens proinde est, jam ab ipso ecclesiae initio coli a christianis cruces consuevisse; quae res cum in ethnicorum pervenisset notitiam, effecit, ut ii cruces in deorum numero a christianis haberi contenderent.

123. Quod de cruce dictum est, de ceteris imaginibus dici debet, quas in veneratione veteres christianos habuisse praeter ea, quae in medium allata sunt, satis aperte evincit usus eas servandi in ecclesiis seu cubiculis in coemeteriis positis. In coemeterio enim Praetextati adhuc vetus cubiculum, ubi mysteria celebrabantur, visitur pictum, in cujus fornice eminet imago Salvatoris (4); eadem pariter occurrunt in coemeteriis Callixti, s. Agnetis, Priscillae ac sanctorum Petri et Marcellini in via Lavicana (5). Praeterea id ipsum evincunt vitra, in quibus jam a seculo III exhibetur B. Virgo cum puero Jesu *nimbis*, seu aureolis et coronis redimita: his siquidem honor seu cultus significatur, quo B. Virginem in imaginibus ejus primi christiani prosequebantur (6). Ex his igitur aliisque non paucis ejusmodi monumentis, quae afferri possent, luculentissime constat, tum usum tum venerationem seu cultum sacrarum imaginum antiquissimum esse, atque ab ipsis

(1) § 9. *Biblioth. Patrum* edit. Ven. tom. II, pag. 386.

(2) Ibid. § 12, pag. 387.

(3) Τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες, Opp. s. Cyrill. edit. Auberti, Paris. 1638, tom. VI, part. II, pag. 194.

(4) Cfr. Boldetti, op. cit. lib. I, cap. 4.

(5) Ibid.

(6) Cfr. Ant. Mariani Lupi, S. J. op. cit. tom. I, dissert. VIII, pag. 243 et seqq. ubi describit vitrum repertum in coemeterio Callixti, sanguine adhuc adspersum, in quo exhibetur B. Virgo in throno sedens elevato, ac super genibus tenens infantulum Jesum. Infantulo Jesu adstat diaconus cum flabello. Porro tum infantis Jesu tum B. Virginis caput nimbo seu aureola circumdatum est, quo quidem signo usi primi christiani sunt ad significandam venerationem peculiarem erga Christum Jesum ejusque matrem. Nimbus enim usurpabatur ab ethnicis ad numina sua condecoranda; deinceps vero imperatorum imaginibus apponebatur post ipsorum apotheosim. De imaginibus, quae capita radiatis orbiculis, lunulis vel corollis praedita exhibent, praeter Joan. Nicolai in *Diss. De nimbis*, fuse et erudite egerunt Buonaruotus, *Osserv. sopra i frammenti di vetri*, pag. 65 et seqq. et Ciampinius, *Vetera monimenta*, cap. 14. Jam vero ostendit Lupi, hoc vitrum referri non posse nisi ad epocham persecutionis Diocletiani, imo et Decii ac Valeriani anteriorem. Plura alia vitra, exhibentia imagines Salvatoris et sanctorum, nimbis in capite ornatas, cfr. apud Boldetti, lib. I, cap. 39. Cfr. praeterea quae scripsimus in tract. *De locis theolog.* par. II, sect. II, cap. III, num. 477 cum notis appositis.

apostolicis temporibus ad ecclesiam pervenisse.

124. Sed demum ipsa natura rei ad hanc admittendam sacrarum imaginum venerationem quodammodo nos ducit, imo et impellit. Fieri enim nequit, pro diversa ratione qua erga aliquem affecti sumus, amore scilicet aut odio, existimatione aut contemptu, quin iisdem animi sensibus feramur erga imagines aut simulacra, quae prototypum referunt. Hinc receptum est, ut, cum nostrum erga quempiam amorem aut odium patefacere volumus, honoremus aut destruamus illius imagines ac simulacra, quod ex quotidiano experimento fieri comperimus. Quare, si ipsis fatentibus adversariis, principum aut doctorum virorum et eorum qui bene de patria meriti sunt ob civile, litterarium, aut naturale ac morale aliquod motivum, imagines ac simulacra civiliter honorare possumus, cur Christi et sanctorum imagines ob motivum religiosum religiose venerari, et hanc venerationem externis signis ostendere non poterimus? Militat autem peculiaris ratio pro hac religiosa veneratione, siquidem nos utpote sensibus praediti, ita a natura comparati sumus ut imaginibus, quae sub sensus cadunt, magis permoveamur ad excitandos in nobis devotionis seu pietatis sensus eosque fovendos (1). Quemadmodum enim turpibus imaginibus mali in nobis affectus excitantur, sic ex conspectu imaginum Christi, Deiparae aut sanctorum magis incalescunt pii animi motus. Velle propterea omnes sacras imagines removere, aut iis debitam abolere venerationem, perinde esset ac igni sacro fomentum subducere et prorsus extinguere.

125. Ad praecavendas vero difficultates, praestat animadvertere cum Petavio, 1 imagines ad religionis essentiam minime pertinere; sed ex eorum per se genere esse quae ad salutem absolute necessaria non sunt; ac propterea in potestate esse ecclesiae, ut ea vel adhibeat vel ableget, prout satius esse existimaverit, cujusmodi ea omnia sunt, *positivi* vulgo *juris* dicuntur. Hinc pro locorum, temporum ac personarum adjunctis interdum adscitas, interdum

(1) Hunc effectum se expertam esse in se ipsa, s. Theresia testatur in *Vita sua*, cap. 9; a conspecta enim imagine Salvatoris patientis repetit primordia sanctioris suae vivendi rationis. Lubet ejus verba juxta latinam versionem describere, ut pateat discrimen ingens, quod intercedit inter sanctorum et haereticorum sensa circa sacras imagines: « Factum est autem, *inquit*, ut, cum quadam die oratorium intrassem, quamdam in eo viderim imaginem ... depictus in ea erat Redemptor noster Christus, vulneribus et plagis undequaque deformatus, ita aspicientes ad compassionem commovens, ut, statim atque in eam oculos conjeci, tota interius turbata sim, quod tali Jesum in schemate et forma viderem, ut ad vivum repraesentarentur, quae pro nobis is passus esset. Talem quidem in animo meo dolorem sensi, quod illi ob acceptas hasce plagas tam parum grata extitissem, ut cor mihi in duas diffindi partes videretur; unde ipsa me multis cum lacrymis coram eo abjeci, ex animo eum rogans, talem mihi aliquando constantiam atque animi robur daret, ut posthac amplius eum non offenderem ... Hanc ob causam ita erga imagines et picturas afficiebar. Vae autem illis infelicibus haereticis qui culpa sua hujusmodi bono excidunt; unde clare colligere est, illos Dominum neutiquam diligere. Si enim eum diligerent, ejus haud dubie imagine delectarentur; quemadmodum etiam inter amicos mundanos juvat et delectat, imaginem videre ejus, quem unice diligimus ». Quanti vero fecerit Leibnitzius opera virginis Abulensis, quantique faciant protestantes in Germania, qui vulgo *pietistae* vocantur, notissimum est.

vero ablegatas imagines ab antiquis videmus (1). 2. Quod diximus de imaginibus in se spectatis et earum veneratione, pari ratione dicendum est de ritu seu exterioribus hujus venerationis significationibus; cum hae ad disciplinam spectent ac subsint ecclesiae regimini, quae eas moderari potest, prout magis expedire judicaverit (2). Sane comperimus, aliis temporibus ecclesiam aliquid indulsisse, quod aliis vetuerat, cum res tamen in se salva semper consistat.

DIFFICULTATES

126. I. Obj. 1. Veteres patres ethnicis exprobrant simulacrorum cultum; ergo haec non colebantur a christianis, alioquin facile ethnicis fuisset haec ipsa intorquere in christianos. 2. Adde, ethnicos crimini vertisse christianis, quod ipsi *nulla haberent nota simulacra* (3); 3. neque id christianos apologetas inficiatos esse; qui 4. profitebantur, se nec crucem quidem colere, neque aliud quodcumque simulacrum. Hinc est 5. quod quatuor prioribus seculis in veterum ecclesiarum instrumentis et sacrae suppellectilis recensionibus nullae prorsus imagines occurrant (4). Ergo.

127. Resp. ad 1, *D. Consequens.* Non colebantur a christianis *simulacra* seu potius *imagines* (5) eo cultus genere et ea ratione, qua ab ethnicis coleban-

(1) *De Incarn.* lib. XV, cap. 13, § 1.

(2) Quae si attendisset Beausobre, minime ei excidissent, quae habet, *Hist.* cit. lib. II, cap. 4, § 6; ubi relatis verbis ex concilio Nicaen. II: *Inducit* (Leucus Carinus) *Lycomedem coronantem imaginem Apostoli quemadmodum graeci sua idola*, subdit: « Et, si cela est vrai, il faut que le Saint-Esprit ait abandonné dans cet endroit le sacré concile à son esprit particulier; car, depuis ce temps-là, rien n'a été plus catholique que la coutume de couronner les images ». Cfr. quae in hunc concilii locum adnotat Christianus Lupus, *Dissert. de septima synodo*, action. V, ubi inter cetera scribit: « Paganismi extinctio abstulit offensionem et scandalum, atque ita coronandi ritus ex impio et gentili factus est pius, religiosus, christianus ». Opp. edit. Venet. 1724, fol. tom. III, pag. 243. Addo, hic non agi de definitione concilii, sed de verbis prolatis a solo Joanne monacho. Ita Beausobre abutitur bona lectorum fide.

(3) Apud Minucium in *Octavio;* eadem objiciebat Celsus apud Origenem, lib. VIII, n. 17.

(4) Ita Dallaeus, lib. *De imagin.* Cfr. apud Nat. Alex. *Dissert.* VI *in sec.* VIII.

(5) Etsi, ad rem ipsam quod attinet, perinde sit, imagines ac simulacra habere et venerari, attamen permisceri inter se haec nequeunt. Usus enim sacrarum imaginum receptissimus, ut vidimus, a primordiis religionis christianae fuit, simulacrorum autem rarissimus extitit, ita ut vix de iis documenta inveniamus. Meminit quidem Eusebius, *Hist. eccles.* lib. VII, cap. 18, statuae, quam Christo Domino apud Paneadem erexerat mulier illa, quae sanata est a sanguinis fluxu; attamen rarior fuit earum usus in ecclesiis. Hinc Graeci vix in suis templis *statuas* habent; contra vero *imaginum* usus et cultus perinde apud ipsos est ac apud Latinos. Quare mirum esse non debet, si videamus ab ethnicis exprobrari christianis, quod non haberent *simulacra*, christianos vero id non inficiari; ast de imaginibus nec verbum occurrit. Ceterum Cl. Winckelmann, *Storia dell' arte presso gli antichi*, Prato 1832, tom. III, cap. II, § 25, commendat statuam marmoream s. Hippolyti mart. sedentis, quae in bibliotheca ad Vaticanum reperitur. Putat, eam jam a tempore Alexandri Severi Imp. fuisse elaboratam. De hac loquitur pariter Vignoli. Blanchinius autem ejus effigiem exhibet in edit. Anastasii cit. tom. II, p. 159 et seqq.

tur, *C.* nulla ratione colebantur, *subdist.* in nonnullis provinciis, *Tr.* nullibi *N.* Veneratio enim seu cultus sacrarum imaginum apud christianos nullus censeri potest, si conferatur cum eo cultu, quo ethnici idola sua prosequebantur. Ethnici enim simulacra sua cultu absoluto ac supremo et ingenti apparatu adorabant; christiani autem, illa praesertim aetate, ne imitari viderentur gentiles, alieni omnino erant ab exteriori illa pompa ac ritu. Imagines enim non habebant, nisi ut sibi referrent prototypa, ad quae cultum suum referebant, et quidem in ordine ad Deum. Constituto siquidem monotheismo tamquam basi totius religionis, reliqua non erant nisi adminicula, quibus nonnisi parce, spectatis rerum adjunctis, utebantur quandoque etiam nullo modo, ne criminationibus locum darent, aut periculo objicerentur relabendi in superstitionem, a qua vix emerserant per ethnicismi abjurationem (1). Quapropter ethnici in christianos intorquere non poterant, quae hi illis exprobrabant in simulacrorum cultu.

128. Ad 2. *D.* Quae scilicet ipsis innotescerent, *C.* quasi nulla christiani haberent *N.* Vidimus enim, christianos in cryptis, in coemeteriis, in aediculis imagines servasse, ac plurimum cavisse, ne in ethnicorum notitiam venirent. Caecilius propterea quaerit ab Octavio, cur christiani *occultare et abscondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur; cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?*

129. Addo, non magis urgere ejusmodi expostulationem usum imaginum quam altarium et templorum, etenim sic loquitur Caecilius loc. cit.: *Cur nullas aras habent? templa nulla? nulla nota simulacra?* Quod tamen adversarii non contendunt.

130. Ad 3. *D.* Eadem ratione, qua inficiati haud sunt, se non habere altaria et templa, *C.* alia ratione aut sensu *N.* Certissimum enim est, primos fideles et aedes sacras et altaria habuisse, ut innumera illius aetatis documenta testantur (2); attamen, cum ad mentem ethnicorum responderent apologetae, nec vellent res christianas ipsis prodere, ideo

(1) Cfr. Petav. loc. cit.

(2) Cfr. Ciampini, *Vetera monimenta*, qui catalogum exhibet ecclesiarum, quae vigente adhuc persecutione erectae sunt, toto cap. 18. Fateor, non omnia, quae hic auctor profert, ad critices severioris amussim redacta esse; attamen nonnulla videntur satis firmata. Verum hoc elencho dimisso, utpote minus tuto, certissimum est, primis seculis ante ipsam persecutionem Diocletiani christianos ubique terrarum sacras aedes seu ecclesias habuisse. Origenes, *Tract.* XXVIII *in Matth.* n. 38, testatur, aetate sua *ecclesias incensas esse* a persecutoribus. Item, *Hom.* X, n. 3, *in Jesu Nave*, loquitur de *ornatu ecclesiarum* et *altarium*. Ecclesiarum pariter meminit, *Hom.* XI *in Numeros*. Arnobius, *Adv. gentes* lib. IV, circa finem, conqueritur *immaniter dirui* ab ethnicis *conventicula*, *in quibus summus oratur Deus*. Lactantius, lib. V, n. 2, refert dirutum templum Dei, quod Nicomediae erat. Ibid. n. 11, loquitur de ecclesia in urbe Phrygiae ab ethnicis jussu praesidis combusta. Idem in libro *De mortibus persecutorum*, eversas in orbe christiano ecclesias uberius commemorat. Eusebius item, *Histor. eccles.* lib. VIII, cap. 13 et Lactantius, iterum lib. cit. *De mort. persec.* cap. 13, aperte tradunt, in Galliis ante Diocletiani persecutionem ecclesias extitisse. Optatus Milev. lib. II, pag. 42, *quadraginta basilicas* commemorat, quae Romae visebantur ante eamdem persecutionem; meminit ecclesiarum pariter, quae per id temporis fuerunt in Africa. Vopiscus, in *Vita Aureliani*, epistolam hujus imperatoris exhibet, in

non negabant, quod ipsis ab ethnicis opponebatur. Porro quod dictum est de altaribus et aedibus sacris, idem dicendum de imaginibus, quandoquidem eadem ratione circa istas sese gesserunt; cum certum pariter sit ex adductis documentis, eas christianos habuisse, et quidem in ipsis locis sacris, uti ostendimus.

131. Ad 4. *D.* Profitebantur se neque crucem, neque aliud quodcumque simulacrum colere in sensu adversariorum, *C.* nulla ratione *N.* Liquet enim ex contextu, se eo tantum sensu affirmasse non colere cruces, quasi deos aut divinitatis partes eas esse existimarent. En verba Octavii apud Minucium Felicem: *Cruces*, inquit, *nec colimus nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis cruces ligneas ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis* (1). Itaque hoc unum negat Octavius, coli nempe a Christianis cruces, qua ratione coli ab ethnicis idola solebant, alia non negat, sed silentio praeterit. Idipsum patet ex contextu *Apologetici* Tertulliani, ubi irridet gentiles, qui rudem palum informemque lignum Deam scilicet Palladem Atticam aut Farream Cererem esse dicebant, Deique propterea loco habebant. *Nos*, ait ipse, *si forte, integrum et totum Deum colimus* (2); perinde ac si diceret: si crucem, ut vos asseritis, velut Deum coleremus, quod falsum est, non palum rudem (cujusmodi Pallas Attica erat aut Ceres Farrea), qui pars crucis sit, sed integram crucem, atque adeo integrum Deum adoraremus.

132. Ad 5. *D.* In illis peculiaribus ecclesiis, quarum supellectilis recensio conservata est, *Tr.* in nullis omnino *N.* Nam haec assertio est contra factum luculentissime demonstratum. Fieri proinde potuit, ut in illis provinciis, in quibus ecclesiae illae constitutae erant, ita exposcentibus rerum adjunctis nondum introductus esset usus collocandi imagines in templis, prout et in aliis provinciis contigisse videbimus. Recolantur, quae sub finem propositionis adnotavimus (3).

qua mentio fit ecclesiae christianorum. Et haec satis sint, ne ea proferam, quae ex Tertulliano adduci possent, *De idol.* cap. 7, et *Adv. Valent.* cap. 2; et ex Cypriano, qui *epist.* LV, alias LIX, *ad Cornel.* opponit ecclesiam Capitolio et altare Domini aris idolorum. Cfr. edit. Maur. Origenis, in not. ad lib. VIII, *cont. Celsum*, n. 17. Nardini, *Rom. ant.* lib. VII, cap. 11, reg. 14, pag. 415, praeterea ostendit, christianos vel ante Alexandri Severi aetatem ecclesias sive publica templa Romae habuisse.

(1) § 29. Cfr. in hunc loc. adnotatio Gallandii. Vid. etiam *Diar. erudit. ital.* tom. XXVII, pag. 391 et seqq. Trombell. *De cultu sanctor.* tom. II, part. III, pag. 373.

(2) Cap. XVI. Vid. in hunc loc. La Cerda.

(3) Attamen non pauca occurrunt monumenta, ex quibus certi efficimur, imagines per id temporis in ecclesiis appendi consuevisse. Praeter ea, quae attulimus de aediculis, Romae in coemeteriis erectis, in quibus semper occurrunt imagines vel Christi vel apostolorum aliorumque sanctorum martyrum, notum est, quod scribit s. Basilius, *epist.* CCCLX, de imaginibus, ad Julianum Apostatam: Ὅθεν καὶ τοὺς χαρακτῆρας τῶν εἰκόνων αὐτῶν τιμῶ καὶ προσκυνῶ κατ' ἐξαίρετον, τούτων παραδεδομένων ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ οὐκ ἀπηγορευμένων, ἀλλ' ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις ἡμῶν τούτων ἀνιστορουμένων. *Unde et characteres imaginum eorum* (sanctorum) *honoro et osculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae sunt.* Opp. ed. Maur. tom. III, pag. 463. Cfr. etiam *Hom.*

133. II. Obj. 1. Patres haereticis gnosticis et carpocratianis imaginum venerationem crimini verterunt, ut Irenaeus (1), Epiphanius (2) et Augustinus (3). 2. Quapropter concilium Illiberitanum, can. XXXVI, ita constituit: *Placuit picturas in ecclesiis esse non debere, ne, quod colitur et adoratur in parietibus depingatur*. 3. Eusebius pariter nefas esse judicavit Christi imaginem pingere (4). 4. S. Epiphanius vero scidit in Anablatensi ecclesia *velum pendens a foribus ecclesiae et habens imaginem quasi Christi vel sancti cujusdam . . . contra auctoritatem Scripturarum* (5). 5. Hinc licet Gregorius M. in epistolis ad Serenum datis ipsum reprehenderit, eo quod imagines fregerit, laudavit tamen ejus *zelum, ne quid manufactum adorari possit* (6). Ergo.

134. Resp. ad 1. *D.* Patres haereticis crimini verterunt imaginum usum ac venerationem superstitiosam et ab ecclesiae sensu abhorrentem, *C.* in se spectatam *N.* Teste enim s. Epiphanio recensiti haeretici imagines sacrificiis colebant, quod sane idololatriae scelus est. Cum imaginibus praeterea Christi et apostolorum imagines Homeri, Pythagorae ceterorumque profanorum conjungebant (7). At ab his omnibus catholici longe absunt.

135. Ad 2. *D.* Vetuit synodus Illiberitana picturas fieri in ecclesiis pro temporum illorum ratione, *Tr.* quasi picturas per se illicitas esse putaverit *N.* Transmisimus primum membrum, eo quod nondum apud criticos exploratum sit, quidnam praecise eo canone synodus prohibuerit, et alii in alias abeant sententias (8). Ceterum dirissima per-

in sanctos quadraginta mart. n. 2, ibid. tom. II, pag. 149. Hinc in septima synodo, act. IV, Gregorius Pessinuntis episc. laudat haec verba Isidori Pelusiotae: *Templi ratio nulla est, quod non coronat imago*. Exempla plura dabit J. Grancolas, *Les anciennes liturgies*, tom. II, prém. part. pag. 62 et suiv.

(1) Lib. I, cap. 25, n. 6, edit. Mass.

(2) *Haeres.* XXVII.

(3) *Lib. de haeres.* cap. 7.

(4) *Epist. ad Constantiam August.*

(5) *Epist. ad Joannem, episc. Hierosol.* opp. edit. Petav. tom. II, pag. 317.

(6) *Epist.* CV, lib. IX, indict. 2, edit. Maur.

(7) *Haeres.* XXVII, n. 6. edit. Pet. Ea ejus verba: « Sed ejusmodi imagines (Jesu Christi) occultas habent, nec non et philosophorum quorumdam, ut Pythagorae, Platonis, Aristotelis aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi effigies miscent, et erectas simul omnes adorant, ad easque gentilium ritus instituunt . . Quinam vero sunt gentiles ii ritus alii quam sacrificia, caeteraque generis ejusdem? » Προσκυνοῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια . . . Τίνα δέ ἐστιν ἐθνῶν ἔθη, ἀλλ' ἢ θυσίαι καὶ τὰ ἄλλα; Patet igitur hic agi de formali, ut ajunt, idololatria. Iisdem pene verbis utitur s. Irenaeus, loc. cit., in quem cfr. annot. Fevardentii, qui adversus Calvinum et Bezam germanam s. Irenaei mentem tuetur, ostenditque receptum usum et cultum sacrarum imaginum in ecclesia tribus prioribus seculis. Eadem quoque refert Theodoret. *Haeret. fabul.* lib. VII; qui praeterea inter imagines, quas adorabant carpocratiani, recenset statuas Simonis magi in Jovis figuram et Helenae in Minervae speciem constructas. Augustinus adjicit imagines Pauli et Homeri.

(8) Has recenset eruditus card. de Aguirre in *Collectione maxima conciliorum omnium Hispaniae*, Romae, 1693, tom. I, pag. 562 et seqq. Ostendit porro luculentissime, agi in hoc canone de imaginibus Dei, qui profecto, prout in se est, pingi nequit. Idipsum jam praestiterat doctus Albaspinaeus in adnotat. ad hunc canonem, in cal-

secutione Hispanam ecclesiam adhuc affligente censuerunt patres illius synodi ejusmodi adoptare temperamentum, quod tenera christianorum conditio exposcere videbatur.

136. Ad 3. *N.* Quae enim sub Eusebii nomine circumfertur data ad Constantiam epistola, genuinus Eusebii foetus non est (1).

137. Ad 4. *D.* Ut rudi Anablatensium ingenio consuleret, quibus fortasse periculo esse poterat illa effigies, quo sensu saltem indirecte affirmavit imaginum usum esse contra Scripturarum auctoritatem. *Tr.* per se ac directe *N.* Cum enim nos lateant omnia illius facti adjuncta difficile est rectum de eo ferre judicium. Nondum fortasse receptus erat apud Cyprios usus retinendi imagines in ecclesiis, prout jam vigebat in ecclesiis Ponti, Cappadociae, Antiochiae et Constantinopolis, ut testes sunt Gregorius Nyssenus (2), Basilius (3) et Joan. Chrysostomus (4), cum quibus s. Epiphanius erat communione conjunctus. Non desunt, qui factum istud s. Epiphanii naevis adscribant; si tamen verum est, quod plures negant (5). Ceterum novatores ipsi, quos impugnamus, contra auctoritatem Scripturarum imagines in templis retinerent, quod profecto non admittunt.

138. Ad 5. *D.* Cultu superstitioso et absoluto, *C.* relativo, prout in ecclesia catholica receptus est *N.* Ejus mens patet ex iis quae scripsit ad Secundinum: *Et nos quidem*, inquit, *non quasi ante divinitatem, ante illam* (Christi imaginem) *prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed et in throno sedentem recordamur* (6).

139. III. Obj. 1. Synodo Nicaenae II decernenti sacrarum imaginum cultum, eruditus restitit *Librorum Carolinorum* auctor; restitit praeterea concilium Francofordiense ex toto ferme Occidente congregatum; restitit denique conventus Parisiensis. Nicaenum ergo decretum occidentalis ecclesia minime recepit. 2. Quod quidem merito factum est: catholici enim imagines adorantes prosternunt se coram ligno ac tela; invocant creaturas, atque a servis, minime vero a

ce opp. s. Optati, pag. 208. Quod verba ipsa canonis ostenduut, dum concilii patres rationem reddunt, quare in parietibus imagines pingi non debeant: *Ne, quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* Ubi apertum est, agi de eo, quod adoratur cultu latriae, nempe Deo. Addo, stupidos sese prodere haereticos, qui tanta fiducia objiciunt hunc canonem, nec advertunt, quod si ageretur de imaginibus sanctorum, ut ipsi contendunt, haberi in eo apertissimum testimonium de recepto tunc temporis sanctorum cultu, quem tamen ipsi omnino rejiciunt. Quod si vetitas tantum Dei imagines eo canone velint, hoc ipso causa cadunt, cum pingi non posse Deum prout in se est, eum nempe qui est immensus invisibilis incircumscriptus, uno ore fateantur catholici omnes. Sed cfr. De Aguirre in hunc can. Attamen vix est inter protestantes etiam recentiores, qui non jactet hunc canonem adversus doctrinam catholicam! De imaginibus Dei aut Trinitatis symbolicis mox dicemus.

(1) Cfr. Petav. *De incarn.* lib. XV, cap. 15, § 9.

(2) *Orat. de s. Theodoro*, opp. edit. Paris. 1615, tom. II, pag. 10, 11; ubi agit de imaginibus martyrum in templo positis.

(3) Loc. cit. ex *epist. ad Julian.* in qua profitetur praeterea se venerari imagines, utpote ab apostolis traditas.

(4) *De laudibus Meletii*, opp. edit. Maur. tom. II, pag. 519.

(5) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(6) Lib. IX, epist. LII, indict. II, tom. II. col. 971 edit. Maur. Paris. 1705.

Domino, auxilium praestolantur (1). Ergo.

140. Resp. Ad 1. *D.* Synodo Nicaenae restiterunt *Librorum Carolinorum* auctor, synodus Francofordiensis et Parisiensis conventus errore facti decepti, *C.* debitum cultum denegantes *N.* Nempe tam auctor *Librorum Carolinorum*, quam utraque synodus duplici errore facti decepti sunt; ac primo quidem in eo quod falso putaverint synodum Nicaenam non fuisse ab Hadriano Pontifice approbatam; deinde vero in eo, quod perperam existimaverint, synodum decrevisse eamdem tribuendam esse sacris imaginibus *adorationem, quae sit secundum latriam*, et quae defertur SS. Trinitati, prout prae se ferebat antiqua barbara versio illius concilii. Utroque postea errore patefacto, Galli et Germani Nicaenum decretum admiserunt (2).

141. Quod speciatim attinet ad auctorem *Librorum Carolinorum* atque ad conventum Parisiensem, nonnulli censent cum Petavio, eos reipsa errasse circa cultum ipsum, mediamque tenuisse viam inter errorem Iconoclastarum et dogma Nicaenum (3). Alii autem cum Natali Alex. existimant, Gallos veram fidem tenuisse circa venerationem imaginum, nec disceptasse nisi circa modum adorationis a concilio Nicaeno sancitum juxta dicta. Quod quidem nobis verisimilius videtur (4).

142. Ad 2. *D.* Catholici prosternunt se coram ligno ac tela, quatenus haec prae se ferunt imaginem prototypi, *C.* coram ligno ac tela in se spectatis *N.* Alioquin, cum Josue ac seniores prostraverunt se coram arca, se prostravissent coram ligno; cum aliquis prae gaudio gestit et exilit coram matris aut sponsae effigie, coram tela exiliret; qui expuit in simulacrum Theodosii, expuisset in lapidem, et Antiochenses ac Thessalonicenses, qui ejusdem statuas fregerunt, non nisi lapides pariter fregissent ac dejecissent.

143. IV. Obj. Quamvis relativus sit imaginum cultus, non propterea omni superstitione vacat. 1. Ethnici enim relativo cultu imagines ac simulacra prosequebantur, uti ex ipsorum testimoniis patet apud s. Augustinum (5), atque ex facto ipso, cum idola multiplicarent, etsi propterea non arbitrarentur deos multiplicatos; nec adeo stolidi erant, ut lignum et lapides deos esse existimarent; patres nihilominus eosdem idololatriae incusabant. 2. Quare catholici pariter ejusdem criminis rei sunt censendi, quoniam et ipsi, quamvis imagines et simulacra minime deos esse putent, agnoscunt tamen excellentiam quamdam in imaginibus, quo fit ut unam prae alia colant, longas peregrinationes arripiant ad singulares aliquas venerandas, cum tamen domi fortasse formosiores possideant eas velis tegunt, miracula fingunt, aliaque ejusmodi peragere consueverunt, quae abjectam superstitionem redolent. Ergo.

144. Resp. *N. Antec.* Ad 1. prob. *D.* Nonnulli, qui tamen non erant ab ido-

(1) Ita Cellerier, *Sermon sur l'excellence du culte réformé*, Genève 1819, ubi inter cetera scribit: « Dans le culte catholique les chrétiens se prosternent devant le bois et la toile; ils invoquent les créatures. C'est des serviteurs et non du maître qu'ils attendent le secours ».

(2) Cfr. Nat. Alexand. *Dissert.* cit. §§ 7, 8, 9 et 10.

(3) Loc. cit. cap. 16, § 11. Verum de *Libris carolinis* cfr. Trombellius diss. x.

(4) Loc. cit.

(5) In Ps. CXIII.

lolatria immunes, *Tr.* ethnici generatim sumpti seu multitudo *N.* Etenim, praeter auctoritatem Scripturarum, innumera prope testimonia ac documenta ex antiquitate sacra et profana suppetunt, quae luculenter ostendunt, gentes omnes, quidquid de nonnullis singulatim individuis sit, in idolis aut totidem deos aut saltem virtutem divinam iis insidentem agnovisse. Hinc quod consequens est, et ex iisdem pariter eruitur documentis, constat, gentiles cultu absoluto ac latreutico idola veneratos esse, ut suo loco ostendimus (1). Addo, idololatriam necessario fluere ex polytheismo, ipsique intimam esse, cum tamquam totidem dii colantur, qui vel numquam extiterunt, cujusmodi sunt omnes divinitates abstractae, Febris e. g. Fortuna, Fatum etc. vel qui fuerunt in censu creaturarum, e. g. Saturnus, Jupiter etc. Nonnisi sero a nonnullis philosophis, ut cohonestarent polytheismum et idololatriam jamjam fatiscentem, atque ut se christianorum argumentis, quibus premebantur, subducerent, allegoricae interpretationes diversorum numinum excogitatae sunt.

145. Absque animadversione dimitti hic nequit mala adversariorum fides ac pessima agendi ratio, qui ut ethnicos ab idololatriae crimine liberent, toti in eo sunt, ut ostendant illos nonnisi cultu relativo simulacra veneratos esse; ut autem idololatriae catholicos insimulent, tradunt cultum relativum imaginum ido-

(1) Cfr. *Tract. de Deo*, n. 112. et seqq. Quoniam vero nonnulli protestantes adhuc huic difficultati insistunt, afferam quae in hanc rem scripsit Leibnitzius: « Verum enim vero, inquit, etsi usus loquendi effecerit, ut dicatur honor imagini adhibitus, reapse tamen non res inanima et incapax honoris sed prototypon honoratur coram imagine aut per imaginem, quemadmodum concilium (Tridentinum) honorem imaginibus habendum interpretatur; et hinc factum arbitror, quod scholastici disputaverint, imaginem Christi illo ipso summo latriae cultu adorari, quo ipse Christus Deus. Actus enim, qui adoratio imaginis dicitur, revera est adoratio ipsius Christi, occasione intuituque imaginis, et obverso ad eam corpore quasi ad ipsum Christum, ut illius praesentia manifestius exhibeatur, magisque animus ad contemplandum Dominum elevetur; nemo enim sanus cogitabit: da mihi, o imago, quod peto; tibi, o marmor aut lignum, gratias ago; sed te, Domine, adoro, tibi laudes cano . . . . Posito igitur, nullam aliam admitti venerationem imaginum, quam quae sit veneratio prototypi, non magis in ea erit idololatria, quam in veneratione, quae Deo et Christo exhibetur, sanctissimo ejus nomine pronuntiato. Nam et nomina sunt notae, et quidem imaginibus longe inferiores; rem enim multo minus repraesentant. Itaque, cum dicitur imaginem honorari, non id aliter intelligi debet, quam quo modo dicitur, in nomine Jesu genua flecti, nomen Domini benedici, nomini ejus gloriam dari; et coram imagine externa adorare, non magis reprehendendum est, quam adorare coram imagine interna, quae in phantasia nostra depicta est; nullus enim alius usus est externae imaginis, quam ut interna expressior fiat. Sapienter vero monuit concilium, ut ne credatur virtus aliqua sive divinitas ipsi imagini inesse atque inhabitare; quemadmodum Trojani putabant, Palladio ablato, urbem casuram, et Romani deos ex templis hostium, conceptis quibusdam verbis evocabant, et cum imagine ipsum Deum transferri credebant; aut quemadmodum sculptum signum alicujus Dei gestatum successus prosperos afferre quondam apud ethnicos persuasio erat, quas imaginum superstitiones Arabes in quibusdam figurationibus ac talismanibus, Judaei in nominibus scriptis aut pronuntiatis imitabantur, quae utique est iconolatria aut onomatolatria ». *Syst. theolog.* pag. 142 et seqq.

lolatrica superstitione nulla ratione vacare.

146. Ad 2. *D.* Catholici unam imaginem prae alia colere seu venerari consueverunt propter causas aliquas extrinsecas, *C.* propter virtutem eidem insitam seu propter se *N.* Nemo enim catholicorum ignorat imagines in se spectatas nihil habere, quare una prae alia coli mereatur. Extrinsecae igitur sunt et accidentales causae omnes, quibus aliquis permovetur ad unam potius quam ad aliam venerandam; nempe sive quod Deus dignatus fuerit per aliquam prodigia perpetrare et gratias elargiri, sive quod ad alicujus conspectum ferventiorem in se effectum excitare quispiam experiatur. Istae enim atque his similes aliae causae non parum influunt ad peculiarem ejusmodi venerationem nonnullis imaginibus conciliandam.

147. Exinde ratio petitur illarum peregrinationum, quas interdum catholici instituunt ad longinqua sanctuaria, ut vocant. Has quidem maligno dente carpunt protestantes; ast perperam siquidem eas a remotissimis temporibus usu receptas fuisse novimus (1), et a sanctissimis viris institutas (2); neque imagines venerandi causa tantum arripiebantur, aut ad recolenda augusta religionis nostrae monumenta, verum etiam ut hac viatores ratione se duris poenitentiae laboribus exercerent (3).

148. Si superstitionem saperet pictas tabulas velo obducere, hujus superstitionis auctor Deus ipse esset, qui, Exod. XL, 3. mandavit Moysi, ut demitteret velum ante arcam; superstitionis reus fuisset Salomon, qui, ut legitur II. Paral. III, velum demisit ante altare aureum. Notum est, in antiquis ecclesiis

(1) Cfr. Jac. Gretseri, S. J. eruditum et copiosum opus *De sacris peregrinationibus*, in quatuor libros distributum, cum appendicibus adversus Petrum Molinaeum, opp. auctoris edit. Ratisbon. 1734, tom. IV, part. post. Vid. etiam *encycl.* Bened. XIV, dat. 16 Jun. 1749.

(2) Praeter exempla, quae affert cit. Gretserus, lib. I et II, recentia habemus in s. Carolo Borromaeo, qui petiit Varallum ad venerandum illud sanctuarium; in s. Francisco Salesio, qui Augustam Taurinorum ad venerandam sacram Syndonem se contulit; in s. Joan. Cantio, qui tum Hierosolymam tum Romam non semel peregrinatus est ad invisenda loca sacra ac limina apostolorum. Quare synodus Pistoriensis, quae cum protestantibus has peregrinationes improbat, se parvi pendere *venerandam antiquitatem* et exempla sanctorum ostendit.

(3) Sic legitur in officio s. Joan. Cantii, 2 lect. II Noct. eum quater Romam venisse, *tum ut sedem apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret, tum ut sui* (sic enim aiebat) *purgatorii poenas, exposita illic quotidie peccatorum venia, redimeret.* Haec omnia domestico ipsis protestantibus testimonio libet adstruere; adversus autem synodum Pistoriensem eo melius adhuc ejusmodi testimonium urgemus, ut pateat non defuisse inter acatholicos, qui rectius de his senserit quam synodus ipsa. Sic igitur rursum scribit, op. cit. pag. 148, Leibnitzius: « Censendum est quidem, pietatis aliquando esse, loca quaedam sacra prae aliis vel libere vel ex voto visere, aliaque id genus obire, quoniam ipsum ceteraeque circumstantiae propositi singulares pars sunt honoris; et laudanda est praeparatio animi sibi aliquam poenam legemque certam dicentis, serii propositi ac zeli nostri peculiaris ostensio et cum publica concurrentium hominum pietatis significatione privata conspiratio ad Dei honorem; et locus ipse divinis beneficiis insignis recordatione illa et commemoratione fortius movet animum et sacro quodam horrore percellit; quod ne protestantes quidem, quibus sepulcrum Domini adire datum est, diffiteri memini ».

partem interiorem ab exteriori velis et tentoriis separatam fuisse (1); velis tecta erant martyrum sepulcra, quae cum mutarentur, dono mittebantur ad peculiares personas pietate ac dignitate insignes (2). Mirum proinde est, synodum Pistoriensem hunc usum carpsisse (3).

149. Miracula demum non fingunt catholici; sed ea referunt, quae publice, tota spectante interdum civitate, patrata fuerunt, et circa quae processus a legitima auctoritate constructi sunt (4). Velle autem omnia miracula negare, eo quod nonnulli, privata auctoritate aut falso rumore decepti, aliquot falsa evulgaverint, perinde est ac velle omnes nummos suspectos habere aut etiam rejicere, eo quod nonnulli falsarii nummos supposuerint aut adulteraverint.

150. Dices: Saltem nefas erit, Dei aut SS. Trinitatis imagines pingere ac in templis fidelium venerationi exponere, ne deceptionis aut erroris periculo objiciantur.

151. Resp. *D.* Pingi nequeunt imagines Dei aut Trinitatis in se aut in sua natura, *C.* sub formis symbolicis, sub quibus interdum Deus, aut quaelibet Divina Persona apparuit, atque prout pingi in ecclesia ejusmodi imagines consueverunt *N.* Absonum profecto esset, velle Deum aut Trinitatem pingere ad exprimendam ejus naturam; at nemo

(1) Cfr. Ant. Maria Lupi, op. cit. *Dissert. epistolare postuma intorno a' battisteri antichi*, § 81 et seqq.

(2) Boldetti, op. cit. lib. 1, cap. 9. Sed data opera de velorum usu in templis egit Rosweidus, S. J. pag. 849 et seqq. ad Paulinum.

(3) Cfr. Guasco, *Dizion. Ricciano* etc. art. *Mantellini*. Et hic juvat subjicere nonnullas propositiones ejusdem synodi cum censuris, quibus damnatae sunt in Constit. *Auctorem fidei*, quae huc referuntur:

LXIX. « Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis, propter sui generalitatem temeraria, ac pio per ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines ss. Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae ».

LXX. « Item doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, temeraria, perniciosa, pio per ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult (ex August. Ep. 78, Clero, senioribus et universae plebi Hipponensi) ».

LXXI. « Item, quae velat ne imagines, praesertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio, quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel ipsismet publicis precibus ecclesia probat et commendat; temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae injuriosa ».

LXXII. « Item, quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines; temeraria, frequentato in ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria ».

(4) Cf. Marchetti, *De' prodigj avvenuti in molte sacre immagini specialmente di Maria Santissima secondo gli autentici processi compilati in Roma*, Roma 1797. Vid. pariter, quae de Anconitana imagine B. V. scripsit Eques Artaud, *Histoire du Pape Pie* VII, Paris 1836, tom. 1, chap. II, pag. 29 et suiv.

catholicorum est, qui id intendat in his imaginibus. Cum autem Deus sive in Veteri sive in Novo Testamento corporea specie visus sit, nihil prohibet, quominus sub ea forma, in qua apparere dignatus est, pingi possit. Sane in vetustis musivis operibus, quae reperiuntur in aediculis christianorum ac in coemeteriis, saepe occurrunt ejusmodi imagines. S. Paulinus Nolanus, describens imagines basilicae s. Felicis, inter ceteras et hanc recenset SS. Trinitatis:

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno, vox Patris coelo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit (1).

152. Ad avertendum autem erroris cujuscumque periculum, satis erit populum rite instituere (2). Hinc inter ceteras propositiones damnatas ab Alex. VIII et haec habetur: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare* (3). Quare merito Pius VI eidem affinem propositionem synodi Pistoriensis iterum proscripsit.

CAPUT VI.

DE CRUCE

153. Supervacaneum quodammodo videri poterit, peculiarem instituere quaestionem de Cruce post ea, quae de reliquiarum ac imaginum cultu disputavimus. Vel enim agitur de vivifica Cruce ipsa, cui Christus affixus est, et in censum ea venit sacrarum reliquiarum, inter quas principem locum obtinet; vel agitur de Cruce, quae ad illius conformationem configurata est, et haec inter imagines sacras est computanda. Cum tamen Crux proprios adversarios nacta sit, ac mos jam obtinuerit de ea ex professo agere, ne videamur a majorum instituto discedere, breviter praecipua saltem attingemus, quae ad hoc argumentum referuntur. Ea autem sunt, ut innuimus, tum Crux ipsa Dominica, tum ejus imago, tum denique Crux quae in signo transeunte consistit; quae quidem omnia unica propositione complectimur, ne longius argumentum istud protrahamus.

PROPOSITIO.

Omni superstitione vacat tum cultus, quem catholici Cruci Dominicae ejusque imagini deferunt, tum usus Crucis signi, quod passim ab ipsis usurpatur

154. Ad fidem catholicam spectat haec propositio, ut patet ex decretis superius allatis circa reliquias et imagines et ex damnatione stauromachorum, Claudii nempe Taurinensis, seculo IX, aliorumque, qui eum secuti sunt, ut Petrus de Bruis, Wicleffus aliique obscuri nominis haeretici. Horum vafritiem adoptarunt Lutherus, Calvinus eorumque asseclae (4).

155. Sic vero assertam propositio-

(1) *Epist.* XXXII, *ad Sever.*

(2) Cfr. Bellarm. *De Imagin.* lib. II, cap. 8.

(3) Cfr. Viva S. J. *Damnatarum thesium theologica trutina*, part. III, in prop. XXV ab Alex. VIII damnata.

(4) Cfr. Bellarm. *De imag.* lib. II, cap 26; Gretserus, in erudito op. *De Cruce* tribus vol. fol. edit. cit.

nem per partes evincimus : statim ac seculo ecclesiae IV vivifica Christi Crux ab Helena reperta est, ut referunt gravissimi ejusdem aetatis scriptores (1), coli coepit, ab Helena primum, teste s. Ambrosio, qui ejusdem pietatem summopere commendat (2), ac deinceps ab universo christiano orbe. Cujus rei luculentissimum documentum ex eodem s. Doctore habemus qui haec scribit : *Sapiens Helena, quae Crucem in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur* (3). Eadem habet s. Cyrillus Hierosolym. qui et illud addit : *Lignum illud sanctum crucis testatur* (Deum esse Christum), *quod hodieque apud nos cernitur ; et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum istinc orbem terrarum fere complevit* (4). Idipsum testantur s. Joan. Chrysostomus (5), Theodoretus (6), s. Paulinus Nolanus (7), adeo ut vere scripserit Rusticus diaconus : *Clavos, quibus confixus est* (Christus), *et lignum venerabilis Crucis omnis per totum mundum ecclesia absque ulla contradictione adorat* (8) ; cui consonat s. Joan. Damascenus (9).

156. Nec mirum est lignum ipsum Crucis, in qua fixus est Redemptor hominum, et quam salutari rore sui sanguinis adspersit, quaeque praecipuum promerendae nostrae salutis instrumentum fuit, ut propterea σωτήριος, id est *salutaris*, proprie nominetur, ut Theodoretus observat (10), in tanta veneratione fuisse ; cum videamus, vel a primis seculis in summo honore ac pretio ejus effigiem Christi fideles habuisse. Exinde enim conficta illa ab ethnicis in christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari, de qua superius egimus. Neque enim de nihilo ut animadvertit Petavius, apud gentes rumor iste per-

(1) S. Ambrosius, in *Orat. funebri Theodosii Imp. ;* s. Paulinus Nolan. *Epist.* XXXI, *Ad Sulpic. Severum*, n. 5, edit. Muratori, Veron. 1736 ; Sulpicius ipse *Sac. Hist.* lib. II, cap. 34 ; Socrates, lib. I, cap. 17 ; Theodoretus, lib. I, cap. 18 ; Sozomen. lib. II, cap. 1 et 2 ; ac citra Helenae mentionem Eusebius, in *Vita Constantini*, lib. III, cap. 30 (de quo cfr. Bolland. tom. III Augusti, pag. 565, § 8 et seqq. edit. Antverp. n. 75) ; et s. Cyrillus Hierosolym. in *Epist. ad Constantium*, n. 3 : hic porro fuit testis ocularis ; Ruffinus, *Hist. Eccl.* lib. I, cap. 7 et 8.

(2) *Orat.* cit. *de obitu Theodosii*, num. 46, edit. Maur. ubi videat. not. edit.

(3) Ibid. n. 48.

(4) *Catech.* X, n. 19 : Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων, ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη πληρῶσαν. Ac rursum *Catech.* IV, n. 10 et *Catech.* XIII, n. 4. Cfr. not. Touttée ad hunc locum, ubi vindicat miraculum a Cyrillo et Paulino commemoratum, quod Crux, licet toties per frustula inde decerpta imminui deberet, tamen nullum detrimentum fuerit passa. Ex quo cadunt, quae Salmasius et ex eo Breckenridge ore profano dixerunt, posse ex reliquiis Crucis, quae circumferuntur, aut silvam caeduam exurgere, aut navem extrui.

(5) In lib. *Quod Christus sit Deus*, n. 9.

(6) *Hist. eccles.* lib. I, cap. 18.

(7) *Epist.* XXXI, *Ad Sulp. Sev.*

(8) Tom. IV, *Bibl. Patrum* De la Bigne, col. 1154.

(9) *De fide orth.* lib. IV, cap. II. De hoc peculiari argumento cfr. Zaccaria in *Symbolis Gorianis* Florentiae editis, vol. IX, pag. 67 et seqq. ubi pluribus veritatem hujus crucis inventionis vindicat.

(10) *Quaest.* XXVI *in Genes.*

crebuerat, cruces omnes etiam noxiorum a christianis in honore cultuque haberi, neque hoc illis potuissent unquam objicere, nisi certas venerari ipsos vidissent (1).

157. Deus ipse crebris miraculis hunc sibi cultum acceptum esse testatum voluit. Huc siquidem refertur celebris illa, quae vigilanti Constantino Imperatori visio in coelo facta est, quam refert Eusebius de *Crucis trophaeo* cum inscriptione: *Hoc vince* (2); tum jussum a Christo eidem per quietem apparente datum, ut ad signi illius similitudinem, quod viderat, fabricandum curaret vexillum, quo tamquam praesidio certissimo uteretur in praeliis contra impetus hostiles; prout reipsa Imperator effecit ac *Labarum* nuncupavit (3), sibique salutare esse perpetuo expertus est (4). Huc pariter spectant, quae de prodigiosa Crucis effigie in Judaeorum vestibus impressa referuntur, cum ipsi, jubente Juliano apostata, templum Hierosolymitanum instaurare aggressi sunt (5).

158. Patres propterea effusi sunt in Crucis cultu extollendo; quorum testimonia vulgata sunt ac omnium manibus teruntur, ut adeo necesse non sit ea recensere (6). Novimus insuper ex certissimis documentis, Crucis effigiem in altaribus antiquitus collocatam fuisse, ac proinde cultu veneratos eam fuisse primos Christi fideles (7).

159. Restat ut aliqua demum adjiciamus circa illud, quod Tertullianus vocat *signaculum frontium*, seu quod Crucis signum transiens dicitur, ac manus agitatione formatur, et rebus quandoque benedicendis adhibetur. Antiquis-

(1) Lib. XV, cap. II, § 4.

(2) *De vita Constant.* lib. I, c. 28.

(3) Euseb. ibid. a cap. 29 ad 32.

(4) Cfr. idem. Euseb. ibid. lib. II, cap. 7 et seq.; Sozomen. lib. II, cap. 1. Adversus eos, qui fictum autumarunt a Constantino visae crucis miraculum, ut Jac. Oiselius in *Thesauro antiquorum numismatum*, Jac. Tollius in notis ad Lactantii librum *De mortibus persecutorum*, et Joan. de Hoornebeek Leid. profess. in *Examine bullae Urbani* VIII, *De cultu imaginum*, a pag. 101: cfr. Baluzius, in adnotationibus ad eumdem Lactantii librum, et Norisius, Lect. VIII contra Albert. Fabricium, qui admissa veritate historica hujus facti, negat prodigiosam fuisse hanc crucem, ac litteras Τούτῳ νίκα, cruci circumpositas, putat explicari facile posse per naturale phaenomenon, scilicet per quatuor parelia sibi invicem opposita ac per halonem solarem. Vid. Trevoltienses, ad annum 1724; Gusta, in *Vita Constantini*; Jacuzzi *Syntagma quo apparentis magno Constantino Crucis historia complexa est universa*; ac Joan. Bapt. Toderini, *Dissertat. de Constantiniana crucis apparitione*, in collect. dissert. Zaccariae, tom. XIII.

(5) Cfr. Socrates, lib. III, cap. 20; Sozomenus, lib. V, cap. 22; Theodoret. lib. III, cap. 20, Ruffinus, lib. I, cap. 39.

(6) Cfr. Gretser. *De cruce*, tom. I, tribus prioribus libris.

(7) Cfr. Gretser. op. cit. lib. II, cap. 10 et 13. In excavationibus Pompejanis intra cubiculum illius domus, quae Pansam habuit dominum, in pariete, cui marmoratum est inductum, toreuma, Crucis effigiem exhibens, repertum est, saltem ut nonnulli referunt. Paries, qui illi est e regione, exhibet imagines larium, quibus ethnici suas domos tuebantur. Ea urbs anno 79 a Christi nativitate fuit et combusta et obruta. Primis vero ecclesiae temporibus non raro evenisse credimus, ut in eodem tecto una atque eadem gens et christianos et ethnicos numeraret inter suos. Vid. *A letter addressed*, etc. seu *Epistola ad R. D. Burgess. data a R. D. Baggs*, etc. Romae 1836.

simum esse ejus usum in ecclesia non negant protestantes, dummodo tamen veluti nuda ceremonia et ad fidei professionem instituta spectetur. Atqui ad emerendam praeterea utilitatem aliquam haec ceremonia instituta est.

160. Etenim nec nudam nec otiosam, sed ad multas opportunitates efficacem existimatam fuisse ab ipsis ecclesiae primordiis piam hanc ceremoniam evincunt trita illa Tertulliani verba, quae afferri solent ad ostendendam signi istius antiquitatem : *Ad omnem progressum*, ait ipse, *atque promotum ; ad omnem aditum et exitum ; ad vestitum, calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus* (1). Quomodo autem ad omnes ejusmodi usus adhibitum fuisset signaculum istud, si ad solam fidei professionem, ut Casaubonus contendit, usurpabatur ?

161. Hoc insuper signo fugari solitos daemones, et admiranda quaedam fuisse peracta multis iterum patrum tum testimoniis tum exemplis intelligimus. Epiphanius enim, Gregorius Nazianz. atque Nyssenus, Athanasius, Cassianus, Joan. Chrysost., Prudentius aliique passim apud Gretserum (2) testantur, plurima prodigia per salutare hoc signum patrata fuisse, maleficas incantationes dissipatas morbosque depulsos. Quinimo et aquam eodem Crucis signo ac benedictione consecrare veteres consuevisse adversus daemonum magorumque praestigias, eamque pietatem gratam sibi esse ingentibus interdum miraculis Deum ostendisse, iidem antiqui patres saepissime produnt (3).

162. Ex his igitur patet, Dominicam Crucem omni esse veneratione dignam omnique honore non quidem propter se, verum propter piacularem hostiam, quae ab ipsa pependit, ex qua ingens Deo gloria parta est, summa nobis utilitas, plenusque relatus est de morte ac inferno triumphus.

163. De natura vero cultus deferendi vexillo Crucis disputant Theologi. Quidam enim e scholasticis putant, sive veram Crucem sive ejus imagines latriae cultu esse venerandas, ut Damascenus, Bonaventura, Angelicus Doctor aliique (4). Ast Bellarminus scribit, hunc loquendi modum offendere aures catholicorum, tum etiam praebere occasionem haereticis liberius blasphemandi (5). Quapropter cum ceteris theologis docet, neque veram Christi Crucem, neque ejus imaginem per se adoratione latriae esse colendam. Latriae namque cultus creaturae deferri nequit, multo minus rationis experti, cujusmodi Crux est. Haec sententia clare deducitur ex actis concilii Nicaeni II (6).

164. Quod si honor imaginis transit

(1) *Lib. de Corona militar.* cap. 3, edit. Rigalt. post quae immediate subdit cap. 4 : « Harum et aliarum disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, etc. ». Ex quibus patet, hunc usum ex traditione apostolica descendere. Cfr. Gretser. op. cit. lib. IV, cap. 7 et seqq.

(2) Ibid. a cap. 20 ad 29.

(3) Cf. Petav. *De Incarn.* lib. XV, cap. 10 ; Mabillon, *Praef. in sec.* IV. *Bened.* § 3.

(4) Cfr. Gretser. lib. I, cap. 57 et seqq.

(5) *De Imag.* lib. II, a cap. 20 ad 25. ubi accurate argumentum istud totum expendit, ac per appositas propositiones quid verius videatur statuit, ac diversas opiniones conciliat.

(6) Act. I et VII.

in exemplar, idem tamen honor non est imagini impendendus ac prototypo. Ita major debetur regis personae reverentia quam ejus imagini aut vestimentis.

165. Dum ecclesia canit : *O Crux, ave, spes unica . . . O Crux adoranda*, per Crucem Christum significat, a quo salutis praesidia petimus, non ab ipsa Cruce; vel innuit nos expectare fructum Crucis, id est aeternam salutem per merita Christi, qui Cruci affixus est.

DIFFICULTATES

166. Obj. 1. Crux dolorem et ignominiam attulit Christo ejusque discipulis, non est igitur colenda. 2. Quod si Cruci deferendus cultus censetur ob illius cum corpore Christi contactum, Jordanis igitur aquae, Palaestinae terrae, asello cui insedit Christus, quin et servi Christum percutientis manui ac Judae labiis cultus erit tribuendus; quae absurdissima sunt. 3. Saltem nulla ratio est, cur Crucis imaginem speciali ratione venerari debeamus, quia refert Dominicam Crucem; alioquin et omnia praesepia, columnae omnes, spinae, flagella pariter colenda essent. 4. Demum negari nequit magicae artis esse characteribus ac signis divinam tribuere virtutem, ut catholici faciunt, qui vim fugandi daemones, morbosque dispellendi ac cetera ejusmodi ipsi tribuunt Crucis signo. Ergo.

167. Resp. ad 1. *D. conseq.* Si ratio haberetur ignominiae aut doloris, quem Crux Domino attulit, *C.* si habeatur ratio illius gloriae, quae ex ignominia et dolore parta est Christo, atque emolumentorum, quae nobis provenerunt *N.* Ad hanc vero gloriam et ad haec emolumenta catholici oculos et animum intendunt, dum Cruci honorem et cultum deferunt.

168. Ad 2. *N. cons. et paritatem.* Non solum enim ob corporis Christi contactum vera Christi Crux cultum seu venerationem meretur singularem, verum etiam quia selecta a Christo fuit tamquam instrumentum, quo salutis nostrae hostes devicit, *palam triumphans eos in semetipso*, ut loquitur Apostolus, et in quo affixum fuit et deletum *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis* (1). Eadem vero ratio non est Palaestinae terrae, etc. neque tantae sunt virtutis ut ponere valeant ob oculos nostros Christi passionem, nec proinde possemus istorum cultu animi nostri grati sensus erga Christum significare.

169. Manus autem servi Christum percutientis et labia Judae proditoris monumentum exhibent immanis impudentiae et nequitiae abominandae, ac moralem prae se ferunt indecentiam, ob quam non colenda, sed detestanda sunt. Nec praetereundum est, quod cultus, qui rationali individuo defertur, ut superius adnotavimus, sit absolutus ac terminetur in ipso, non vero sit *tantum* relativus. Excipiendus tamen casus, in quo aliquis alium repraesentat, ut cum legatus refert personam principis.

170. Ad 3. *N. iterum paritatem.* Ratio enim disparitatis in eo est, quod cruces per se unice institutae sunt ad repraesentandam veram Christi Crucem, non item vero praesepia, spineta ac cetera hujusmodi, quae ad alios usus adhibentur. Quod si eo fine praesepia, columnae, etc. pingerentur vel sculperentur, ut Christi Domini mysteria, nativitatis ex. gr. vel passionis referrent, tunc ea veneratione aliqua digna esse non inficiaremur.

(1) Coloss. II, 14.

171. Ad 4. *D.* Magicae superstitionis esset tribuere virtutem signo ipsi praescindendo a virtute Christi, *C.* secus *N.* Itaque catholici non signo ipsi in se spectato efficaciam tribuunt, sed quatenus illud refert passionem Christi ac tacitam saltem supponit Christi Domini invocationem (1).

172. Crucis porro virtutem et gloriam, ad eamque honorandam incitamenta eloquenter illis verbis edixit Chrysostomus: *Crux prius condemnationis et supplicii nomen erat; nunc res est venerabilis et desiderabilis. Crux antea dedecoris et poenae argumentum erat; nunc gloriae et honoris est occasio... Crux caput nostrae salutis, Crux infinitorum bonorum argumentum... haec reconciliationem Dei cum hominibus instituit.... Propter hanc daemones fugiunt, diabolus profligatur. Propter hanc humana natura cum angelica vivendi ratione contendit* (2).

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 30, cum notis P. Herbermanni.

(2) Ὁ σταυρὸς πρότερον αἰσχύνης ἦν καὶ κολάσεως ὑπόθεσις, νῦν δὲ γέγονε δόξης καὶ τιμῆς ἀφορμή. Σταυρὸς τὸ κεφάλαιον τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας· σταυρὸς ἡ τῶν μυρίων ἀγαθῶν ὑπόθεσις... οὗτος καταλλαγὰς Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐποιήσατο,... διὰ τοῦτον δαίμονες δραπετεύουσι, διὰ τοῦτον ὁ διάβολος φυγαδεύεται, διὰ τοῦτον ἡ ἀνθρώπινη φύσις πρὸς τὴν ἀγγελικὴν πολιτείαν ἁμιλλᾶται. *Homil.* II, *de Cruce et latrone*, n. 1, opp. edit. Maur. tom. II, pag. 411.

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

PROOEMIUM

1. In eum praecipue finem Unigenitus Dei Filius nostram sibi sumpsit naturam, tum ut homines a labe et poena eriperet, quam ipsi et primi parentis culpa contraxerant et privata sua nequitia sibi quisque consciverat, tum etiam ut illos ad Dei consortium revocaret atque ad aeternam felicitatem eveheret. Deus enim proposuit, ut loquitur Apostolus, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso* (Ephes. I, 9, 10). Haec porro *instauratio* in impii justificatione potissime consistit, et in adjumentis sive subsidiis, quibus homines adjuvantur ad eam sibi comparandam, atque in eadem jam comparata perseverandum, fructusque vita aeterna dignos eliciendos, donec ad Dei perveniant adspectum. Haec autem sunt, de quibus in praesentia agere instituimus, de gratia nempe, ut vocant, actuali, item de gratia sanctificante sive de justificatione, tum denique de merito; ex quibus profluit totius tractatus in tres partes distributio.

PARS PRIMA

DE GRATIA ACTUALI

2. Si magna illa *instauratio*, quam Christus perfecit per sacrificium mortis suae, in eo potissime consistit, quod hominem lapsum reparat, atque in pristinum, ex quo exciderat, statum revocat, patet talem ac tantam inter statum hominis innocentis et lapsi, ac demum per Christum reparati, intercedere veluti necessitudinem ac dependentiam, ut alter ab altero divelli omnino non possit. Ex recta siquidem aut prava notione primaevae conditionis primorum parentum, aut orthodoxa aut haeretica doctrina dimanat circa gratiam atque, ut deinceps videbimus, circa justificationem et meritum bonorum operum. Ex hoc enim primo veluti anulo, tota contexitur series aut veritatum, quae doctrinam catholicam constituunt, aut errorum sibi mutuo adversantium, quos pro diversa indole haeretici professi sunt, ad illam quoquomodo labefactandam.

3. Ut igitur contrarius pateat aut veritatum aut errorum nexus, atque uno veluti intuitu dignoscatur primae hujus tractatus partis conspectus, juverit hic subjicere diversa haereticorum systemata, eaque conferre cum doctrina ecclesiae catholicae. Inde enim eruemus errorum seriem ex suo veluti principio, atque unitatem catholicae doctrinae ex suo pariter fonte profluentem. Magnam hinc praeterea lucem mutuabimur ad intimius dignoscendam diversae doctrinae indolem, quam sive propugnare sive convellere nobis proposuimus.

4. *Primo* itaque pelagiani inficiantes primum parentem ad statum supernaturalem per gratiae collationem fuisse evectum, ac dono integritatis a Deo cumulatum, confecerunt nullam dari primigeniam labem, quae in posteros transmitteretur; nullum vulnus, nullam infirmitatem ex ea homines contrahere; homines sibi sufficere, neque eis opus esse alio subsidio seu gratia Salvatoris, sive ad mandata servanda, sive ad acquirendum qualemcumque utut sublimem perfectionis gradum, ipsamque ἀπαθείαν sive *imperturbabilitatem* assequendam. Ad haec enim sibi comparanda, in horum systemate habent homines dona Creatoris, quibus instructi sunt; hinc omnem gratiae interioris necessitatem rejecerunt.

5. *Secundo*. Sociniani cum pelagianis plane conveniunt. Rationalistae eadem sectantes vestigia, in eosdem errores lapsi sunt. In istorum enim systemate, homo paradisiacus non fuit nisi

typus primitivus idealis perfectionis, ad quem in se referendum ejus posteri provocantur, cui additus est alius typus longe praestantior in Christo Jesu. Homo quippe ex principio naturali perfectibilitatis semper potest in perfectione adipiscenda ulterius progredi, ita ut non solum typum referre, sed etiam ipsum superare queat. Nullus datur status supernaturalis, ex quo homo exciderit, aut ad quem revocari debeat; nulla praeterea ipsi opus est gratia, sive ad malum vitandum, sive ad bonum prosequendum (1).

6. *Tertio*. Semipelagiani quamvis peccatum originale admiserint ejusque in posteros Adae propagationem cum praecipuis saltem consectariis, quae ex hoc dogmate profluunt, non tamen omnia ipsius consectaria fassi sunt. Parum namque sibi constantes, dum plus quam par est liberi arbitrii viribus tribuerunt, initium salutis in homine collocarunt ac perseverantiam absque peculiaris gratiae subsidio. Quare cum pelagianis tum gratiae necessitati, quoad salutis initium et finem, tum ejus gratuitati detraxerunt, permiscentes statum integritatis cum statu elevationis ad ordinem supernaturalem per gratiam, qua primi parentes aucti a Deo sunt.

7. *Quarto*. Contra vero novatores saeculi XVI, ex principio quod constituerunt, protoparentum integritatem ac statum supernaturalem partem essentialem constituisse humanae naturae, confecerunt, 1. per peccatum originale ita foedatam in essentiali sua parte esse humanam naturam, ut nihil sani et integri ea retinuerit; 2. amisisse hominem liberum arbitrium, ita ut omni actu et potentia sive intellectus sive voluntatis destitutus fuerit, non solum ad pios motus, sed ad ipsa opera moraliter honesta elicienda (2); 3. haec opera sine gratia peracta totidem esse vitia et peccata; 4. gratiam hominem cogere ad agendum, seu gratiam humanae voluntati ineluctabilem necessitatem inferre, aliaque ejusmodi, quae ex eodem principio dimanant, quaeque suo loco enucleatius exponemus. Interea ad scopum quem nobis hic praestituimus, quod attinet, constat hominem in istorum systemate passive sub gratia se habere, nihilque agere eidem gratiae assentiendo aut cooperando.

8. *Quinto*. Bajus, et ex eo Jansenius et Quesnellus, novatorum systema adoptantes quoad primam protoparentum conditionem, dum autumarunt justitiam originalem cum donis ac privilegiis conjunctis debitam eis fuisse ex ipsa creatione, in eosdem scopulos impegerunt, tum circa amissionem libertatis et opera infidelium et peccatorum, tum circa gratiae naturam et efficaciam, tum denique circa praedestinationem absolutam. Quocirca, si verba mutaveris, immo quandoque nec ipsa verba, recte vocaveris systema jansenistarum systema protestantium nova methodo propositum.

9. Porro ecclesia catholica ex oppositio principio de integritate primi hominis, deque ejus elevatione ad ordinem seu statum supernaturalem tamquam dono naturae superaddito, accidentali ac plene gratuito, a quo ille per peccatum excidit, et cum eo universa ejus propago, oppositas recensitis erroribus et contradictorias consecutiones deduxit. Ac 1. quidem docet, tum integritate tum elevatione ad statum supernaturalem hominem per peccatum destitutum esse, seu ipsum penitus amisisse justi-

(1) Cfr. quae de hoc argumento scripsimus tom. III, *De Deo Creat.* n. 490 et seq. cum notis appositis.

(2) Cfr. ibid. n. 483 et seqq. et in not.

tiam originalem cum donis ipsi justitiae conjunctis: 2. In ordine ad statum supernaturalem et gratiam sanctificantem docet, hominem lapsum secundum animam mortuum esse; in ordine autem ad integritatem, ipsum secundum animam et corpus in deterius mutatum fuisse. 3. Relate pariter ad hanc integritatem, liberum hominis arbitrium per peccatum viribus fuisse attenuatum et inclinatum. 4. Cum vero haec omnia relativa sint ad privilegia et dona gratuita naturae superaddita eique accidentalia, patet ex ecclesiae catholicae doctrina, hominem lapsum his privilegiis et donis gratuitis expoliatum, in eum statum incidisse, in quo, dempta culpa, fuisset conditus, si Deus noluisset eum ad ordinem supernaturalem elevare ac integritate ceterisque donis cumulare, illi propterea imbecillitati obnoxium, quam per se postulat naturae humanae conditio. 5. Hinc ecclesia docet, nulla ratione posse hominem quidpiam sua virtute aut desiderare, aut velle, aut operari in ordine ad statum supernaturalem; sed ad eum recuperandum omnino necessariam ei esse gratiam Salvatoris. 6. Quod consequens est, hanc gratiam esse prorsus gratuitam, atque ex mera Dei largitate propter Christi merita homini concedi. 7. Cum tamen homo lapsus, ut diximus, liberum arbitrium, quale natura humana in se spectata exposcit, conservaverit, nec illud fuerit debilitatum, nisi relate ad eum statum integritatis ex quo excidit, hinc docet ecclesia, hominem posse libere cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti per gratiam, atque etiam dissentire, si velit (1): respuit proinde doctrinam de gratia necessitatem inferente. 8. Ex eodem principio profluit ejusdem ecclesiae doctrina, juxta quam homo lapsus per liberum arbitrium quo non fuit destitutus, potest aliquod morale bonum velle et efficere, ac opera moraliter honesta, seu sine gratia peracta, non esse totidem peccata (2). 9. Docet tamen in arduis praeceptis, et cum gravibus urgetur tentationibus, hominem lapsum gratia medicinali indigere, sive ad illa adimplenda, sive ad has superandas, prout auxilio aliquo, licet naturalis ordinis, pariter indiguisset, si Deus homini a se condito neque adjecisset donum integritatis, neque eum elevasset ad ordinem supernaturalem (3). 10. Demum, cum Christus universum humanum genus instauraverit seu repararerit, Deus vero, etiam supposita originali noxa, omnes homines salvos fieri voluerit, fideles praesertim ac justificatos, docet ecclesia Deum pro opportunitate auxilia necessaria omnibus conferre, praesertim fidelibus ac justis, ad ea praestanda, quae propriis viribus praestare non possent (4).

10. Atque haec satis in praesentia sint quoad utriusque systematis haeretici ac doctrinae catholicae expositionem; cetera enim, quae ex oppositis utriusque adversae doctrinae principiis consequuntur, sive sint errores sive veritates, pergemus explanare, ubi erit locus, cum scilicet de justificatione ac merito agemus, deinde etiam cum de sacramentis.

(1) Huc referuntur can. IV et V sess. VI concil. Trid. ac propositiones in Bajo et Quesnello proscriptae, quas inferius dabimus. Cfr. interea in tract. cit. n. 483 et seqq.

(2) Ex. can. VII, sess. cit. conc. Trid. et propp. damnatis in Bajo et Quesnello, quas suo loco adducemus.

(3) Cfr. tract. cit. n. 338 et seqq.

(4) Cfr. quae scripsimus tom. II, Tract. *De Deo ejusque attributis*, n. 459 et seqq.

11. Interea ex duplici conspectu, quem breviter ac summatim exposuimus, tum errorum, in quos haeretici prolapsi sunt, tum veritatum catholicarum quas tenet ecclesia, cum cujusque origine, nexu ac dependentia, patet, quodnam munus nostrum sit in prima hac tractatus parte (1). Agendum scilicet erit de gratiae necessitate, de ejusdem, ut vocant, gratuitate, natura ac distributione. In totidem propterea capita hanc tractatus partem dispertiemur, exposita prius ejusdem actualis gratiae multiplici acceptione ac divisione, ut methodo ac perspicuitati consulamus.

CAPUT I.

PRAELIMINARE

DE GRATIAE ACTUALIS NOTIONE ET DIVISIONE

12. 1. Gratia generatim sumpta quodvis donum aut beneficium significat, sive externum sive internum, ex mera liberalitate a Deo rationali creaturae tributum. Quo sensu creatio, conservatio aliaque his adnexa, multo magis lex, doctrina, exempla atque alia his similia gratiae nomine donari possunt. Id ipsum dicatur de donis illis, quae vulgo *gratiae gratis datae* nuncupari solent, cujusmodi ex. gr. sunt potestas miracula edendi, vaticinia, etc., quae in aliorum potius quam in illius, qui ea recipit, utilitatem cedunt.

13. 2. Prout vero hic accipitur, gratiae nomine intelligimus gratuitum illud interdum auxilium, quod Deus per Christi merita homini lapso largitur, tum ut ejus infirmitati consulat, atque ita ipse valeat mala declinare ac bona praestare, tum ut eum erigat ad statum supernaturalem, atque idoneum faciat ad actus supernaturales eliciendos, ut justificationem possit adipisci, in eaque jam consecuta perseverare, donec perveniat ad vitam aeternam.

14. Ex hac porro gratiae notione non modo patet, agi hic de dono gratuito ac interno naturae superaddito, cujus causa *efficiens* Deus sit, *meritoria* Christus, *finalis* vita aeterna; verum etiam de dono illo agi, cujus duplex est effectus, tum scilicet subveniendi naturae infirmitati per peccatum contractae, tum hominem lapsum restituendi in statum supernaturalem, ex quo homo ipse per Adae culpam exciderat, ut sic idoneus efficiatur ad actus supernaturales eliciendos, qui impetratorii quidem esse possunt justificationis, non autem meritorii ipsius justificationis, aut vitae aeternae. Hos enim, ut postea videbimus, non potest homo, nisi insuper gratia sanctificante sit instructus, elicere. Quatenus gratia hominem lapsum sanat ab infirmitate, quam per amissionem doni integritatis contraxit, eique praebet vires ad bene agendum, ad superandas tentationes atque ad malum declinandum, gratia *medicinalis* nuncupatur; quatenus autem hominem elevat ad statum supernaturalem, gratia *elevationis* vocari consuevit.

15. Quamvis passim utrumque officium simul gratia praestet, attamen duo haec simul permisceri non debent cum ex tali permixtione nec pauca nec levia incommoda oriantur. Fieri enim potest, ut gratia conferatur tantum ad robur addendum, ut homo ea praeditus ardua

(1) Haec autem, quae vix hic adumbravimus, latius explanabimus in hujus primae partis decursu, cum nempe veritates catholicas constituemus adversus contrariam doctrinam singulorum adversariorum.

perficere aut mala valeat declinare, uti in infidelibus contingit, etsi propterea ipsorum opera non possint dici supernaturalia; tum etiam fieri potest, ut detur gratia solum ad ponenda opera supernaturalia, aut etiam meritoria, etsi vires non addantur, cum nempe agitur de re facili, ad quam vires naturales pertingere possunt. Hinc est quod distinguere solent theologi inter *substantiam* operis ac ejusdem, ut vocant, *supernaturalitatem*. Ad substantiam operis sufficit gratia supernaturalis *entitativa*, ut scholae loquuntur; ad ejus supernaturalitatem requiritur praeterea *objectum formale* seu *motivum* supernaturale. Quando vero duo haec simul concurrunt, exurgit gratia illa, quae proprie ac stricte sumpta supernaturalis est, et ita nuncupatur tum ratione *sui* tum ratione *modi*. Ceterum prius, quod recensuimus, gratiae officium potissimo afficit voluntatem; posterius afficit potissimo intellectum.

16. Haec enucleatius circa gratiae notionem exponere voluimus ad omnia adversariorum diverticula praecavenda. Si quis porro cuperet accommodatiorem gratiae actualis definitionem, eam dicimus *donum Dei internum ac supernaturale creaturae rationali per Christi merita concessum in ordine ad vitam aeternam*.

17. 3. Gratia sic exposita multifariam dividitur juxta varias ejus operationes aut etiam exitum. Nos potiores ac celebriores divisiones ad finem, quem intendimus, subjiciemus.

18. Prima partitio est in gratiam *praevenientem* sive *excitantem*, quae et *operans* interdum dicitur, et in gratiam *cooperantem* sive *concomitantem*. In hanc divisionem concedunt veteres ac recentiores; ast non eadem fortasse veteribus ac recentioribus his nominibus significatio subest. Etenim s. Augustino gratia praeveniens nihil aliud est, nisi gratia, quae nullum antecedens meritum supponit, sed omne meritum *praevenit* (1); a recentioribus autem gratiae *praevenientis* nomine intelliguntur motus illi indeliberati, qui ad bonum alliciunt, ac in nobis a Deo excitantur sine nobis, quatenus a nostra non pendent voluntate. Quod sedulo notandum est tum ad s. Doctoris intelligentiam, tum ad

(1) Nullus fortasse locus adduci potest ex s. Augustino, in quo ipse vocem *praevenire*, aut gratiae, qua nos Deus *praevenit*, aut gratiae *praevenientis* non usurpaverit eo sensu, quem diximus. Satis hic sit decretorium ipsius testimonium afferre ex *Epist.* CCXVII, *ad Vital.* n. 28, edit. Maur. (quod in posterum semper subintelligendum est) ut pateat, quaenam sit ejus mens, dum vocem *praevenire* adhibet; sic igitur loquitur s. Doctor: « Haec et alia testimonia divina . . . ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et praevenire in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam praeparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur ». Vid. etiam *Enchir.* cap. 32; *De Natur. et Grat.* cap. 31; *Contra duas epist. Pelag.* lib. II, cap. 9, n. 21. Item ibid. cap. 8, n. 17; cap. 6, n. 11; lib. IV, cap. 6, n. 13; *De gestis Pelag.*, cap. 14, n. 34; *Epist.* CCXIV, *ad Valent.* n. 4; *De praedest.* cap. 3, n. 7, etc. Ac eodem sensu eamdem vocem adhibet s. Prosper, *Epist.* CCXXV, inter Augustinianas, n. 3, 4, 5, 6. Praeterea, quod animadvertendum est, ipsum concilium Tridentinum, sess. VI, can. III, ad sancti Augustini mentem hanc vocem adhibuit et eadem significatione; quod pariter praestitit, ibid. cap. 5, ubi exposuit, quo sensu declaraverit a Dei per Christum Jesum *praeveniente* gratia exordium sumendum esse justificationis, dicens: *Hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*.

praecavendam confusionem (1). Gratia *cooperans* est concursus supernaturalis ad illud bonum volendum et eliciendum, ad quod per gratiam praevenientem excitatur humana voluntas, quia Deus gratia sua simul cum humana libera voluntate ad bonum faciendum cooperatur. Hoc inter utramque gratiam intercedit discrimen, quod gratia praeveniens immediate in intellectum, mediate autem agat in voluntatem; gratia cooperans afficiat directe ac immediate voluntatem. Si motus, quod excitat gratia praeveniens, sunt ordinis supernaturalis, tunc actio, quae elicitur per gratiam cooperantem, erit supernaturalis; secus consistent in ordine naturalis honestatis, ut in infidelibus contingere solet. Utrique autem gratiae simul sumptae, prout supernaturalis est, convenit illa definitio s. Augustini, nempe gratia est *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus* (2), seu, ut alibi idem loquitur, quae datur *non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus* (3).

19. Partitio altera est in gratiam *sufficientem* et *efficacem*. *Sufficiens* gratia ea dicitur, quae caret effectu, seu cui voluntas non assentitur; contra *efficax* ea est, quae obtinet effectum ad quem datur, seu cui consentit voluntas. Utrum vero hic assensus vel dissensus voluntatis repeti debeat ex diversa gratiae sufficientis et efficacis natura, an a sola libera hominis voluntate, non consentiunt doctores in scholis catholicis, ut suo loco exponemus.

20. Gratia sufficiens subdividitur in *proxime* ac *remote sufficientem*. *Proxime sufficiens* vocatur ea, quae praebet immediate vires necessarias ad agendum; *remote* autem *sufficiens* ea dicitur, quae nonnisi mediate, ex. gr. per orationem, ejusmodi vires suppeditat.

21. Cum interdum in hac ipsa prima tractatus parte necessario mentionem facere debeamus de gratia *sanctificante* seu *habituali*, ne penitus ignoretur, quid sub hoc nomine veniat, ipsius subjicimus notionem ad dicendorum intelligentiam. Gratia itaque *sanctificans* seu, ut ajunt, *habitualis* ea est, qua homo immediate conjungitur Deo, fit justus

(1) Nam quatenus gratia significat illustrationem, non potest nisi immediate afficere intellectum, qui solus capax est illustrationis; ac mediate afficit voluntatem, quatenus haec motivis ab intellectu cognitis movetur ad aliquid optandum ac volendum. Sic etiam concupiscentia, per motus suos indeliberatos, nonnisi mediate et indirecte agit in voluntatem ipsam. Idque poscit natura ipsa creaturae rationalis, quae, nonnisi mediante intellectu, moveri potest ad aliquid volendum vel rejiciendum. Cum propterea affirmatur, gratiam *praevenientem* operari immediate in ipsam voluntatem, id intelligi debet, quatenus, ut diximus, in sensu veterum, gratia praeveniens utramque gratiam complectitur *illustrationis* et *inspirationis*, seu, ut recentiores loquuntur, gratiam *praevenientem* et *cooperantem*. Cfr. Zorzi, *Prodromo della nuova enciclopedia italiana*, Siena 1779, Appendice *Gratia efficace*, num. 5 et seqq.

(2) *Lib.* IV, *ad Bonif.* seu, *Contra duas epist. Pelag.* cap. 5, n. 11.

(3) *De grat. Christi*, lib. I, cap. 12, 13. Haec est gratiae idea, quam constanter praedicat s. Augustinus, qui, *De peccat. meritis*, lib. II, cap. 17, n. 26, munus gratiae demonstrat in eo esse, *ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat;* et ibid. cap. 19, n. 32, vocat gratiam *certam scientiam et victricem delectationem . . . lucem, qua illuminantur tenebrae, et suavitatem, qua dat fructum suum terra nostra*.

ac vitae aeternae haeres, estque in homine permanens, et per modum habitus eidem inhaerentis concipitur. Qui ea ornatus est, dicitur esse in statu gratiae. Verum de hac postea.

22. His, quatenus opus erat, circa variam gratiae acceptionem et divisionem expositis, iter, quod nobis constituimus, jam aggredimur.

CAPUT II.

DE GRATIAE NECESSITATE

23. Quadruplici ratione gratia actualis dici ac esse potest necessaria: vel scilicet ad opus ordinis naturalis, vel ad opus ordinis supernaturalis, vel ad opus meritorium, vel denique ad perseverandum in bono usque ad vitae exitum. Varii porro nobis occurrunt adversarii pro diversis hujus necessitatis respectibus, quos recensuimus. Pelagiani sub quovis respectu divini hujus auxilii necessitatem rejiciunt. Semipelagiani hanc necessitatem aggrediuntur tum quoad initium fidei tum quoad perseverantiam. Novatores ac jansenistae ex adverso nimis urgent hanc ipsam necessitatem, dum contendunt, sine gratia actuali nullum opus moraliter bonum agere hominem posse, vel etiam non posse sine fide, imo neque praestare posse bonum opus qualecumque sine justificatione aut gratia sanctificante. Cum igitur ex contrario principio profluxerint ejusmodi errores, et alii per defectum, ut aiunt, alii vero per excessum aeque impetant gratiae necessitatem, ut perspicuitati consulamus, in quatuor distinctos articulos hoc totum argumentum partiemur; in quorum duobus prioribus adversus eos, qui per defectum, in duobus posterioribus adversus eos, qui per excessum pugnant circa gratiae necessitatem, agemus. Sic enim, omnem evitantes confusionem, universam qua late patet doctrinam complectimur catholicam sub uno eodemque capite; ex quo deprehendemus, quid homo possit aut non possit propriis viribus tum in ordine supernaturali tum in ordine naturali, ac demum quousque sese extendat gratiae necessitas ad opera sive supernaturalia sive moralia elicienda.

ARTICULUS I.

De erroribus pelagianorum circa gratiae necessitatem

24. Cum primus hominum parens in systemate pelagianorum ut innuimus, neque supra naturae suae conditionem a Deo evectus fuerit per gratiae sanctificantis collationem, neque auctus dono integritatis, hinc Adam per peccatum nec excidit a tali statu, nec ullam infirmitatem contraxit; id est, neque expoliatus fuit supernaturalibus, neque fuit vulneratus in naturalibus. Quapropter ejus filii sine peccato nascuntur, ac in eodem statu nascuntur, in quo primus homo a Deo conditus fuit, cum nativa illa imbecillitate, quae propria naturae humanae est, obnoxii ignorantiae, concupiscentiae colluctationi ac demum morti. In hac hypothesi facile erat inferre, neque Adam post peccatum neque ejus posteros qualicumque indiguisse auxilio supernaturali, quo ad statum supernaturalem restituerentur, neque adjutorio quo aut eorum intellectus illustraretur, aut voluntas validior redderetur ac idonea ad bonum quodvis peragendum aut ad superandos tentationum impetus. Quod si a Deo ejusmodi conceduntur subsidia, ea quidem faciliorem efficient hominis laborem tum ad veritatis inquisitionem tum ad bonum praestandum; verumtamen ejusmodi praesidia aut forent externa, aut si interna, absolute ac per se minime essent necessaria.

25. Tale est pelagianorum systema, quod totam evertit gratiae necessitatem. Illud tamen Pelagius aperte minime professus est; sed verbis est usus ad fallendum compositis, utpote qui et catholicus videri et haereticus esse vellet. Etenim 1. gratiam fassus est; sed gratiae nomine dona naturalia Creatoris significabat; 2. gratiam aliam addidit praeter naturam, nempe legem ac revelationem; 3. exempla Christi ac peccatorum remissionem; 4. his juxta aliquos adjecit aliquam interiorem illustrationem, qua indirecte saltem excitaretur hominis voluntas ad *facilius* operandum. Quo referuntur s. Augustini verba, lib. *De gratia Christi*, ubi postquam commemorasset Pelagii dictum: *Ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*, subdit: *Tolle* facilius, *et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus* (1). Hic stetit Pelagius cum suis celebrioribus discipulis Caelestio et Juliano. Siquidem numquam admisit necessitatem gratiae, qua immediate excitaretur atque adjuvaretur voluntas ad actus supernaturales eliciendos, tum nempe quoad ipsius actus substantiam, ut ajunt, tum quoad modum; numquam scilicet admisit gratiam voluntatis seu, ut vocant, inspirationis. Quod vero spectat ad gratiam praevenientem, eo sensu nempe, quo eam recentiores theologi exponunt, de motionibus indeliberatis, quibus per illustrationem excitamur ad bene agendum, eatenus eam admittere visus est, quatenus facilior nobis per ipsam redditur actuum salutarium ac mandatorum executio, minime vero quatenus ad actus singulos eliciendos sit absolute necessaria. Dixi eo sensu, quo gratiam *praevenientem* exponunt recentiores theologi; siquidem, prout hanc vocem veteres accipiebant de gratia interioris illustrationis et inspirationis séu operante et cooperante, quae omne meritum nostrum praeveniret, eam, ut videbimus cap. seq. numquam admiserunt pelagiani.

26. Ex his colligimus, 1. controversiam, quae inter pelagianos et s. Augustinum viguit circa gratiae necessitatem, in postrema periodo tandem deductam esse ad necessitatem gratiae, quae immediate afficeret voluntatem eam praeveniendo ac adjuvando; non autem, ut perperam contendit Jansenius ad gratiam, quae necessitatem inferret voluntati, quam a Pelagio admitti voluisset s. Augustinus (2). Colligimus 2. hanc gratiae necessitatem, quatenus complectitur et praevenientem et cooperantem, ad actus singulos salutares absolutam esse ut adstruebat s. Augustinus partes ec-

(1) Cap. 29, n. 30. Nonnulli ex his Augustini verbis conjiciunt, Pelagium tandem aliquando admisisse veram gratiam interiorem illustrationis et inspirationis; ast perperam, ut patet ex iis, quae scribit s. Doctor, ibid. cap. 26, n. 27: « Istam Dei gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur, seque tamdiu contra sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat . . . Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat ».

(2) Lib. v, *De haeresi pelagiana*, cap. 11, pag. 110, edit. Rothomag. 1652, et sic in posterum, hac enim editione utor. Ibi igitur Jansenius totus in eo est, ut adstruat, quartum statum controversiae pelagianae in eo stetisse, ut Pelagius contenderet, gratiam nullam inferre necessitatem libero arbitrio, ita ut voluntas ei semper possit resistere aut obtemperare, contra vero s. Augustinus juxta catholicae ecclesiae fidem exigeret praeterea, ut talem gratiam admitteret, quae cogeret voluntatem ineluctabili necessitate ad agendum.

clesiae catholicae sustinens, secus ac volebat Pelagius ejusque discipuli (1). Ambae propterea hae veritates catholicae sequentibus propositionibus propugnandae sunt ac vindicandae adversus expositos pelagianorum errores. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis

27. Haec propositio est de fide; duobus siquidem his canonibus eam confirmavit concilium Trid. sess. VI, can. II: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juxte vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, anathema sit*. Et can. III: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet . . . anathema sit*. Praeiverant concilio Tridentino in hac ipsa doctrina catholica adstruenda plura concilia in causa pelagianorum celebrata, ut Diospolitanum anno 415, in quo fuit proscriptus septimus Pelagii articulus his verbis conceptus: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina* (2); Milevitanum II, seu potius Carthag. III, anno 416, in cujus cap. IV statuitur: *Quisquis dixerit, gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis praestari, ut, quod fa-*

(1) Circa historiam pelagianae haereseos cfr. Petavius, *De pelagianorum et semipelagianorum haeresi, lib. un.* Card. Noris, *Histor. pelagianae*, lib. I, opp. edit. Veron. 1729, tom. I; Joan. Garnerius S. J. *Dissert. in historiam pelagianam*, quae extat in appendice Augustiniana Joan. Clerici, pag. 40 et seqq. nec non Marii Mercatoris opera studio Joan. Garnerii, Paris. 1673, praesertim appendix posterior ad primam partem operum Marii Mercatoris, complectens dissertationes septem, in quibus integra continetur historia pelagiana, pag. 125 et seqq. Tanti porro fecit card. Norisius lucubrationes Joan. Garnerii, etsi in omnibus ei non assentiatur, ut scripserit ad Magliabecum: « Hoc tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in scriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut si ejusdem de rebus pelagianis commentaria historiam, quam de eadem haeresi hoc anno patavinis typis excusam emisi, praevenissent, mea statim scripta (quod sincere affirmo ac sancte juro) in angulum omnino projecissem » (tom. III, opp. col. 1176). Cfr. praeterea Nat. Alexander, *Hist. eccl.* saec. V, cap. 3, *De haeresibus, quibus infestata ecclesia est seculo* V, art. 2 et 3, nec non duae egregiae P. Livini Meyer dissertationes, quarum altera perstat ad calcem vol. I. *Hist. de auxiliis*, edit. Antverp. 1705, pag. 734, sub hoc titulo: *Dissert. de genuinis Pelagii et massiliensium erroribus*; altera ad calcem vol. II. *Hist. de auxiliis vindicatae*, Bruxel. 1715, Diss. IV, cui titulum praefixit: *De pelagianorum et massiliensium contra fidem erroribus*.

(2) Cfr. *Acta concil.* Hard. tom. I, col. 2011. De vafritie Pelagii ad synodum Diospolitanam decipiendam cfr. modo citati auctores.

ciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit... Utrumque donum Dei est, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus (1); pariter Arausicanum II anno 529, can. VII: *Si quis per naturae vigorem*, inquit, *bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere; sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti ... haeretico fallitur spiritu* (2).

28. Hanc porro doctrinam sacras litteras tradere sic luculenter evincimus. Juxta Scripturam omnes ac singuli actus salutares gratiae adscribendi sunt, si ex eadem nos sine gratia nec cogitare, nec velle, nec operari quidpiam possumus, quo ad salutem perveniamus; jam vero id constanter de nobis praedicat Scriptura. Etenim ad cogitationem quod attinet, sic loquitur Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. III, 5). Quoad voluntatem praeterea et actionem idem Apostolus scribit: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (Philipp. II, 13). Atque universim pronunciat: *Ipsius* (Christi) *factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus*. (Ephes. II, 10). Ex quibus patet, nos in ordine ad aeternam salutem comparari rebus non existentibus, quae scilicet ex nihilo educuntur ut sint, subsistant et agant. Haec autem cohaerent Christi ipsius verbis, Joan. VI, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* et ibid. XV, 4 et 5: *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere*. Quare nisi jugiter Christus gratia sua praesto sit homini, nihil omnino homo ex se potest aut cogitare, aut velle, aut operari, quod salutare sit. Optime propterea s. Augustinus, haec Christi verba commentans, ait: *Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest* (3). Hinc s. Jacobus, I, 17: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*.

29. Non alium porro fuisse ecclesiae sensum, multiplici ratione patet, quin singillatim patrum testimonia adducere debeamus. Ac primo ex ipsa agendi ratione Pelagii, qui cum primum innovare quidpiam circa hunc articulum nisus est, catholicis formulis haeresim suam tegere contendit, nec nisi ambiguis verbis vafritiem suam propinare ausus est (4). Argumentum igitur ineluctabile

(1) Ibid. col. 1218.

(2) Ibid. tom. II, col. 1099.

(3) *Tract.* LXXXI, *in Joan.* n. 3.

(4) Hac ratione fefellit synodum Palaestinam, dum aliud teneret, aliud profiteretur; quare absolutus dimissus est. Postea tamen, fraude detecta, et iterum et saepius damnatus est. Hic observare juverit, haereticos ipsis suis innovationibus testimonium reddere avitae fidei, quae ante ipsos in ecclesia obtinuit; dum enim numero pauci sunt, nonnisi timide atque cunctanter novitates suas incautis propinant verbis ambiguis atque ad fallendum compositis, ita ut ipsam catholicam doctrinam profiteri videantur. Quum numero validiores fiunt, larvam deponunt, ac palam haeresim detegunt, quam jamdiu in animo condiderant; ita se se gessit Arius, ita Nestorius, ceterique omnes, cum constans haec sit eorum ars.

est, contrariam plane doctrinam in ecclesia viguisse. Ex eo praeterea constat, quod simul ac episcopi suspicati sunt, dogma catholicum de gratiae necessitate a Pelagio appeti, illico undique in concilia coeuntes in heresiarchae doctrinam inquisierint, eamque proscripserint; nec aliter valuit Pelagius damnationis sententiam effugere, quam repudiando (quamvis subdole id fecerit), articulos novae doctrinae, qui ipsi adscribebantur. Tertio tandem liquet ex eo, quod, detecta fraude et omni ambiguitate sublata, ab universa ecclesia proscripta fuerit nova doctrina tamquam haeretica (1). Sane tum s. Hieronymus, qui omnium primus in arenam descendit adversus pelagianos, ac deinceps s. Augustinus tamquam in novarum rerum auctores ac haeretica dogmata serentes insurrexerunt. Praescribebat igitur ecclesiae catholicae doctrina hisce innovationibus.

30. Demum systema pelagianum ratio theologica duplici ex capite evertit; ac primo ex falso principio unde profluit, hominem scilicet paradisiacum ad statum supernaturalem minime fuisse evectum, nec proinde per peccatum ab eo excidisse amittendo justitiam originalem, cui ejusmodi elevatio erat conjuncta. Porro nos contrarium suo loco ostendimus (2). Secundo ex proportione, quae intercedere debet inter finem ac media. Nam si finis, ad quem homo per Christum reparatus pervenire debet, est supernaturalis beatitudo, ut pariter alibi a nobis demonstratum est (3), media item ad eum obtinendum supernaturalia esse necesse est. Quod si ejusmodi media sive subsidia supernaturalia sunt, id est super naturae conditionem posita eamque excedentia, evidens est ea a solo Deo posse praeberi, et nihil prorsus in tali rerum ordine hominem per se praestare posse, ac proinde summam et absolutam esse gratiae necessitatem ad actus salutares tum internos tum externos eliciendos, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES

31. I. Obj. Inter actus salutares principem locum obtinent fides, spes, charitas, conversio; rursum bona voluntas, opera pia, eleemosynae, ex. gr. orationes, jejunia, actus misericordiae in pauperes aliaque ejusmodi. Quis porro sanus sibi persuadeat ad ejusmodi praestanda jugiter opus esse superaddito gratiae auxilio, cum homo per se ultro haec perficere possit? Etenim credere vel non credere in hominis potestate est; illi propterea, cui aliquid credendum proponitur, motiva adduntur, quibus credibile fiat, ex. gr. miracula, vaticinia, aliaque ejusmodi; ex conformitate insuper, quam ratio deprehendit in articulis fidei cum principiis sibi ab auctore naturae inditis, eos vel rejicit vel admittit, quin alio auxilio indigeat; idipsum dicatur de spe, quae concipitur ex Dei promissis et ex possibilitate assecutionis ejus, quod promittitur. Multo facilius poterit homo Deum diligere, quum ejus animadvertit amabilitatem, resipiscere poterit et converti, quum terrore percellitur judiciorum Dei, quae ipsi

(1) Id constat ex concilio Ephesino oecumenico, quod can. IV damnavit sentientes cum Nestorio et Caelestio, apud Hard. tom. I, 1623, et ex tot synodorum particularium, ac Romanorum Pontificum decretis, latis adversus eandem pelagianorum doctrinam, de quibus cfr. citati auctores qui scripserunt de pelagiana haeresi.

(2) Cfr. tom. IV, n. 377 et seqq.

(3) Ibid. n. 579 et seqq.

per revelationem proponuntur ; cetera denique propriis viribus hominem praestare posse, exempla tot honestorum ethnicorum, qui gratia destituti virtutibus excelluerunt, manifeste ostendunt. Nec aliter docent sacrae Litterae: *Praedicate*, inquit Christus, *Evangelium omni creaturae ; qui crediderit salvus erit*, nec aliam conditionem injicit. Sic sexcenties sperare in Domino jubemur, quin ulla necessitatis ad id gratiae mentio fiat; ad Deum amandum provocamur, ad nos convertendos et ad alia his similia praestanda, quae frustra a nobis exigerentur, nisi in nostra essent potestate posita. De voluntate demum aperte ac universim pronunciat Apostolus: *Velle adjacet mihi* (Rom. VII, 18). Ergo.

32. Resp. *D. min.* Prout hi actus in se spectantur, seu in sua, ut dicitur, *materialitate*, *Tr.* De his enim inferius agemus ; prout actus salutares sunt ac supernaturales, seu ratione *modi N.* Duo haec inter se permisceri nequeunt. Fieri enim quandoque potest, quod postea enucleatius expendemus, ut nonnulli actus in se spectati faciles sint, ac praestari proinde possint sine peculiari gratiae auxilio, infirmitatem per peccatum contractam sanante. At de his hic non agitur. Sed quaestio versatur circa actus salutares ac supernaturales, quibus homo aut disponitur aut perducitur ad supernaturalem beatitudinem assequendam. Porro hoc ipso, quod hic ordo supra naturam hominis est, patet hominem, nisi gratia praeveniatur, excitetur ac adjuvetur ad ejusmodi actus eliciendos, in absoluta impotentia versari relate ad eosdem. Hinc est quod in fidei decretis, seu in sanctione catholicae doctrinae semper addatur : *sicut oportet*.

33. Hisce positis, per se concidunt, quae objecta sunt sive ex ratione, sive ex sacris Litteris. Atque ad argumenta primum quod attinet ex ratione petita, ex iis ad summum hoc unum colligitur, quod nunc in controversiam non venit, posse hominem propriis viribus fidem naturalem habere, spem, amorem, posse item varia opera naturalis ordinis exhibere ; minime vero sequitur, sine gratia posse hominem haec ipsa prout supernaturalia sunt velle aut perficere. Implicant enim ac se collidunt duae ideae, nempe haec opera solis naturae viribus eliciuntur, et haec opera supernaturalia sunt ; si enim sunt supernaturalia, ex naturae viribus non proficiscuntur, et e converso.

34. Ad ea vero, quae adjiciuntur ex sacris Litteris, juxta principia ibidem posita et ex toto systemate patet eas semper ac necessario supponere gratiam. Etenim si homo in ordine ad statum supernaturalem *mortuus* in Scripturis perhibetur (1), *coecus* (2), ineptus sine gratia praeveniente et excitante ad quidpiam cogitandum, volendum et operandum (3) ; si praeterea, quoties agitur de fide supernaturali trahi a Deo dicuntur, qui ad Christum veniunt, a Deo edocti (4), ita ut Deus dicatur cor adaperire eorum, qui fidem excipiunt (5), eos praeordinare ad vitam aeternam (6), nulli dubium subesse potest quin in objectis locis, in quibus sermo occurrit de fide aliisque ope-

(1) Ephes. II, 1 : *Cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*. Cfr. etiam I Cor. II, 14 et Joan. VIII, 34.

(2) Ibid. V, 8 : *Eratis aliquando tenebrae*.

(3) II Cor. III, 5 ; Philipp. I, 6 ; Rom. IX, 16.

(4) Joan. VI, 44.

(5) Act. XVI, 14.

(6) Ibid. XIII, 48.

ribus salutaribus, subintelligatur gratia praeveniente ac opitulante ea esse praestanda, cohaerenter ad illa principia, etsi nulla expressa de ea mentio occurrat, ut passim in aliis fit.

35. Quod demum ex Apostolo objicitur: *Velle adjacet mihi*, ad praesens argumentum non refertur. Nos enim agimus de necessitate gratiae ad actus salutares; Apostolus autem ibi loquitur de insita infirmitate in lucta, quam homo experitur in superanda concupiscentia, de qua inferius pertractabimus.

36. Inst. Homo a Deo fuit libero arbitrio instructus, quorsum vero hac libera facultate pollet, si ea uti nequeat ad finem, ad quem fuit a Deo conditus, ita ut homo semper ope gratiae indigeat ad actus salutares eliciendos?

37. Resp. Ut libere gratiae praevenienti et excitanti assentiatur, ac libere, gratia cooperante adjutus, bonum operetur, atque hac ratione homo aut se disponat ad justificationem, aut hanc adeptus meritoria opera per gratiam efficiat, ut uberius suo loco ostendemus. Prout enim libertas naturalis facultas est, non ordinatur nisi ad opera naturalis ordinis, minime vero ad opera, quae hunc ordinem excedunt ac superant, cujusmodi sunt opera salutaria, uti exposuimus et ostendimus. Ad haec enim elicienda opus est, ut Deus gratia sua hominem interius praeveniat, excitet, illuminet atque adjuvet.

38. II. Obj. quae est rationalistarum: 1. Operationes gratiae *immediatas et supernaturales*, jam olim nonnulli recte monuerunt, nec diserte promissas esse in Libris Sacris nec necessarias, quum, quae ad animum emendandum valeant, omnia legibus naturae a Deo optime efficiantur, nec denique ita conspicuas, ut cognosci certa ratione et intelligi possint. 2. Accedit, quod libertatem et studium hominum impediunt, mysticorum somnia fovent, et Deum ipsum auctorem arguunt peccatorum ab hominibus non emendatis commissorum. 3. Verum ipsi scriptores Sacri multis in locis mediatos et naturales gratiae divinae effectus significant aut commemorant, sana tantummodo ratione et experientia confirmatos. 4. In ea igitur sententia quiescendum esse censemus, Deum non modo virium humanae mentis et legis moralis, animo quasi inscriptae (Rom. II, 15), in universum, et modi, quo quisque his facultatibus instructus est, auctorem esse atque conservatorem, sed etiam fontem illius efficaciae, qua christiana religio bene intellecta ad recti bonique studium animos excitat, eosque spe ac solatio implet; 5. denique ipsum Deum rerum physicarum aeque ac moralium summum auctorem ac moderatorem, ad quem homo vera pietate imbutus, supra causarum intermediarum nexum exsurgens evehitur, largissime praebere opportunitates et immittere incitamenta, quibus singuli homines, salvis quidem legibus et physicis et moralibus a Deo ipso institutis, ad doctrinam illam cognoscendam, ejusque beneficiorum fructum percipiendum adducuntur. 6. Omnis igitur de gratia divina disputatio rectius ad doctrinam de providentia Dei singulari et concursu refertur . . . Quem quicumque pie veneratur, is, omissis quaestionibus quibusvis argutis atque inexplicabilibus, praesentissimam quidem Dei vim et operam salutiferam in morali sicut in physico rerum ordine expectabit. 7. Neque tamen ideo facultates et incitamenta ad animum emendandum ipsi suppeditata temere negligent, vel de iis optime ad usum translatis tamquam de singulari suo merito gloriabitur (1). Ergo.

(1) Ita Wegscheider, § 152.

39. Resp. ad 1. *D.* Perperam tamen hoc illi monuerunt et contra apertam Scripturarum auctoritatem, *C.* recte *N.* Nam ipsis rationalistis fatentibus (1), scriptores saltem Novi Testamenti docent, homines christianos et Deo ipsi et Jesu Christo (2) ejusque Spiritui (3) et Spiritui Sancto (quem ipsi a Spiritu Christi distinguunt), varia in animos suos effecta salutaria immittentibus, tribuere debere: *primum* religionis christianae cognitionem eamque profitendi consilium (4), *deinde* animi immutationem Evangelii praeceptis convenientem (5), *tum* perseverantiam in fide Evangelio praestanda atque in virtute perficienda conspicuam (6), singulas *denique* virtutes et motus pios (7), dotes etiam singulares quasdam cum baptismo interdum conjunctas (8), vel eum praecedentes (9). Falsum igitur est et contra omnem veritatem, quod hi monitores adstruunt, operationes gratiae *immediatas* et *supernaturales* nec promissas in Libris Sacris esse nec necessarias. Quod si haec referant adversarii ad voces *immediatas* ac *supernaturales*, certe has non habent sacrae Litterae, prout non habent voces *mediatas* ac *naturales*, quas tamen ipsi usurpant. Quaestio porro est *de re*, non de *formulis* quibus res significatur. Turpe autem est et contra dialecticae leges a formulis ad rem transitum facere. Probationes, quas ex Scripturis adduximus ad dogma catholicum vindicandum, prorsus convellunt ea, quae rursum pravi ejusmodi monitores obtrudunt, *omnia per leges naturae a Deo optime effici, nec ita conspicuas gratiae operationes esse, ut cognosci certa ratione et intelligi possint*. Dogma enim luculentissime traditum est, quod in praesentia sufficit.

40. Ad 2. *N.* Libertatem enim et hominum studium gratiae operationes juxta doctrinam catholicam mirifice promovent, cum ea perficiant. Nam si gratiae operationes spectentur prout naturales hominis facultates elevant ad ordinem supernaturalem, ac idoneas reddunt ad actus supernaturales perficiendos, qui non humanis viribus, sed instinctu influxuque divino elici debent, ut per se patet, nihil eis detrahunt; sed ea tantum adjiciunt, quae libertas et hominum studium per se nec habebant nec habere poterant. Quod si gratiae operationes spectentur prout medicinales sunt, ac tollunt impedimenta,

(1) Disserens enim cit. auct. § 148, de doctrina biblica circa gratiam divinam: *Ut homines*, inquit, *salute per Christum oblata, Deus ipse eos adjuvare decrevit; id quod testantur Scriptores Sacri, ac singulari attribuunt favori et gratiae.*

(2) II Thess. II, 15 et 16; III, 3-5.

(3) Rom. VIII, 9; Gal. IV, 6; Phil. I, 19; II, 2 et 13; I Cor. III, 16; Coll. VI, 19; XII, 6; Rom. XII, 3 et seqq.

(4) Joan. VI, 44. Act. XVI, 14; I Cor. I, 4-6; XII, 3; II Cor. IV, 6; Ephes. I, 17 et seqq. Phil. I, 3-6.

(5) Joan. III, 5: I Cor. VI, 11; Ephes. II, 5; Phil. II, 13; II Tim. II, 25; Tit. III, 4-6.

(6) I Cor. I, 8; III, 6; VI, 19; II Cor. I, 21; Ephes. III, 16 et seqq. Phil. I, 9; Col. I, 10; I Thess. V, 23; II Tim. I, 14; I Petr. V, 10.

(7) Gal. V, 22 et seqq. I Petr. I, 21; IV, 14; Rom. VIII, 26; Ephes. V, 18 et seqq.

(8) Joan. III, 5; Act. XIX, 5 et 6; Ephes. V, 26; Tit. III, 5.

(9) Act. X, 47.

quae ad bonum operandum opponunt infirmitas ac imbecillitas humanae naturae, tentationes et cupiditates, nemo est qui non videat, per eas libertatem et hominum studium maxime perfici, prout data opera inferius ostendemus. Ea vero, quae adduntur de mysticorum somniis ac de Deo peccatorum auctore, relinquimus lutheranis et calvinistis, quibus talia accepta referenda sunt.

41. Ad 3. *N.* Ut liquet ex iis, quae nuper diximus cum responderemus eidem difficultati a pelagianis objectae.

42. Ad 4. et seqq. *D.* Spiritui privato obsequendo adversus divinam revelationem, *C.* hanc adhuc retinendo *N.* Siquidem systema rationalisticum componi nequaquam potest cum divina revelatione, quae eidem omnino adversatur. Hoc enim perinde est ac si quis sibi ex arbitrio velit religionem extruere. His vero principiis admissis, absonum est adhuc ingerere mentionem de *religione christiana, ubi recte consideretur;* cum ex istorum mente, recta christianae religionis intelligentia nil aliud sit nisi ejusdem eversio. Hucusque nondum pertigerat Pelagius cum suis. Ridiculum porro est, quod quinto loco in specie subdunt hi rationalistae *de vera pietate*. Quaenam vera pietas fingi animo potest sine fide, sine gratia, sine revelatione? Quamnam pietatem praestolemur ab iis, qui *praesentissimam Dei vim et operationem salutiferam in morali ac physico ordine exspectant?* Ergone Christus ideo venit in mundum, ut in se typum moralem et physicum praeberet, ex quo rationalistae demum facultates et incitamenta ad animum emendandum suppeditata non negligerent? Huc usque deducta res est apud protestantes.

PROPOSITIO II.

Necessaria est Dei gratia homini lapso, tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas

43. Ad fidem catholicam spectat quoad omnes suas partes haec propositio, quam s. Augustinus adversus pelagianos vindicavit. Pelagius enim, ut praemisimus, inficiatus est primum hominem integritate naturae auctum a Deo esse; cumque propterea nullam ipse admitteret ex peccato originali naturae corruptionem, intulit non minus valere ejus posteros tum ad verum cognoscendum, tum ad bonum perficiendum atque ad vincendas difficultates, quae iisdem opponuntur, quam Adam ipse immediate a Deo conditus haec praestare potuerit.

44. Porro ex doctrina catholica de peccato originali ejusque effectibus discimus, protoparentem illam integritatem naturae a Deo accepisse cum justitia originali, eamque per peccatum amisisse, *totumque Adam*, ut loquitur concilium Trident., *per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse* (1). Haec autem totius Adam in deterius commutatio potissimum complectitur ignorantiam ex parte intellectus, in malum pronitatem ex parte voluntatis, et concupiscentiam ex animae et corporis conjunctione. Nisi igitur haec vulnera, homini inflicta per peccatum, medicinalis Christi gratia curet, ineptus homo

(1) Conc. Trid. sess. v, can. 1.

est ad tria illa praestanda, quae enumeravimus.

45. Animadvertendum autem hic est majoris perspicuitatis causa, 1. agi in praesenti propositione de sola operis moralis *substantia*, ut in scholis loquendi mos obtinet, non autem de *modo* seu de *opere supernaturali* aut *salutari*, adeoque agi de necessitate gratiae, quae supernaturalis quidem sit *ratione sui*, non autem *ratione modi* seu *finis*. Utrumque enim concurrat necesse est ad gratiam absolute supernaturalem constituendam ac proprie talem. Haec autem omnium prima vocatio est ad fidem una cum interiori illustratione et inspiratione, ut postea dicemus. 2. Notandum est, cum asserimus gratiam necessariam esse tum ad *omnes* veritates ordinis naturalis cognoscendas, etc., hoc non solum spectare nexum harum veritatum aut divinorum praeceptorum, verum etiam et abstrusiores veritates ac difficiliora praecepta tum absolute tum relative, ac praecipue praeceptum diligendi Deum super omnia. 3. Notandum est impotentiam, in qua nunc homo lapsus versatur respectu horum omnium, quae recensuimus, *moralem* esse, non *physicam* (1); alioquin homo reus culpae non esset, aut cum gravi tentationi cederet, aut cum arduum praeceptum transgrederetur; nec viribus a natura esset comparatus, quae proportionem servarent cum lege naturali seu moralis ordinis, ad quem suapte natura homo ordinatus est; nec vere libero arbitrio polleret. Moralis autem haec impotentia plures gradus admittit, tum in se, tum respectu particularis cujusquam individui, spectatis praesertim temporis, loci aliisque individui ipsius adjunctis.

46. His ita positis, per partes assertam propositionem evincimus. Ac primo quidem non posse hominem absque gratiae subsidio omnes ordinis naturalis cognoscere veritates, illa omnia evincunt quibus ostendimus necessitatem supernaturalis revelationis adversus incredulos et rationalistas, argumento potissimum ducto ex omnium seculorum experientia. Inde enim comperimus, tot ac tantis ignorantiae tenebris homines revelatione destitutos laborasse, ut nec populi rudes neque populi philosophorum doctrina et scientia exculti ita potuerint se ab iis expedire, ut in plures eosque gravissimos errores adversus sanam ethicen non impegerint. Comperimus praeterea philosophos ipsos, etsi omne studium in veritatis inquisitionem contulerint, in perniciosissimos tamen

(1) *Physica* impotentia idem valet ac impotentia *absoluta*, quae superari nullatenus potest; cujusmodi ex. gr. est in homine ad volandum, quia alis destitutus est. Impotentia *moralis* ea dicitur, quae aegre quidem ac difficulter, attamen absolute vinci potest; qualis in aegroto concipitur ad pondus quoddam attollendum, quod ipsi molestiam afferret. Moralis porro haec impotentia, seu verius difficultas, plures gradus admittit tum absolute tum relative; *absolute*, cum haec oritur ex ipsa rei arduitate; *relative*, cum non solum ex arduitate operis pendet, verum etiam ex ratione temporis, loci, individui, aliorumque adjunctorum seu, ut vocant, circumstantiarum, quae negotium illud jam per se arduum comitantur. Quandoque vero eo pervenit talis moralis impotentia aut difficultas, ut physicae seu absolutae aequivaleat; cujusmodi ex. gr. esset homini sanae mentis nudum per vias incedere, se ex alta turri in terram dejicere, etc. Haec autem sedulo animadvertenda erant, quia nonnulli inveniuntur scriptores praesertim ex factione janseniana, qui, ad invidiam declinandam, quandoque moralem impotentiam nominant, at sub hoc vocabulo moralem summam, quae physicae et absolutae aequipolleat, significant, et hac ratione fucum incautis faciunt.

errores delapsos esse, non secus ac recentiores incredulos, qui seposita revelatione conati sunt novam sibi ethicen cudere; siquidem in desperationem acti propriam impotentiam demum ultro fassi sunt (1). Et haec satis sint; nec est cur plura congeramus ex vitae brevitate, mentis angustia, multitudine officiorum, ex difficultate applicationis eorundem officiorum ad praxin, ex collisione praeceptorum, aliisque prope innumeris, quae urgeri possent.

47. Quod vero secundo loco positum est, non posse scilicet hominem lapsum absque Salvatoris gratia universam legem implere, aperte evincit ex una parte summa difficultas, quae inest quibusdam praeceptis; ex altera autem insita homini imbecillitas. Injuriarum condonatio, inimici dilectio, continentia aliaque, quae a lege praescribuntur non pauca, tantam prae se ferunt difficultatem, ut homo per se eam aut aegre omnino aut nullatenus superare valeat. Atque ut in continentia sistamus, libri Sapientiae auctor de se profitetur cap. VIII, 21: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat Sapientiae, scire cujus esset donum, adii Dominum et deprecatus sum illum*. Quo spectat et illud Apostoli dictum: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio* (Rom. VII, 18.); imo huc integrum refertur caput VII Epist. ad Rom.; ubi graphice Apostolus describit hominis impotentiam ad legem sine Christi gratia servandam. Ex hac porro difficultate, quam in se homo experitur ad continendum se in officio, origo potissima habetur idololatriae ac polytheismi, quibus ad turpissima quaeque cohonestanda gentes usae sunt, ut sic conscientiae stimulos et angores aliqua ratione suffocarent. Quibus si addantur nonnulli casus nec infrequentes, in quibus homo inter legis violationem ac vitae discrimen colluctatur, inter delictum quod sibi innoxium fore pollicetur et lucrum constitutus, ad longum tempus profecto non subsistit (2). Quod autem de lege in universum dictum est, peculiari ratione affirmari debet de praecepto diligendi Deum super omnia, amore nempe *appretiativo*, qui observantiam totius legis includit, ut per se patet; nec pluribus ad id demonstrandum opus est.

48. In immensum denique prope augetur haec difficultas ex eo, quod tertio loco constituimus, cum graves nempe tentationes animum pulsant, quas sine gratia sanante vincere homo non potest. Ejusmodi autem tentationes aliae inditae homini sunt, quas scilicet ingenerant cupiditates; aliae externae, quae vel ex daemonis aggressionibus, vel ex mundi blandimentis ac illecebris oriuntur. Vehementes quandoque et acres adeo stimulos cupiditates excitant, ut nonnisi aegrae ab iis homo non abripiatur: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (Gal. V, 17), inquit Apostolus; qui praeterea de se ex persona hominis sub lege constituti scribit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (Rom. VII, 23). Quod et viderunt ethnici ipsi juxta tritum illud poetae dictum:

> . . . . *Aliud cupiditas, mens aliud suadet;*
> *Video meliora proboque, deteriora sequor.*

(1) Cfr. vol. I, *De vera relig.* n. 54 et seqq.

(2) Cfr. Roberti S. J. *Della probità naturale*.

Quo quidem vocem naturae foedatae ac in malum pronae poeta expressit. His incitamentum addunt daemonis insectationes, ut passim Scripturae testantur, atque mundi blandimenta, ut infelix nimis experientia ostendit. Non aliter proinde poterit homo se his subducere eaque superare quam per Dei gratiam, qua opitulante excitatur ad officia excolenda, eaque omnia praestanda, quae muneris sui sunt, virtutemque sectandam. Quod declarat Apostolus loc. cit. ubi, postquam exclamasset: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* statim subdit: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (ibid. 24 et 25).

49. Constat igitur, quod proposuimus, necessariam scilicet esse Dei gratiam homini lapso, tum ad omnes veritates naturalis ordinis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas (1).

DIFFICULTATES

50. I. Obj. 1. Humana ratio iis omnibus a Deo instructa est facultatibus, quibus satis exculta ad veritates sui ordinis, ethices praesertim ac religionis pervenire possit. 2. Sane id, quod sunt brutis animantibus sensus et instinctus, est homini ratio; ergo, quemadmodum illa finem suum assequi possunt absque exteriori subsidio, ita et homo sola ratione potest ad finem suum pervenire per cognitionem veritatis, primae praesertim quae Deus est; dein etiam officiorum, quibus adstringitur erga Deum, erga se ac societatem. 3. Porro ratio ad instar seminis in homine latet, quod successu temporis evolvi debet, ut crescat, et perfectionem sibi propriam attingat. Institutione propterea indiget ratio et cultu, experientia, communicatione, ceterisque praesidiis, ut perveniat ad veritatem; quae si adsint, veritatem certe assequetur. Ergo.

51. Resp. ad 1. *D.* Physice et absolute, *C.* moraliter *N.* De hac vero morali potentia loquimur. Physica enim potestate ad veritates cognoscendas, ad quas ordinatus est, hominem lapsum adhuc pollere, non inficiamur; verum haec non sufficit, cum expedita non sit, ac multis difficultatibus sit circumsepta, quibus omnibus superandis multo opus tempore, labore, vigiliis, ut experientia ostendit; ex qua praeterea discimus vel ipsos sapientes post plurium seculorum conatus numquam eo pervenisse, ut veritatem erroribus iisque gravissimis immunem cognoverint. Deinde semper deest ejusdem ad officia practica applicatio; quae ut rite fiat, novis conatibus et eluctationibus opus est. Theoriae, ut ajunt, ac mentis humanae molitiones pulcherrimae non raro sunt; brevi tamen experimentum eas evertit.

52. Ad 2. *Neg. paritatem;* cum bruta sensibus et instinctu necessario agantur; at homo per ipsam rationem liber fit, quae, utpote certis finibus conclusa, non omnem veritatem agnoscit; unde et homo pravis cupiditatibus irretitus illa, heu! saepius, nimis prave utitur. Cupiditates enim, institutio, auctoritas ceterorum hominum, anticipata judicia eam saepe ita labefactant, ut verum dignoscere non valeat. Subsidio proinde indiget homo, ut recte incedat, et ad finem suum certo perveniat. Nec ei satis est ut Deum cognoscat et officia generalia, quibus adstringitur; sed necesse insuper est ut haec in particulari cognoscat ac rite applicet. Hoc porro opus, hic labor est.

(1) Cfr. Bellarm. *De grat. et lib. arbit.* lib. V, a cap. 4 ad 9.

53. Ad 5. *Conc. antec.* et *neg. cons.* Utique ratio ad instar seminis est, quod germinare debet, ut maturitatem attingat; sed ut germinet, requiritur gratiae subsidium, quod nisi praesto sit, tenuia illa ipsa principia facile corruunt ac prave inflectuntur; et nedum ad optatam perfectionem pertingant, extremam sibi perniciem consciscunt. Non aliter navis, etsi optimis instrumentis instructa sit ad mare trajiciendum, nisi ab experto nauta dirigatur, aut in syrtes incidet, aut ad scopulos se illidet (1).

54. II. Obj. 1. Scriptura passim ut certum assumit, posse hominem suis viribus totam legem implere. 1. Sic Deuter. XXX, 11, Moyses ait: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*. Eccl. pariter XV, 16 dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te*. 2. Quare Apostolus universim pronunciat: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt* (Rom. II, 14.); possunt igitur *naturaliter* seu naturae viribus sine gratia legis naturalis praecepta servari. Prout 3. de semet ipso testatur Apostolus, quod, cum nondum sub gratia esset, sed solum sub lege constitutus, *secundum justitiam, quae in lege est*, sit *conversatus sine querela* (Philip. III, 6). 4. Hinc s. Joan. Chrysost. scribit: *Admiratione dignos esse* (gentiles), *quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quae legis erant, praestiterint* (2); 5. cui cohaerens s. Hilarius duplicem librum distinguit, ad illud Ps. LXVIII: *Deleantur de libro viventium;* alterum viventium, alterum justorum; affirmat autem: *Eos in viventium libro esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati omnia praescripta legis impleverint, de quibus secundum legem Apostolus Paulus ita docuit:* (Rom. X.) *Quia qui fecerit ea, vivet in illis* (3). 6. Sane lex naturalis intra naturae limites continetur, neque proinde naturalem hominis facultatem excedit. 7. Cavendum propterea est, prout scite concludunt rationalistae, ne imbecillitatem istam naturae humanae nimium jactando, facilem peccantibus excusationem suppeditemus; in eo potius elaborare debent doctores publici, ut cujuslibet male facti pravitatem et turpitudinem vehementer praedicent, et facultatem homini, benigne a Deo concessam, vitiositatem quamvis superandi et, Deo ipso juvante (juxta naturalem providentiae ordinem), optima quaeque efficiendi magis magisque explanent, ut eam homines diligentius excolant (4). Ergo.

55. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob.

(1) Nonnulli auctores, ut se ab hac difficultate expediant, recurrere consueverunt ad humanae naturae infirmitatem, quae ex lapsu primorum parentum provenit. Ast hi ipsi non advertunt, eandem imbecillitatem locum habituram fuisse in hypothesi, quod Deus hominem noluerit dono indebito integritatis instruere, et tunc recurreret eadem difficultas solvenda. Si enim demas nonnulla accidentalia, eadem fuisset conditio hominis non elevati nec dono integritatis aucti, ac nunc est, postquam homo per peccatum dona illa amisit. Hoc solum intercedit discrimen, quod in tali hypothesi imbecillitas humanae naturae foret naturalis hominis conditio, nunc vero rationem habeat poenae ac infirmitatis. Cfr. quae diximus tom. IV, in Tract. *De Deo Creat.* num. 337. et seqq.

(2) *Hom.* V *in Epist. ad Rom.* n. 5. Διὰ τοῦτο γάρ, φησὶν, εἰσὶ θαυμαστοὶ, ὅτι νόμου οὐκ ἐδεήθησαν, καὶ τὰ τοῦ νόμου πάντα ἐπεδείξαντο.

(3) *Expos. in Ps.* LXVIII, n. 24, edit. Coust.

(4) Wegscheider, § 118.

D. Per auxilium divinae gratiae, *C.* sine illo *N.* In his enim ac similibus testimoniis, in quibus sermo est de legis observantia, aut fit ad eam implendam exhortatio, semper subintelligitur gratiae opitulatio cohaerenter ad illa, quae ibi aut alibi dicuntur. Etenim ante adductum ex Deuter. v. 6, testimonium jam dixerat Moyses : *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.* Quo pariter spectant illae prophetarum preces, quibus a Deo petunt, ut aut sibi aut populo cor docile tribuat ad legis mandata custodienda; quae innumerae prope sunt (1).

56. Ad 2. *D. Naturaliter* gentes ea, quae legis sunt, faciunt, quatenus opponitur legi scriptae, *C.* quatenus opponitur gratiae *N.* Scopus enim Apostoli adducto testimonio est, ostendere, gentes, etsi legem scriptam ut Judaei non habuerint, non fuisse tamen sine lege; cum eam in cordibus suis velut insculptam gesserint, ut ex ipsorum bene aut male factis ostendebant, testimonium ipsis perhibente conscientia. Quemadmodum vero Judaei non sine gratiae auxilio legem servabant, ita nec sine eodem gentes legem naturalem implebant. Non igitur gratiam excludit Apostolus; sed eam potius includit ac supponit (2).

57. Ad 3. *D.* Secundum justitiam legalem externam, seu coram hominibus, *C.* internam et proprie dictam coram Deo *N.* Alibi enim contrarium profitetur (3).

58. Ad 4. *D.* In sensu Apostoli nuper exposito, *C.* in sensu adversariorum *N.* Expresse enim s. Doctor, Hom. XIII in eamdem Epist. docet, legem sine gratia minime sufficere; nec salutis spem ac tentationum victoriam sine speciali Dei auxilio haberi posse (4).

59. Ad 5. In libro viventium in ordine ad vitam temporalem, *C.* in ordine ad vitam aeternam *N.* Alioquin nimis probaret, posse nempe quempiam per opera moraliter honesta pervenire ad salutem aeternam (5).

60. Ad 6. *D.* Non excedit naturalem hominis facultatem physicam, *C.* moralem, de qua loquimur *N.*

61. Ad 7. *D.* Si physicam inesse homini impotentiam doceremus et omni gratia hominem destitutum urgente praecepto, *C.* si moralem tantum, nec sine gratia, urgente praecepto, hominem esse docemus *N.* Tunc enim solum peccanti facilis praeberetur excusatio, si eum absolute impotentem ad legem servandam adstrueremus, ac sine omni gratiae auxilio, cum grave aliquod praeceptum urget, eum esse diceremus. Ast ab his sensibus abhorret doctrina catholica. Nemo quippe nisi volens ac libens peccato inquinatur. Quare adhortationes rationalistarum optime quidem congruunt doctoribus protestantibus, qui

(1) III Reg. III, 9; toto Ps. CXVIII, etc.

(2) Cfr. Bernard. a Piconio *Triplex expositio*, in hunc loc.

(3) Cfr. Epist. ad Titum, III, 3 et seqq. I Tim. I, 13, etc.

(4) N. 3 et seq. Imo in hac ipsa Hom. V, quae objicitur ab adversariis, id aperte declarat s. Joan. Chrysost. n. 4 et 5.

(5) Id patet ex toto contextu, ubi duplicem distinguit librum, *viventium* nempe et *justorum*. Ad librum justorum asserit pertinuisse eos, quibus justitia Christus factus est; ad librum autem viventium eos pertinuisse affirmat, qui legem sine Christi cognitione observarunt: *A quo libro*, inquit, *cum omnem populum deleri Moyses metueret, se primum deleri deprecatus est*. Metuebat autem Moyses, ne morti daretur populus, prout Deus comminatus fuerat..

docent, hominem per Adae peccatum omnem amisisse libertatem, ac necessitate ineluctabili ad peccatum impelli, non autem catholicis, qui, etsi hominis lapsi imbecillitatem praedicent, numquam tamen eum docent destitutum omni penitus gratiae subsidio, cum praeceptum instat, ad quod servandum impar ille sit, ut inferius adstruemus.

62. III. Obj. Si qua tentatio difficilis censeri debet ejusmodi profecto est comminatio mortis imminentis; jam vero hanc solis arbitrii viribus hominem superare posse, innumera prope exempla ostendunt; primo quidem Romanorum, qui non dubitarunt se passim morti devovere ex patriae amore; secundo tot haereticorum et schismaticorum, qui ad tuendas pravas suas opiniones gravissima interdum supplicia pertulerunt, nec tamen ad haec sustinenda Christi gratia communiti erant. 2. Pariter gravis aestimari solet tentatio, quae ex concupiscentiae colluctatione oritur; de ea tamen Gen. IV, 7. dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Potest igitur homo viribus suis concupiscentiam rationis imperio subjicere eique dominari. 3. Hinc optime s. Hieronymus: *Liberi arbitrii*, inquit, *nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est* (1). 4. Huic adstipulatur s. Thomas, qui aperte docet motum voluntatis non ex necessitate sequi passionem, imo posse voluntatem *non velle concupiscere, aut concupiscentiae non consentire;* et quidem viribus liberi arbitrii, quod ibi tuetur (2). Ergo.

63. Resp. ad 1. *Dist. min.* Per vehementiorem validioremque cupiditatem aliamve similem causam, *C.* per motivum moraliter honestum, *subdist.*, accedente gratiae auxilio, *C.* sine ipso *N.* Non inficiamur, interdum nonnullos homines vehementi aliquo aut gloriae stimulo, aut cupiditate qualicumque, aut ferocia animi ex pertinacia inflammata ita abripi, ut quaevis superent, mortemque contemnant. Quis tamen hanc veram fortitudinem aut virtutem appellet? Huc porro referuntur quamplurima facinora Romanorum, aut etiam haereticorum, schismaticorum aliorumque ejusmodi. Quod si ex motivo vere honesto compulsi nonnulli ex iis fuere ad talia perferenda, ex. gr. ex laudabili patriae amore, aut ad adstruendam aliquam veritatem, non sine gratiae auxilio tam arduum ac difficile opus aggressi sunt, ut docet s. Augustinus, qui lib. *De patientia*, cap. XVIII, hoc gratiae donum dicit esse, *non filiorum et haeredum, sed exhaeredatorum;* quod scilicet non ad hoc eis conceditur, ut per ipsum ad regnum coelorum promoveantur, sed ut mitius propter alia peccata puniantur. Comparans praeterea ibid. s. Doctor, cap. XVII, patientiam ex concupiscentia cum patientia ex gratia parta haec praeclare scribit: *Concupiscentia, quae non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior et ardentior, tanto fit quisque, pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum dolorumque patientior..... Non est ista patientia desursum descendens..... illi falsae patientiae potest sine adjutorio Dei humana voluntas sufficere, tanto durior, quanto cupidior, et eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor; huic autem, quae vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper adjuta et inflammata, non*

(1) *Adv. Jovinian.*, lib. II, n. 3, edit. Vallarsi.

(2) 1, 2, q. 10, a. 3, ad 1.

sufficit, quia Spiritus Sanctus est ignis ejus.

64. Ad 2. *D.* Potest homo rationis imperio subjicere concupiscentiam eique dominari physice sive absolute, *C.* moraliter, *subdist.;* Deo adjuvante, qui non permittit nos tentari supra id, quod possumus, *C.* non adjuvante *N.* In exposito porro sensu objectum Geneseos testimonium intelligi debet (1).

65. Ad 3. Eadem esto distinctio. Tuetur enim s. Hieronymus liberum voluntatis arbitrium adversus Jovinianum; non posse autem hominem ex se omnem vincere tentationem, non semel ipse profitetur (2).

66. Ad 4. *D.* Docet s. Thomas, motum voluntatis non subjici necessitati physicae, *C.* morali *N.* Patet ejus mens ex comparatione brutorum, qua hic utitur Angelicus Doctor. Contendit enim motum voluntatis liberae activum ac sui juris esse, nec subjici physicae necessitati; at non negat eum subesse necessitati morali (3).

ARTICULUS II.

De erroribus semipelagianorum circa eandem gratiae necessitatem

67. Semipelagiani ita appellati sunt, quod errores cum pelagianis quodammodo dimidiarunt. Ipsi necessitatem gratiae admittebant, sive ad augmentum fidei, sive ad opera salutaria fidem subsequentia, atque in hoc differebant a pelagianis. Ipsis tamen consentiebant in repudianda necessitate gratiae ad initium fidei et ad perseverandum in eadem fide usque ad finem. Hac ratione initium salutis atque in ea perseverantiam *a se ipsis* repetebant, non autem *a gratia Dei eorum voluntates praeveniente* (4).

68. Origo istius erroris, ut supra innuimus, ex eo peti debet, quod semipelagiani elevationem primi hominis ad statum supernaturalem permiscuerint cum ejus integritate; hinc, ex eo, quod non adeo depravatam existimarent per peccatum humanam naturam, ut non posset homo lapsus et aegrotus ex se saltem optare, velle ac petere sanitatem, inferebant, posse hominem per se habere initium fidei, imo et fidem ipsam, seu credulitatis affectum (5), atque in eadem perseverantiam usque in finem. Fide autem per proprias vires obtenta, docebant, eadem instructos deinde petere ac obtinere a Deo tum fidei augmentum tum opera salutaria. Ex hoc fundamentali errore ceteri profluebant, in quos semipelagiani delabebantur, gratiam scilicet juxta merita dari; Deum

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 8.

(2) Cfr. Bellarm. ibid.

(3) En ejus verba: *Immutatio hominis per passionem duobus modis contingit. Uno modo sic, quod totaliter ratio ligatur . . . . et de talibus eadem est ratio sicut et de animalibus brutis, quae ex necessitate sequuntur impetum passionis.*

(4) Cfr. Carolus Joseph Tricassinus Ord. Capp. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, Paris. 1673, part. 1, sect. 1, § 3 et seqq. praesertim §§ 16 et 17. Hic autem revocandum in mentem est, quod adnotavimus circa notionem *gratiae praevenientis* in sensu veterum, quae nempe complecteretur tum gratiam, quam nos dicimus *illustrationis*, tum eam, quam vocamus *inspirationis*. Haec enim animadversio hic nobis inservit.

(5) Hoc enim sensu semipelagiani contendebant fidem ex nobis esse; nam *fidem formalem*, ut mox dicemus, gratiae adscribebant.

velle omnes homines salvos fieri, ita tamen ut prius id ipsi velint solo voluntatis arbitrio; nullam dari praedestinationem ad gratiam. De quibus ex parte egimus, et ex parte postea agemus.

69. Ut interea consistamus in eo semipelagianorum errore, qui attingit necessitatem gratiae ad fidei initium et in ea perseverantiam, ad praecavendas jansenistarum fraudes animadvertendum est, semipelagianos non omnimode negasse necessitatem gratiae circa utrumque articulum recensitum, sed solum necessitatem gratiae, quae afficeret voluntatem; nam gratiam illustrationis sive intellectus necessariam esse ultro admittebant (1). Quare s. Augustinus, qui adversus eos disputavit, perpetuo urgebat necessitatem gratiae, quae ipsam voluntatem immediate attingeret. Ex hoc vero intulit Jansenius, semipelagianos admisisse gratiam ad initium fidei, et in eo fuisse haereticos, quod contenderent gratiam istam talem esse, cui voluntas posset resistere vel obtemperare. Quare haec ejus propositio, quae est n. IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*, proscripta fuit ab Innocentio X ut *falsa* et *haeretica; falsa* nimirum ex parte historica, *haeretica* ex parte theoretica (2).

(1) Nam pelagiani ipsi admittebant necessitatem gratiae, quae dicitur illustrationis seu intellectus; sed nullam agnoscebant gratiam in voluntate necessariam; ut pluribus ostendit cit. auctor in op. *De praedestinatione ad gloriam*, part. II, sect. 3, § 10, punct. II. Jam vero semipelagiani circa fidei initium et in ea perseverantiam, ac propterea circa *gratuitatem* gratiae plane consentiebant cum pelagianis, ut passim s. Augustinus testatur, ac facile adductis ex s. Augustino testimoniis ostendi posset, nisi ipsemet Jansenius id fateretur, *De haeresi pelag. et semipel.*, lib. VIII, cap. I, § qui incipit: *Non enim*, pag. 162, ubi scribit: *Certissimis enim divi Augustini et Prosperi testimoniis constat, doctrinam eorum* (semipelagianorum), *qua ab ecclesia dissidebant, non alio nomine fuisse repudiatam, quam quod pelagianam haeresim restaurarent*.

(2) Post ejusmodi censuram mirum est, nonnullos theologos catholicos adhuc cum jansenistis ausos esse adstruere, semipelagianos agnovisse necessitatem gratiae ad fidei initium. Hoc enim perinde est ac velle contradictoriam propositionem illi, quae damnata est a Rom. Pontifice tamquam *falsa*, defendere ut *veram*. Hic admonendum est, Jansenium ideo statuisse pelagianos ac semipelagianos admisisse gratiae necessitatem ad fidei initium, ut deinde inferret, totam controversiam, quae inter Augustinum et illos viguit, agitatam tantum esse circa vim et efficaciam gratiae; ita ut pelagiani ac semipelagiani contenderent integram seu indifferentem permanere libertatem sub gratia, s. Augustinus autem adstrueret adversus eos juxta catholicam doctrinam gratiam inferre necessitatem ineluctabilem voluntati. Dolendum propterea est, eosdem catholicos theologos adstipulatos fuisse etiam ex hac parte Jansenio circa statum controversiae inter semipelagianos et s. Augustinum, saltem circa efficaciam gratiae; secus ac veritas historiae patiatur, et auctoritas Romanorum Pontificum declaraverit. Hoc enim est catholicam causam prodere, ad privata placita inconsulto statuenda. Cfr. inter ceteros Nat. Alex. loc. cit. art. 2, de *Pelagianorum erroribus*, § 3 et seqq. Interim si secernatur gratia *illustrationis* seu intellectus, quam tam pelagiani, ut diximus, quam semipelagiani admiserunt ad fidei initium, a gratia *inspirationis* seu *voluntatis*, cujus necessitatem utrique pertinaciter inficiati sunt; si praeterea secernatur fidei initium a fide for-

Adversus hunc semipelagianorum errorem sequentem statuimus propositionem

PROPOSITIO.

Sine Sancti Spiritus illuminatione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei et in fide perseverantiam usque in finem

70. De fide est haec propositio, ut constat ex definitione concilii Trident. sess. VI, can. IV: *Si quis dixerit, sine Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere posse, sicut oportet . . . . , ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Tridentino praeiverat conc. Arausicanum II, can. V: *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti . . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur;* et can. VII: *Si quis per naturae vigorem . . . . Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti . . . haeretico fallitur spiritu* (1).

71. Ita vero catholicae hujus fidei sanctiones ex sacris Litteris in primis vindicamus. Divina oracula non soli externae fidei praedicationi et illustrationi tribuunt fidem et fidei initium, sed interiori Spiritus S. operationi illuminanti atque inspiranti, si docent, neminem nisi trahente Patre ad Christum pervenire posse; fidem donum Dei esse, quod nonnisi ex misericordia et gratia conceditur, et ita concedi divinam hanc misericordiam, ut nemo gloriari possit in operibus suis, quasi illud non acceperit; si denique perhibeant eos, qui fidem susceperunt, id praestitisse Deo cor adaperiente ac praeordinante ad vitam aeternam. At haec omnia luculentissime Scripturae tradunt. Christus enim, Joan. VI, 14: *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Apostolus autem, I Cor. VII, 25: *Misericordiam*, inquit, *consecutus a Domino, ut sim fidelis;* item ad Philipp. I, 29, scribit: *Vobis donatum est, pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini;* subdit vero, Ephes. II, 8: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*. Hinc I Cor. IV, 7, fidenter interrogat: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quo praecipue testimonio*, ait s. Augustinus, *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis* (2). Ac rursum, Rom. XI; 35, interrogat Apostolus: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Quae omnia falsa essent in semipelagianorum systemate. Verum illud

mali, quam semipelagiani inter *opera* ipsa recensebant, et quibus eliciendis gratiae necessitatem agnoscebant, tollitur omnis amphibologia.

(1) Cfr. *Acta Conc.* Harduini, tom. II, col. 1098.

(2) Lib. *De praedest. Sanct.* cap. 3, n. 7.

demum everlunt facta ipsa in Libris sacris relata. Etenim de Lydia purpuraria legitur, Act. XVI, 14: *Dominus aperuit cor* (ejus) *intendere his, quae dicebantur a Paulo;* et ibid. XIII, 48, generatim dicitur: *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.*

72. Post haec supervacaneum videretur, patrum testimonia congerere; qui uno animo omnes in eundem sensum conveniunt. Vix propterea ex uno aut altero, ne longiores simus, testimonia promemus, etsi vulgatissima sint. S. Cyprianus ex Latinis: *In nullo gloriandum*, ait, *quando nostrum nihil sit* (1); et s. Ambrosius: *Non in potestate nostra est cor nostrum et nostrae cogitationes* (2). Ex Graecis s. Greg. Nazianzenus: *Qui dedit*, inquit, *quod primum est, dabit et quod secundum est* (3), id est, plenam et integram fidem (4).

73. Ad haec accedit universalis ecclesiae sensus, quae semper orare consuevit pro infidelibus, ut ad fidem a Deo perducantur, atque in ea semel accepta jugiter perseverent. Pro certo igitur habuit, tam fidem quam ejus initium atque in eadem perseverantiam totidem Dei dona esse. Neque enim, ut optime arguit s. Augustinus, ab alio poscimus, quod in nostra est potestate: *Quando enim*, inquit, *non oratum est in ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? . . . Nam, si haec ab ipso* (Deo) *quidem poscit ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere, quod orat, a Domino, si hoc a seipso se sumere existimat, non ab illo* (5)? Etenim: *Oratio*, ut idem s. Doctor loquitur, *clarissima est gratiae testificatio* (6).

74. Denique per hoc semipelagianorum commentum tota labefactatur gratiae oeconomia. Nam 1. non amplius gratuita foret, secus ac exposcat ipsa gratiae notio, ut inferius ostendemus. 2. Primas in salutis negotio partes sibi homo vindicaret, non Deus. 3. Homo per Adae peccatum non excidisset omnino a statu supernaturali, nec opus Redemptore haberet ad eundem statum recuperandum. 4. Demum, ceteris omissis, in eo peccat adversariorum systema, quod assumat, posse hominem, utcumque viribus naturalibus instructum, vel etiam in integritate naturae, actum supernaturalem elicere ac salutarem, quod ta-

(1) *Testimon. ad Quirinum*, lib. III, cap. 4. Hoc porro testimonium s. Cypriani laudat s. Augustinus, loc. cit.

(2) Lib. *De fuga seculi*, cap. I, num. 1.

(3) *Orat.* XLIV, *in Pentec.* n. 11: Δώσει, εὖ οἶδα, ὁ τὸ πρῶτον δούς καὶ τὸ δεύτερον, pag. 710, tom. I, edit. Paris. 1630.

(4) Cum janseniani patres graecos semipelagianismi accusare non vereantur, ut pateat quam injuste haec calumnia tot sanctissimis et doctissimis viris struatur, satis erit consulere egregium opus Isaaci Habert, episcopi Vabrensis, quod inscribitur *Theologiae Graecorum Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae*, vol. un. fol. Paris. 1646. Vide praesertim lib. I, cap. 8; cui tit. *Gratiae ad actum credendi et initium fidei summa necessitas ex mente perpetua graecorum patrum;* ubi argumentum, de quo hic agimus, copiosissime evolvit, ac difficultates disjicit, quas ex istorum patrum scriptis tum jansenistae tum ipsorum antesignani calvinistae promovere solent.

(5) Lib. *De dono perseverant.* cap. 23, n. 63.

(6) *Epist.* CLXXVII, n. 4.

men falsum est (1). Hoc ipso enim, ut alias jam animadvertimus, quod *supernaturalis* est aliquis actus, excedit naturae vires; nec nisi ab eo, qui supra naturam creatam omnem sit, dari potest, scilicet a Deo. Si autem a Deo datur fides, ab eo pariter debet conservari. Ergo tum ad fidei initium tum ad fidem ipsam atque ad perseverandum in ea, necessaria est Spiritus S. gratia, quae et mentem interius illustret, et moveat voluntatem, prout ostendendum assumpsimus.

DIFFICULTATES

75. 1. Obj. Scriptura passim primas partes in salutis negotio, ac propterea circa fidem ejusque initium, homini tribuit. Sic, Prov. XVI, 1, dicitur: *Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam*, et v. 9: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus;* Zachar. I, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus et convertar ad vos*. Sed clarius in N. T. id ipsum traditur; nam, Matth. XXV, 15, Christus perhibet, sub hominis parabola, Deum dedisse talenta *unicuique secundum propriam virtutem;* ac, Luc. XI, 9: *Petite*, ait Christus, *et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*. Hinc apostolos suos instruens, Matth. VII, 6: *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos;* et ibid. X, 11: *In quamcumque civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete*. Ergo.

76. Resp. *Neg. ant.* Ad prob. *Dist.* Divina gratia illustrati et adjuti homines animam praeparant, disponunt viam suam, convertuntur ad Dominum, etc., *C.* solis naturae viribus *N.* Haec enim aliaque ejusmodi sacrarum Scripturarum eloquia semper gratiam praevenientem supponunt, cohaerenter ad alia loca, in quibus hae ipsae praeparationes, dispositiones, conversiones ipsi Deo tribuuntur, et cohaerenter ad ea, in quibus, ut vidimus, Deus dicitur operari in nobis velle et perficere, nihil sine eo nos efficere posse, non posse nos a nobis quasi ex nobis quidpiam salutare cogitare. Hinc non aliud significant prolati textus, nisi nos libere cooperari divinae gratiae, prout eos exponit concilium Tridentinum illis verbis: *Cum dicitur: Convertimini ad me et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; Dei nos gratia praeveniri confitemur* (2).

77. Posito generali hoc principio, responsio patet ad ea, quae semipelagiani subtexuerunt. Etenim *virtutem* illam, de qua Matth. XXV sermo fit, non ex natura, sed ex praevia gratia illi sibi compararunt. Nam *unicuique nostrum data est gratia*, ut loquitur Apostolus, *secundum mensuram donationis Christi* (3).

(1) Quod animadvertendum est; siquidem fieri potuit, ut Deus primos parentes instrueret dono integritatis, nec eos elevaret ad ordinem supernaturalem, et e converso. Unum enim ab altero dono distingui ac dispesci potest. Deus tamen utrumque donum conjungere voluit in Adam, ut ostenderet divitias bonitatis suae. Hinc ad utrumque reparandum diversa gratia opus est; ad reparandam enim infirmitatem ex peccato contractam indiget homo gratia *medicinali*, ad recuperandum statum supernaturalem indiget gratia *elevationis;* quando vero agitur de opere difficili ac supernaturali, utriusque gratiae conjunctio et subventio necessaria est.

(2) Sess. VI, cap. 5.

(3) Ephes. IV, 7. Cfr. in hunc Matth. locum Corn. a Lapide, qui putat, illud *pro-*

78. Sic etiam, ut recte petamus et oremus, a Spiritu Sancto est, teste eodem Apostolo, scribente: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. VIII, 26).

79. Dum Christus Matth. VII, apostolos instruit, eos quidem monet, ne omnibus promiscue hominibus communicarent absque delectu doctrinam evangelicam, nec eam irrisioni ac profanationi exponerent; at non asserit eos, quibus debebant annunciare eandem doctrinam illius dignos fuisse factos virtute propria. Dei enim solius est ex indignis dignos facere. Ex quo pariter solvitur, quod postremo loco propositum est.

80. II. Obj. Plura suppetunt ex Scripturis exempla eorum, qui propriis viribus sese ad fidem disposuerunt atque eam promeruerunt. 1. Illustria sunt exempla Zacchaei, boni Latronis, Centurionis: qui aut desiderio Christum videndi, aut sua confessione, suisve orationibus et eleemosynis fidem et conversionem promeriti sunt. His addi potest alter Centurio, de quo, Matth. VIII, 10, ait Christus: *Non inveni tantam fidem in Israël*. Quod si hanc fidem ex Dei gratia consecutus esset Centurio, miratus eam non esset Christus, ac dicere potius debuisset: *Non dedi tantam fidem in Israël*. 2. Demum aliud hujus rei luculentissimum exemplum praebet David, qui, ut legitur III Reg. VIII, 17: *Voluit aedificare domum nomini Domini Dei Israël, et ait Dominus ad David. Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verumtamen tu non aedificabis mihi domum*. Jam vero haec cogitatio profecto bona fuit, cum eam Deus commendaverit; nec tamen a Deo fuit, alioquin Deus non avertisset effectum (1). Ergo.

81. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *Neg.* haec aut similia quae afferri possent, exempla eorum qui ad fidem conversi sunt, absque praeveniente Dei gratia fuisse. Nam *manifestissime credendum est*, inquit concil. Araus. *quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum accipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae gratiae largitate donata* (2). Idipsum dici debet de altero Centurione; cujus fidem si miratus est Christus eamque commendavit, non praecise ob fidem ut donum Dei, sed ob liberam ejus cooperationem id fecit; in qua utique Centurio prae tot aut incredulis aut oscitantibus Israëlitis commendabilem se exhibuit.

82. Ad 2. prob. *Neg. min.* quae dicit eam bonam Davidis voluntatem a Deo non fuisse. Non autem obest, quod Deus ejus effectum seu executionem noluerit; simili enim ratione se gessit cum Abraham, cui etsi aperte immolationem Isaac imperasset, noluit tamen, ut eam

priam virtutem aut ad emblemata parabolae pertinere, ideoque nullam intentam peculiarem significationem prae se ferre, aut spectare ad gratias gratis datas et status, ut magistratum, episcopatum, apostolatum, sacerdotium, etc. quos status Deus naturae viribus attemperare solet.

(1) Haec aliaque ejusmodi non pauca urget Cassianus, *Collat.* XIII, cap. 12. adversus quem scripsit s. Prosper, suppresso tamen ejus nomine. Cfr. edit. *Opp. Cassiani cum notis et commentariis D. Alardi Gazaei*, ord. s. Bened. Paris. 1642.

(2) Can. XXV apud Harduinum, loc. cit. col. 1102.

executioni mandaret, sola voluntate et obedientia contentus; ut cetera exempla silentio praeteream (1).

83. III. Patres graeci ac latini pene omnes ante s. Augustinum eandem doctrinam, quam postea semipelagiani amplexi sunt, omnino tenuerunt. Omnium vetustissimus Hermas in *Pastore*: *Quorum*, ait, *viderat Dominus puras mentes futuras, et servituros ei ex totis praecordiis, illis tribuit poenitentiam* (2). S. Justinus M. inter cetera scribit: *Qui cum ratione vixere, christiani sunt, quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sunt; quales inter Graecos fuere Socrates, Heraclitus atque iis similes* (3). Censuit igitur, sine gratia potuisse homines recte honesteque vivere. Neque ab eo dissentit Clemens Alex. qui praeterea docet, veteres philosophos a philosophia justificatos fuisse (4), atque illud memorandum subdit: *Praeparat ergo Philosophia* (graeca) *ei viam muniens, qui a Christo perficitur* (5). Ex Latinis s. Ambrosius, ceteris omissis: *Ideo hanc gratiam*, inquit, *meruit* (ecclesia) *a Christo; quia Verbum Dei quaesivit, desideravit* (6). S. Optatus Milevit. scribit: *Est enim christiani hominis, quod bonum est, velle, et in eo, quod bene voluerit, currere; sed homini non est datum perficere, quia nostrum est currere, Dei autem perficere* (7). Demum s. Hieronymus apertissime docet: *Baptismum non servare justitiam, quae labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus* (8). In quo porro differunt semipelagianorum placita ab his patrum dictis? Quid mirum proinde, si s. Prosper scripserit ad s. Augustinum, quod semipelagiani *obstinationem suam vetustate defendunt, et ea, quae de Epistola Apostoli Pauli, Romanis scribentis, ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant* (9)? Ergo.

84. Resp. *N. A.* Ac in primis eamdem doctrinam non tenuit Hermas, qui cit. loc. tantum asserit, tribui a Deo poenitentiam, seu peccatorum veniam bene dispositis, non autem negat hanc dispositionem a Deo profluere (10).

(1) Cfr. s. Prosper pro Augustino contra Collatorem ad calcem opp. s. Augustini, tom. x, edit. Maur. cap. 12, n. 33 et seqq. Ubi hanc aliasque Cassiani objectiones disjicit.

(2) Lib. III, Simil. VIII, num. 6, apud Coteler. *Scripta Patrum Apost.* tom. I.

(3) *Apolog.* I, n. 46, edit. Prud. Maran. Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοὶ εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομισθησαν· οἷοι ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.

(4) *Strom.* lib. I, n. 20, edit. Potteri, Venet. 1757, tom. I, pag. 377.

(5) Ib. n. 5, pag. 331. Προπαρασκευάζει τοίνυν ἡ φιλοσοφία, προσδοποιοῦσα τον ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον. Quod et saepius ibidem repetit.

(6) *Apol.* II *David*, cap. 9, n. 47.

(7) *Hist. Donat.*, lib. II, edit. Albaspin. Paris. 1631, pag. 56.

(8) *Dial. contra Pelag.*, lib. III, num. I.

(9) *Epist. s. Prosp. ad August.* n. 3, quae praemissa est libro ejusdem s. Doctoris, *De Praedest. Sanctor.*

(10) Apposite Cotelerius, n. 79, ad hunc loc. adnotat: « Porro imprudenter existimatum fuit, in verbis Hermae caveri debere pelagianismum. Neque illa dubitationem habere mihi videntur. Deus illis dedit poenitentiam, a quibus vidit mentes puras gestum iri, nem-

85. S. Justinus contendit, novam non esse religionem christianam, prout ethnici, quibus respondet, opponebant; cum a Divino Verbo, cui participarunt quotquot recta ratione bene usi sunt, dimanarit omne verum. Vocem igitur *Christiani* improprie ac larga significatione usurpavit s. Martyr (1).

86. Clemens Alex. in adductis verbis nil aliud vult, nisi indicare veterem philosophiam exordium ac veluti praeambulum fuisse sanctioris religionis, nempe christianae; cui philosophia quodammodo viam stravit, duros et agrestes animos expoliendo et hac ratione magis idoneos reddendo ad suscipiendam evangelicam praedicationem. Haec autem nihil habent cum fide aut merito aut justificatione commune; cum non sint nisi dispositiones, ut vocant, negativae (2). Hinc videmus, ut plurimum apostolicos homines prius in id incumbere debere, ut e sylvestribus efficiant homines, ut ita dicam, rationales, deinde vero efficiant christianos per evangelicam praedicationem.

87. S. Ambrosius loquitur de merito per gratiam comparato, et quidem improprie sumpto. Absurdum enim est existimare, ethnicos praesertim, ex quibus pro majori numero coaluit ecclesia, ex propria virtute sua quaesi-

pe per gratiae auxilium, per Spiritum divinitus concessum, ut loquitur Pastor ». Quamquam et haec emollienda sunt; siquidem non ex praeviso hominum consensu Deus largitur gratiam. Videtur mens Hermae fuisse, Deum iis gratiam poenitentiae non concedere, quos praevidet ea abusuros, ac deteriores proinde evasuros. Quo spectant verba Augustini lib. *De dono perseverantiae*, cap. 10: « Quidam disputator catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum (Matth. XI) sic exposuit, ut diceret, praescisse Dominum Tyrios et Sidonios a fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent, et misericordia potius non eum illic ista fecisse; quoniam graviori poenae obnoxii fierent, si fidem, quam tenuerant, reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent ». Verum et hoc pariter improbandum est, nisi eam adhibeas animadversionem, quam Petavius subjicit, *De Deo* lib. IX, cap. 4, n. 5 et 6.

(1) Cfr. Maran, *Praef. in opp. s. Just.* part. II, cap. 7, n. 5, ubi s. Martyrem pluribus egregie defendit a quavis suspicione.

(2) Quo spectat sensus prioris loci, qui objectus est: *Quamquam per se quoque aliquando Graecos justificabat philosophia*. Ad plenius tamen assequendum germanum sensum tum Justini tum Clementis, animadvertendum est, eos existimasse philosophiam apud gentes idem praestitisse, quod praestitit lex apud Hebraeos; dum functae sunt veluti munere paedagogi ad Christum ducentis. Hinc adstruunt, utramque donum Dei fuisse, licet longe aliter Deus duxerit Hebraeos quam gentiles. Sic enim rursus Clemens, pag. 331, allatis verbis ex Prov. II, 3 et seqq. « Deus enim dat sapientiam ex ore suo et sensum simul et prudentiam, et justis instar thesauri recondit auxilium, *subdit*: Iis enim, qui a philosophia fuere justificati, auxilium reconditur ea quoque consensio, quae ducit ad pietatem in Deum. Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia Graecis necessaria ad justitiam; nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario praemittenda est ab iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt ... Omnium enim bonorum Deus est causa; sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti Veteris et Novi, aliorum autem per consequentiam, sicut philosophiae ... Nam ipsa quoque Graecos paedagogi more ducebat, sicut Lex Hebraeos ad Christum ». Vid. textus Clementis, ad calcem voluminis. Neque ab hoc sensu abludit ipse Gerard. Joan. Vossius, *Hist. de controversiis Pelag.* Lugd. Batav. 1618, lib. III, p. III, thes. XI. Ceterum idem Clemens, *Strom.* lib. II, vocat fidem πρώτην σωτηρίας νεῦσιν, *primam salutis inclinationem*.

visse ac desiderasse Verbum, quod ignorabant, ideoque meruisse Christum (1).

88. S. Optatus non disserit de perfectione, ideoque nec de voluntate in sensu semipelagianorum, sed de ea perfectione, quae nullum admittit peccatum, quam excepto Christo in terris nemo habuit, sed solum in coelis reservata beatis est. Cum ergo dixit, hominis christiani esse bonum velle et illud operari, non de nudo arbitrio, sed de christiano, qui jam instructus fide sit et Christi donis, intellexit (2).

89. Verba s. Hieronymi si attentius introspiciantur, nullam prae se ferunt difficultatem; cum ipse non excludat a labore, diligentia ac industria nostra gratiae subsidium, sed aperte includat, dicens: *Semper super omnia Dei clementia justitiam custodiri;* et clarius *Epist. CXXX*, ad Demetriadem: *Ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est*. Commendat itaque liberum arbitrium adjutum ac praeventum a divina gratia in facilioribus, ut deinde per orationem uberiorem gratiam ad difficiliora persequenda impetremus (3).

90. Ex his patet, longe patres abfuisse a semipelagianorum pravitate. Dum vero ipsi vetustate seu antiquorum patrum auctoritate se tuebantur, decepti sunt ex nonnullis liberioribus formulis, quibus illi interdum usi erant, prout usuvenit, nondum excitata quaestione, ac proinde nondum technologia constituta. Accedit, patres antiquiores dimicare debuisse adversus oppositum errorem pro libertate, quam impugnabant marcionitae, manichaei aliique ejus temporis haeretici; nil mirum propterea, si locutiones minus accuratas interdum usurparunt, quibus postea semipelagiani abusi sunt. Hinc recte s. Augustinus ad expostulationem sibi a s. Prospero propositam respondit: *Quid igitur opus est,*

(1) Ibi s. Doctor, seu quivis sit auctor hujus apologiae, exponit sensu mystico et allegorico lapsum Davidis, atque ecclesiae accommodat, quod de Bethsabee legitur in Scriptura. Agnovisse autem auctorem hunc, ecclesiam non sine gratiae praesidio Christum meruisse, latiori scilicet sensu, patet ex verbis n. 46, ubi scribit: *Obliviscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam.*

(2) Id patet ex contextu; sic enim insurgit in donatistas: « Et jam vos ipsi, qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis? quam Joannes Apostolus profiteri non audet, qui ait: Si dixerimus, etc. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit » . . . Deinde adjicit verba, quae objiciuntur; tandem concludit: *Quia ipse solus* (Deus) *est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Ceteri omnes semiperfecti sumus*. Hinc admirationis causa est, quod Natalis Alex. scribere potuerit: *His verbis praeformatus videtur semipelagianorum error, vixque in bonum sensum flecti possunt* (Dissert. *De necess. grat.* art. II, quaest. 22, in secul. V). Idem fere judicium tulit Remig. Cellier, *Hist. des auteurs ecclésiastiques*, tom. VI, pag. 671, dum scripsit: *Il prétend contre la doctrine de saint Paul, que l'homme tombé non seulement peut vouloir le bien de lui-même, mais aussi s'avancer dans le bien.* Ast talis non fuit mens s. Optati.

(3) Cfr. Vallars. in not. (*b*) in hunc loc. ac rursum ibid. num. 10, not. (*a*). Adnotat porro editor, fuisse tunc temporis quoddam veluti proverbium: *Velle nostrum est*. Nempe eadem ferme ratione ac adagium illud apud nos obtinet: *Dio dice: ajutati, che io ti ajuto;* apud Gallos vero: *Aide-toi, le ciel t'aidera*. Quibus verbis non intendimus excludere divinum auxilium, dum partes nostras implemus.

ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur (1). Sane ipsi cum universa ecclesia orabant pro infidelium conversione, ac propterea hoc ipso fatebantur, fidem ac fidei initium dona Dei esse. Atque hac ratione exponi debent nonnulla s. Joan. Chrysostomi effata aliorumque, quae difficultatem facessere videntur (2).

91. Etenim s. Joan. Chrysostomus, de cujus mente ob viri auctoritatem praecipua quaestio agitur, et quem nonnulli non modo ex haereticis (3), verum etiam ex catholicis semipelagianismi labe adspersum autumant, ea scribit, quae omnem a se suspicionem repellunt. Sic enim loquitur: *Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes: non hoc vel illud, sed omnia quae habes; non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit* (4). Ad haec igitur hisque similia non pauca (5) exigi debent, quae duriuscula hic illic scripsit, ex. gr. cum de Abraham loquens: *Et vero*, ait, *istud ipsum, quod Patriarcha, qui ante gratiae tempus et ante legem fuit, a se ipso, et scientia, quae naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui: Vir ille multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus ejus singularem habuit curam. Etiam id et ego fateor. Verum nisi primus et ipse, quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset... Vidistis, quomodo ab initio, quae a se ipso erant, attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit?..... Cum viderit* (Deus) *sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio*

(1) Lib. *De praedest. Sanctorum*, cap. 14, n. 27.

(2) Cfr. Isaacus Habert, op. cit. lib. I, cap. 2 et seqq. quoad patres Graecos; quoad s. Hilarium, cujus duriuscula dicta objici solent, cfr. D. Coustant in praefatione ad opera hujus s. Patris, § 9, n. 259 et seqq.

(3) Calvinus, *Instit.* lib. II, cap. 2. Eandem calumniam, ut supra adnotavimus, ingeminat etiam Jansenius.

(4) *Hom.* XII, *in* I *Epist. ad Cor.* n. 1 et 2: Οὐδὲν γὰρ οἴκοθεν ἔχεις, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβών... οὐκοῦν λαβὼν ἔχεις, οὐχὶ τύδε, καὶ τόδε, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἔχεις. Οὐ γὰρ σὰ κατορθώματα ταῦτα, ἀλλὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος· κἂν τὴν πίστιν εἴπῃς, ἀπὸ τῆς κλήσεως γέγονε κ. τ. λ.

(5) Plura affert cit. Habert. loc. cit.; inter cetera nobis videntur plane palmaria, quae scribit s. Pater, *Hom.* IV *in cap.* II *Epist. ad Ephes.* in illud: *Gratia salvati estis per fidem*, ubi haec habet: Ἵνα γὰρ μὴ τὸ μέγεθος τῶν εὐεργεσιῶν ἐπάρῃ σε, ὅρα πῶς σε καταστέλλει· τῇ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, φησι, διὰ πίστεως. Εἶτα ἵνα μὴ πάλιν τὸ αὐτεξούσιον λυμήνηται, ἔθηκε καὶ τὰ ἡμῶν· καὶ πάλιν αὐτὸ ἀνεῖλε, καὶ φησι· Καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ἡμῶν· Οὐδὲ ἡ πίστις, φησίν, ἐξ ἡμῶν· εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν, εἰ γὰρ μὴ ἐκάλεσε, πῶς ἠδυνάμεθα πιστεῦσαι;... Ὥστε οὐδὲ τὸ τῆς πίστεως ἡμέτερον· Θεοῦ, φησὶ, τὸ δῶρον· οὐκ ἐξ ἔργων..... Τοῦτο αὐτὸ Θεοῦ δῶρόν ἐστιν. Ἵνα μή τις καυχήσεται, ἵνα εὐγνώμονας περὶ τὴν χάριν ποιήσῃ. « Nam, ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide, quomodo te coercet et comprimit. Gratia enim, inquit, estis salvati per fidem. Deinde rursus, ne liberum perimeretur arbitrium, posuit etiam, quae sunt nostra. Et rursus ipsum sustulit, et dicit: Et hoc non ex nobis. Ne fides quidem, inquit, est ex

suo nos adjuvat (1). Sic illa, quae scribit in Epist. ad Hebr.: *Nostrum quidem est, praeeligere et velle, Dei autem est perficere .... quando nos elegerimus tum multum nobis affert auxilium* (2). Neque enim haec aliaque ejusmodi dicta sunt ad exclusionem gratiae praevenientis et excitantis, cujus necessitatem praedicavit, sed comparate ad uberiora auxilia, quae Deus nobis cooperantibus cum primis illis gratiis adjicit. Praeclare enim animadvertit Petavius, quod haec uberiora auxilia veteres illi gratiae nomine, nempe completae ac plenae, insignire consueverint: *Non raro*, inquit, *veteres, cum de gratia loquuntur, plenam et perfectam intelligunt, non inchoatam ac rudem, quae prima nominatur, cujus plerumque mentionem non habent... ut Theodoretus, Photius, Oecumenius, Theophylactus, atque ipse quoque Chrysostomus .... Non enim primum voluntatis motum et rationis in gratia numerant, veluti pia desideria, quibus ad pleniorem quaerendam* (fidem), *ac Dei notitiam, et amorem excitamur; quae sunt excellentiora gratiae munera, proindeque gratiae nomen ac titulum praecipue merentur* (3).

92. IV. Obj. 1. Deus hominem libero instruxit arbitrio, quod, etsi per peccatum inclinatum sit ac debilitatum, non est tamen extinctum; quorsum vero libertate Deus hominem ditasset, si ista ne valeret quidem ad sanitatem optandam, volendam, ac ad medicum et remedium efflagitandum? 2. Ergo medici quidem est infirmum sanare, sed aegri est velle sanari. 3. Hinc constanter hanc salutis oeconomiae ideam ingerunt Scripturae, quod nempe Deus aliquid exigat

nobis. Nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere? . . Quare nec fidei donum est nostrum, sed Dei, non ex operibus; non enim suffecisset, inquit, fides ad salutem . . . Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam ». Alia recole loc. cit.

(1) Καὶ αὐτὸ δε τοῦτο, τὸ τὸν πατριάρχην καὶ πρὸ τῆς χάριτος, καὶ πρὸ τοῦ νόμου γεγονότα, οἴκοθεν καὶ ἀπὸ τῆς ἐν τῇ φύσει κειμένης γνώσεως εἰς τοσοῦτον μέτρον ἀρετῆς ἐλθεῖν, πάσης ἡμᾶς ἀπολογίας αποστερῆσαι δυνήσεται. Ἀλλ' ἴσως ἐροῦσί τινες, ὅτι πολλῆς ἀπέλαυσε τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ κηδεμονίας ὁ ἀνὴρ, καὶ πολλὴν ἐπεδείξατο τὴν περὶ αὐτὸν πρόνοιαν ὁ τῶν ὅλων Θεός. Ναὶ, ὁμολογῶ· ἀλλ' εἰ μὴ πρότερος τὰ παρ' ἑαυτοῦ καὶ αὐτὸς ἐπεδείξατο, οὐκ ἂν τῶν παρὰ τοῦ Δεσπότου ἀπήλαυσε . . . Εἶδες πῶς ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐκ προοιμίων τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσέφερε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ καθ' ἑκάστην ἐκαρποῦτο μετὰ πολλῆς τῆς ἀφθιλείας; . . . Ὁ γὰρ τὰ ἀπόῤῥητα τῆς διανοίας ἡμῶν ἐπιστάμενος, ἐπειδὰν ἴδῃ ὑγιῆ γνώμην ἐπιδεικνυμένους, καὶ πρὸς τοὺς τῆς ἀρετῆς ἀγῶνας αποδύεσθαι εσπουδακότας, παραχρῆμα καὶ τὴν παρ' ἑαυτοῦ παρέχει ροπὴν. *Hom.* XLII *in Genes.* n. 1.

(2) Ἡμῶν γὰρ τὸ προελέσθαι καὶ βουληθῆναι, Θεοῦ δὲ τὸ ἀνύσαι καὶ εἰς τέλος ἀγαγεῖν . . . et supra jam dixerat: Ὅταν δὲ ἡμεῖς ἑλώμεθα, τότε πολλὴν εἰσάγει τὴν βοήθειαν ἡμῖν. *Hom.* XII *in epist. ad Hebr.* num. 3.

(3) *De Deo*, lib. IX, cap. 4, n. 8. Operae pretium est perlegere tanti scriptoris capp. 4 et 5, in quibus praeclare ostendit, graecos patres, qui accusari solent pelagianismi aut semipelagianismi, immunes prorsus ab hac macula esse. Si ad ista principia attendisset Vasquez, non adeo facilem se praebuisset in reprobando, seu saltem descrendo s. Joan. Chrysostomo (Disp. XCI in part. s. Thom. cap. VIII). Nec obest, quod Cassianus magistrum habuerit s. Joan. Chrysostomum; potuit enim a magistri instituto desciscere, aut prave ejus mentem assequi, quod non infrequenter fit.

a nobis, ut sua dona conferat : *Si credideris salvus eris ;* ex quo patet, alterum offerri a Deo, nempe aeternam salutem, alterum exigi, quod in nostra potestate sit, nempe fidem. 4. Profecto si ex eo, quod petimus, recte infertur, illud in nostra potestate non esse, pariter ex incitamentis, exhortationibus, quibus provocamur ad petendum, ad volendum, ad nos ipsos convertendum, colligitur in nostra potestate esse petere, velle et inchoare conversionem nostram ; alioquin supervacaneae forent omnes exhortationes. 5. In semipelagianorum demum hypothesi omnia facile declinantur absurda, quae ex dogmate catholico dimanant ; quare nempe fides ejusque initium donum Dei sit, et non omnibus concedatur, cum Deus tamen velit omnes homines salvos fieri ; quare excusabiles non sint qui in infidelitate permanent ; quare denique Deus censeri nequeat personarum acceptor, dum aliis tribuit, quod aliis denegat. Ergo.

93. Resp. ad 1. *D.* Deus hominem libero instruxit arbitrio ad ea, quae ordinis sunt naturalis, et quidem intra quosdam limites, *C.* ad ea quae sunt ordinis supernaturalis, *subd.* ut libere gratiae praevenienti consentiat, *C.* ut praeveniat gratiam *N.* Hoc enim absurdum est, cum natura terminos suos minime transgredi possit ; transgrederetur autem, si homo per liberi arbitrii vires posset se elevare ad gratiam sibi comparandam, ad credendum, aliaque praestanda, quae ad ordinem supernaturalem spectant. Porro quaecumque demum liberi arbitrii vires sint, ut jam animadvertimus, ad ejusmodi ordinem supra naturam constitutum assurgere non valent. Necesse proinde est, ut gratia hominis sive in statu naturae integrae sive in statu naturae lapsae, praeveniat quemcumque conatum, desiderium, petitionem, ut illuc pertingere possit.

94. Ad 2. *D.* In naturalibus, *Tr.* in supernaturalibus, *N.* Majus enim aut minus robur, quo pollet homo, respicit tantum *substantiam* operis, non autem *modum*, ideoque quaecumque proferantur, ejusmodi argumenta erunt semper extra rem. Addo, et gratiae munus esse, quod homo se aegrotum cognoscat et sentiat, ideoque et sanitatem optet ac velit, et medicum quaerat, a quo sanetur.

95. Ad 3. *D.* Exigit Deus consensum nostrum et cooperationem ad primum, ut ita dicam, gratiae aditum, per quem ad uberiora dona conferenda sibi viam parat, *C.* quin ipse nos prius excitet ac praeveniat *N.* Hinc illud : si credideris, perinde valet ac si diceretur : si obtemperaveris et obsecutus fueris iis, quae tibi indidi, fidei primordiis, ac deinceps si usque ad plenam et completam fidem perveneris, ac reliqua praestiteris, quae fides ipsa exigit a cultoribus suis, salvus eris (1).

96. Ad 4. *D.* Sensu modo exposito, *C.* ad gratiae praevenientis exclusionem *N.* Ingens porro interest discrimen in eo, quod nos petimus, et in exhortationibus, quibus provocamur ad petendum, ad nos convertendum, etc. Nam, cum ex Scriptura, ut vidimus, nos nec cogitare, nec optare, nec velle, nec petere quidpiam ad salutem conferens absque gratiae munere possimus, exhortationes, quibus ad ea praestanda provocamur, supponunt solum, has primas gratias gratis omnino nobis concedi, ut deinceps dependenter a cooperatione nostra reliquae conferantur majori vel minori copia pro majori aut minori fidelitate nostra ac sedulitate. Sane ipsi semipelagiani has exhortationes supervaca-

(1) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 4, num. 9.

neas minime esse putabant, quibus post acceptum fidei donum nos provocamur ad pia salutis opera perficienda, etsi tamen in ipsorum systemate ad haec pia opera inchoanda ac perficienda, quae fidem subsequuntur, necessariam gratiam esse ultro faterentur (1).

97. Ad 5. Negamus, ex doctrina catholica ea profluere absurda, quae adversarii sibi fingunt. Etenim non profluit *primum;* quia hoc ipso quod Deus velit omnes homines salvos fieri, omnibus prorsus hominibus, ut inferius ostendemus, subsidia necessaria largitur, quibus si bene homines utantur, poterunt ad fidem pervenire, si iisdem obluctentur ac obsistant, sibi tantum tribuere debent, non autem Deo, si ad eam non pertingant. Nempe eadem ratione ac sibi, non Deo, imputare fideles debent, si opera pia, quae fidem consequuntur, praestare negligunt, etsi ad haec, fatentibus semipelagianis, necessaria sit gratia, quae omnibus praesto est, urgente praesertim praecepto.

98. Non profluit *alterum* absurdum, quia, si, ut diximus, Deus omnibus gratiam confert, qua rite homines utentes ad fidem pervenire possunt, jam abunde liquet, inexcusabiles esse infideles, ut vocant, positivos, hoc ipso quod fidei gratiam immediate sibi oblatam repulerint; inexcusabiles etiam esse infideles negativos, non ob fidei defectum, sed quia primis gratiis sibi collatis obstiterunt, quibus si cooperati fuissent, et ipsi ad fidem pervenissent. Infideles propterea negativi damnantur ob peccata actualia, quibus se commaculaarunt, aut saltem ab aeterna salute excluduntur ob peccatum originale, quod contraxerunt.

99. Non profluit denique *tertium* absurdum de personarum acceptione apud Deum; quia acceptio personarum aut supponit jus aliquod in eo, qui in collatione donorum negligitur, aut respectum personalem, qui datorem moveat ad illud conferendum; neutrum vero in Deum cadere potest. Praeterea, hoc ipso quod Deus omnibus gratiam conferat, sequitur non ex Deo esse, quominus homines ulteriora auxilia non accipiant, ac ideo fidem non consequantur (2).

(1) Cfr. Tricassinus, *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. 1, sect. 1, § 3 et seqq.

(2) Praeclare s. Joan. Chrysostomus, *Hom. 1 in epist. ad Ephes.* explanans illa verba Apostoli: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum*, etc. haec habet: Οὐ γὰρ ἀπὸ πόνων οὐδὲ κατορθωμάτων τοῦτο γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ ἀγάπης, οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς. Εἰ γὰρ δὴ ἀπὸ ἀγάπης μόνης, ἐχρῆν ἅπαντας σωθῆναι· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς πάλιν μόνης, περιττὴ ἡ παρουσία αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ οἰκονομηθέντα. Ἀλλ' οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνης, οὔτε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς, ἀλλ' ἐξ ἀμφοτέρων. « Non enim nostris ex laboribus vel recte factis hoc suppetit, sed ex charitate, nec ex charitate solum, sed etiam ex virtute nostra. Nam, si id e sola charitate penderet, salvari omnes oporteret. Sin autem sola ex virtute nostra, supervacaneus fuisset adventus illius, et quaecumque sunt ab eo administrata. Verum neque sola ex charitate neque sola ex virtute nostra illud accidit, sed ex utroque ». Hanc autem virtutem ex Dei munere et gratia esse juxta s. Doctorem, patet ex iis, quae paulo post ibid. subdit: Τὸ γὰρ ἐναρέτους γενέσθαι καὶ πιστεῦσαι καὶ προσελθεῖν, καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἦν τοῦ καλέσαντος, πλὴν ἀλλὰ καὶ ἡμέτερον. « Etenim virtute esse praeditos et fide, atque ad Deum accedere, fuit id quidem vocantis ipsius beneficium; sed nihilominus et nostri aliquid fuit ». Ex quibus magis magis-

ARTICULUS III.

De erroribus novatorum saeculi XVI et jansenistarum circa gratiae necessitatem

100. Novarum doctrinarum repertores saeculi XVI seu, uti eos jam vocant protestantes, *emendatores Sacrorum*, ex contraria, quam sibi straverunt, via circa statum hominis primordialis, in errores prolapsi sunt plane contrarios iis, quos pelagiani ac semipelagiani sunt professi circa gratiae necessitatem. Nam, cum novatores isti autumaverint, justitiam originalem cum donis seu privilegiis adnexis partem essentialem constituisse humanae naturae, eidemque connaturalem esse, collegerunt, hominem lapsum per peccatum amisisse *imaginem Dei* (1), mortuum ad quodcumque bonum naturale seu morale esse, neque aliam retinuisse aptitudinem nisi ad peccandum (2). Hominem nondum *renatum* in omnibus operibus suis peccare, nihil ab eo prodire, quod damnabile non sit, ideoque omnia infidelium opera totidem peccata esse ac philosophorum virtutes totidem vitia (3).

101. Bajus et jansenistae, cum novatorum principium amplexi sint circa statum primi parentis, statuentes, debitam homini esse justitiam originalem, ac partem saltem integralem constituisse illius naturae, eo adducti sunt, ut eorundem novatorum errores debuerint profiteri circa statum hominis lapsi. Ac 1. pro certo habent, hominem lapsum sine gratiae subsidio nullum omnino morale bonum efficere posse, nullam vel levem tentationem superare. 2. Statuunt fidem formalem, ut vocant, primam gratiam esse, quam Deus homini conferat, nec ullam prorsus ante fidem a Deo homini tribui. 3. Inde inferunt, omnia infidelium opera, quae in hoc systemate sine gratia fiunt, totidem esse peccata ac vitia proprie dicta, quae aeternam damnationem merentur. 4. Constituunt, fidem illam, quae in ipsorum hypothesi prima gratia est, inseparabilem esse a charitate seu justificatione, ac propterea homines non justificatos peccare in omnibus operibus suis; unde concludunt, desideria, conatus, orationes ipsas, quibus peccatores nituntur

que apertum fit, Chrysostomum illam ipsam affectionem animi nostri, causamque praedestinationis ad gratiam, in nobis ipsis non oriri sine Dei auxilio putasse.

(1) Sic enim legitur in *Solid. declar.* 1, *De peccato origin.* § 9, pag. 64: « Docetur, quod peccatum originis sit horribilis defectus concreatae in paradiso justitiae originalis et amissio seu privatio imaginis Dei.

(2) Ibid. § 31, pag. 616 et 617: *Repudiantur, qui docent, hominem ex prima sua origine adhuc aliquid boni,* QUANTULUMCUMQUE *etiam et quam exiguum atque tenue id sit, reliquum habere,* CAPACITATEM *videlicet et* APTITUDINEM *et vires aliquas in rebus spiritualibus.* Reliqua documenta cfr. apud Cl. Moehler, *La Symbolique*, trad. de l'allem., Besançon, 1836, p. 52 et seqq. et p. 80 edit. Bruxel. 1838.

(3) Sic Melanchton. *Loc. theol.* pag. 22: *Esto, fuerit quaedam in Socrate constantia, in Xenocrate castitas, in Zenone temperantia . . . . non debent pro veris virtutibus, sed pro vitiis haberi . . . Negant tamen* (pelagiani, id est, catholici) *eam esse vim peccati originalis, ut* OMNIA *hominum opera,* OMNES *hominum* CONATUS *sint peccata.* Calvinus, *Institut.* lib. II, ita inscribit caput 3: *Ex corrupta hominis natura nihil nisi damnabile prodire.* Cf. Moehler, ibid. pag. 73 et seqq.

justificationem adipisci aut recuperare per sinceram conversionem, totidem lethalia peccata esse, et eo deteriores peccatores fieri, quo majores et frequentiores sunt ipsorum conatus ad Deum redeundi (1).

102. Doctrina catholica, quae inter duo haec, tum pelagianorum et semipelagianorum tum novatorum ac jansenistarum extrema medium iter tenet, ex principio de elevatione gratuita ac superaddita humanae naturae ad statum originalis justitiae infert, post peccatum originale naturam humanam in suis essentialibus integram permansisse; detritam quidem fuisse imaginem Dei in homine per amissionem superadditi integritatis doni, non autem omnino deletam; sauciatam naturam, non autem extinctam in suis essentialibus facultatibus. Unde sequitur juxta doctrinam catholicam in ordine morali, 1. hominem lapsum posse sine gratia aliquas ordinis naturalis veritates cognoscere, et opera saltem faciliora naturalis honestatis peragere, levesque superare tentationes ac propterea non omnia infidelium opera totidem esse peccata. 2. Ante collationem fidei concedi seu tribui a Deo gratias necessarias, quibus instructus homo lapsus possit difficiliora opera moralis ordinis efficere, et graves vincere tentationes. 3. Fidem posse subsistere sine charitate ac propterea peccatorem fidelem per gratias, quae ipsi a Deo tribuuntur, posse se disponere ad justificationem recuperandam. 4. Quamvis autem opera, quae fidem seu fidei vocationem praecedunt, sint tantum ordinis naturalis (etsi non absque aliquo gratiae auxilio patrata), ideoque sterilia in ordine ad salutem, non tamen peccata esse. 5. Multo minus peccatis esse accensenda opera supernaturalia, id est, quae fidem subsequuntur et gratiae ope sunt parta a peccatore, quamvis nondum sint meritoria in ordine ad vitam aeternam, utpote patrata ante justificationem.

103. Talia sunt catholicae doctrinae capita, quae adversus novatores et jansenistas vindicanda a nobis sunt circa gratiae necessitatem. Quod quidem praestare sequentibus propositionibus aggredimur.

PROPOSITIO I.

Potest homo lapsus absque speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, ac leves tentationes superare

104. Spectat haec propositio ad doctrinam catholicam, ut patet ex thesi in Bajo damnata, n. XXVII: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet;* cujus contradictoria est: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei ad aliquid praeter quam ad peccandum valet*, id est, valet ad aliquod efficiendum opus, quod peccatum non sit; jam vero non potest liberum arbitrium sine gratiae adjutorio, prout ostendimus, difficiliora opera moralis ordinis efficere, neque graves superare tentationes; ergo saltem ad faciliora molienda, levioresque repellendas tentationes homo lapsus libero voluntatis arbitrio absque speciali subsidio valeat necesse est. Huc pariter referuntur propositiones in Quesnello proscriptae (2). Opus autem bonum et

(1) Haec constabunt ex iis, quae inferius proferemus.

(2) XXXVIII: « Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia liberatoris; XXXIX: Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se

honestum illud vocamus quod tale est ex *officio* et *fine* saltem *proximo*.

105. His porro facilioribus operibus, quae cum libero voluntatis arbitrio sine peculiari superveniente auxilio hominem lapsum patrare posse contendimus, accensemus etiam amorem Dei ut auctoris naturae, seu in ordine naturali, imperfectum et inchoatum, illum scilicet amorem, quo homo nondum diligit Deum super omnia non quasi ei aliquid positive praeferat, in quo vitium intercederet, sed *negative*, quatenus ab omni comparatione praescindit.

106. Jam vero sic per partes assertae propositionis veritatem ostendimus. I. Posse hominem lapsum veritates aliquas naturalis ordinis cognoscere, constat ex omnibus illis Scripturae locis, in quibus cognitio Dei ac legis naturalis, quoad generaliora principia, homini tribuitur, ac ita tribuitur ut eas cognitiones aut ex inspectione creaturarum hauriat, aut quodammodo in corde insculptas gerat. Ejusmodi porro sunt prope innumera; sic, Sap. XIII, 5, dicitur: *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Rom. I, 18: *Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles*. De lege autem naturali loquens idem Apostolus ait, ibid. II, 14: *Ejusmodi legem* (scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Nec patres ab his dissentiunt. Unus audiatur Augustinus, qui inter cetera haec habet: *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri. Hoc et ante quam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, et quibus lex non esset data* (1).

107. 2. Posse item perficere hominem lapsum opera faciliora ex propriis viribus, pariter Scripturae testantur. Etenim Apostolus arguit philosophos, qui, cum cognovissent Deum, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (2). Ergo supponit, hos sapientes eadem ratione, qua naturali lumine Dei existentiam agnoverunt, potuisse illum naturalibus viribus ut auctorem naturae glorificare, tribuere nempe eidem gloriam tamquam rerum omnium principio, eum saltem imperfecte amare ut auctorem omnium bonorum, cum amor praecipua ratio sit Deum glorificandi (3). Rursum idem Apostolus disserens de

praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, est incapax ad omne bonum; XL: Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem, etc. » Quarum omnium propositionum unus est sensus, nempe sine gratia hominem nullum omnino bonum etiam ordinis naturalis efficere posse, ac propterea nihil sine gratia in homine esse, quod peccatum non sit. Hae autem propositiones proscriptae sunt a Clem. XI, anno 1713, in Constitutione dogmatica, *Unigenitus*. Cfr. eaedem propp. cum animadversionibus et adnotationibus P. Faure in *Appendice monumentorum ecclesiasticorum* ad *Manuale controversiarum* Becani, Colon. 1750, pag. 69 et seqq.

(1) *Enarrat. in Ps.* LVII, n. 1. Reliqua testimonia cfr. apud Bellarm. *De gratia, et lib. arbit.* lib. V, cap. 9.

(2) Rom. I, 21.

(3) Hinc s. Augustinus, *Epist.* CLXVII; *Quid est pietas, nisi Dei cultus? et unde*

lege naturali scripta in cordibus nostris, ait : *Gentes, quae legem* (mosaicam) *non habent . . . . naturaliter ea quae legis sunt faciunt*. Etsi vero fateamur, ut superius animadvertimus, ibi vocem *naturaliter* non per oppositionem ad gratiam usurpari ab Apostolo, sed ad legem scriptam; attamen, ubi non agitur de difficilioribus praeceptis, aut ubi gravi tentatione homo non urgetur, in quibus gratia necessaria est, patet, hominem naturae viribus eam servare posse, saltem ad breve tempus, et in peculiaribus nonnullis actionibus, ex ipso systemate adversariorum, qui negant Deum gratiam aliquam largiri homini lapso ante fidem supernaturalem et theologicam. Etenim ethnici illi, de quibus loquitur Apostolus, juxta adversarios nec fidem habuerunt nec gratiam; atqui tamen quae legis sunt *naturaliter faciunt*, teste eodem Apostolo; ergo ethnici naturae viribus legem servabant; non servabant autem quoad praecepta difficiliora absque gratia, ut ostendimus; ergo saltem faciliora legis praecepta absque gratia adimplebant. Placet id ipsum confirmare auctoritate s. Augustini, qui explanans haec Apostoli verba : *Habentes opus legis scriptum in cordibus*, ait : *Id est, non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est . . . Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit* (1).

108. 3. Demum, quod proposuimus de victoria levium tentationum in ordine ad bonum morale solis naturae viribus, sequitur ex dictis. Nam, si potest homo lapsus vi sua morales veritates aliquas cognoscere, si valet praeterea faciliora legis implere, quidni poterit leves etiam tentationes propulsare ac vincere, quae eidem bono honestoque adversantur? Huc spectat propositio XXIX Baji, quae a Summis Pontificibus notata est: *Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiae* (hoc est, aliquam justitiam) *conscendi posse docent*, AUT TENTATIONI ULLI *sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur* (2).

ille colitur, nisi charitate? Quare vel ipse Estius, in II *Sent.* dist. XXVI, § 28: « Apostolus, *inquit*, eo loco non negat, illos, qui sic Deum cognoverunt, dilexisse Deum; sed negat, sicut Deum glorificasse, et gratias egisse, sine quibus duobus stare potest aliqualis dilectio. Quod autem talis dilectio non sit ex gratia Dei per Christum, sic probatur; non enim habet ordinem ad beatitudinem supernaturalem, nec ad spem vitae aeternae ». Admitto quidem hujus theologi sententiam; ast mihi non probatur ratio, quam adducit, ut ostendat philosophos illos sine gratia Dei per Christum potuisse habere Dei dilectionem. Quasi nempe in censu gratiarum referri non debeant auxilia illa medicinalia, quae a Deo, et quidem per Christum, conferuntur ad sanandam infirmitatem naturae. Hoc enim falsum est. Cfr. tamen ejusdem *Comment. in epist. ad Rom.* in hunc loc.

(1) Lib. *De spiritu et litera*, cap. 28, n. 48.

(2) Ex hujus propositionis censura colligitur, perperam Vasquezium docuisse, I, 2. s. Thom., disp. CXC, hominem sine supernaturali gratiae auxilio nullum posse morale opus perficere, nullamque vel levem superare tentationem. Vellet quidem ipse se a censura liberare in Baji propositionem prolata, tum quia, inquit, tam haec quam multae aliae Baji propositiones ob acre judicium, quo Doctor ille aliorum propositiones criminabatur, damnatae sunt; tum quia se alio sensu sententiam profitetur adstruere ab eo, quem tenuit Bajus.

109. Ratio vero, qua triplex evertitur error, quem hic impugnavimus, petitur ex falsitate fundamenti, ex quo profluit adversariorum systema; ideo enim adversarii negant, quidpiam veri aut boni in ordine naturali ac moralis honestatis posse cognosci ab homine lapso, aut perfici solis naturae viribus, quia originalem justitiam cum privilegiis, quae ipsam comitabantur, debitam fuisse humanae naturae ac ejus partem constituisse autumant. Hac per peccatum amissa, consequens esse contendunt, amissam pariter esse ac prorsum deletam imaginem Dei, nec propterea quidpiam aut cognoscere aut velle aut moliri hominem posse, absque superveniente gratiae subsidio, etiam in ordine morali. Hoc autem principium falsum est, ut suo loco ostendimus (1). Ergo falsae etiam sunt doctrinae, quae illinc deducuntur. Hinc praeclare s. Augustinus: *Quia*, inquit, *non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere* (2). S. Augustino consentiens s. Thomas, scribit: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae* (3).

DIFFICULTATES

110. I. Obj. 1. Scripturae, patres et concilia omnia adversus pelagianos ac semipelagianos celebrata, omnia bona opera nostra divinae gratiae referunt accepta. 2. Sane opus moraliter honestum vel per legem fit vel per gratiam; por-

Verum, ut animadvertit Suarez, *Proleg.* VI, *De scriptis probatam de gratia doctrinam continentibus*, cap. 2, n. 12: « Pontifices aperte et sine ulla distinctione declarant, illas sententias IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO tali censura dignas esse. Quae verba, si attente spectentur, duo continent; unum est, assertiones illas in proprio verborum sensu esse tali censura dignas; aliud est, illum sensum fuisse ab assertoribus intentum . . . Quoniam alias unicuique liberum erit, proprium sensum, tamquam ab auctore intentum, illis verbis affingere, et illi accommodare judicium Pontificis, ut propriam opinionem verbis magis consentaneam ab illa censura liberet; et declaratio illa Pontificis inutilis fiet, quia non ad certam doctrinam confirmandam, sed ad excitandas verborum contentiones deserviet ». Sed cfr. ipse Suarez, tum hic, tum *De gratia*, lib. 1, cap. 6, cap. 23, et cap. 29. In quo postremo capite etiam refellit Bellarmini sententiam, qui adstruit, hominem non posse sine peculiari auxilio Deum diligere, neque perfecte neque imperfecte, nec ut auctorem naturae nec ut auctorem gratiae.

(1) Cfr. Tract. *De Deo creat.* n. 550 et seqq.

(2) Lib. cit. *De spiritu et litt.* cap. 28, n. 48, ubi notandum est, adducere s. Doctorem in confirmationem hujus doctrinae verba Apostoli: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt.* Unde patet, a s. Augustini doctrina recessisse Bajum, qui in prop. XXIII asserit: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 1: Gentes, quae legem etc. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

(3) 1, 2, q. 109, a. 2.

ro per legem fieri nequit, teste Apostolo, Rom. IV, 15: *Lex enim*, ait ipse enim, *iram operatur*, et, cap. V, 20: *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, 3. Hinc optime s. Augustinus: *Agnoscamus*, inquit, *gratiam, quae facit prodesse doctrinam; quae gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam* (1); quod quidem iterum atque iterum inculcat adversus pelagianos. 4. Nisi propterea admittatur gratiae necessitas ad quodvis opus honestum perficiendum, frustra s. Doctor pugnasset adversus eos haereticos, frustra saepe adeo clamasset in istorum hypothesi evacuatam esse crucem Christi, frustra Christum nobis gratiam promeruisse. 5. Cohaerenter ad haec inconcussa s. Augustini principia concilium Araus. II: *Multa*, ait, *facit Deus in homine bona, quae non facit homo;* NULLA *vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo* (2); et clarius etiam: *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via* (3). Ergo.

111. Resp. ad 1. *D.* Bona supernaturalia, *C.* naturalia, *subd.* ardua ac difficilia, aut gravi urgente tentatione *C.* omnia prorsus *N.* Sic innumeris prope testimoniis, quae in medium ab adversariis adduci solent, occurrendum est, nec est cur singula inutili labore discutiamus.

112. Ad 2. *D.* Si sermo sit de difficiliori opere aut gravi pulsante tentatione, fit per gratiam, *C.* si de faciliori, ac ubi nulla obsistit gravis tentatio *N.* Ad probat. vero, sive ad objecta Apostoli testimonia, *D. Lex iram operatur*, aut *subintravit lex, ut abundaret delictum*, per accidens et ex causis extrinsecis, *C.* per se *N.* Lex enim data est ad coërcendum delictum; sed inde homo occasionem nactus est gravius delinquendi ex malitia aut infirmitate legem transgrediendo, sive cum gratia in difficilioribus praeceptis, sive sine gratia in facilioribus, atque ita Dei in se iram provocavit. Si quid enim evincunt haec aliaque his similia loca, ostendunt legem per se gratiam minime conferre, hominemque se reum constituisse in transgressione legis tam cum gratia quam sine gratia (4).

113. Ad 3. *D.* Ita ut ex mente s. Doctoris disputantis adversus pelagianos, homo sine gratia medicinali non possit universam legem implere, *C.* ita ut faciliora saltem legis praecepta servare nequeat absque gratia Salvatoris *N.* Nec aliud demonstrant citata verba aliaque his affinia, quae semper legem universam complectuntur, nec attingunt causam quam tuemur (5).

114. Ad 4, *N.* Siquidem duo profitebatur Pelagius, quae longe distant ab assertione nostra, tum scilicet hominem posse per solas naturae vires universam legem implere, omnes superare tentationes omniaque peccata vitare; tum haec opera moraliter honesta meritoria esse gratiae et vitae aeternae (6). In hac haeretica hypothesi utique Christi crux evacuaretur, ac frustra gratiam Christus nobis promeruisset.

(1) *Epist.* CCXVII, ad Vital. cap. 4, n. 12.

(2) Can. XX, loc. cit.

(3) Can. XXII.

(4) Cfr. Bellarm. *De grat. et lib. arb.* lib. V, cap. 9 et seqq. Suarez, *De grat.* lib. I, cap. 19.

(5) Cfr. auctores citati.

(6) Cfr. Suarez, *Proleg.*, cap. VI, 7 et 8.

115. Ad 5. *D.* In ordine supernaturali, *C.* in ordine moralis honestatis, et in iis quae faciliora sunt *N.* Non aliam mentem fuisse concilii Arausicani, constat ex ejus scopo, qui fuit damnare semipelagianorum doctrinam, qui a propriis viribus repetebant fidei initium, ac propterea sibi arrogabant initium salutis.

116. II. Obj. 1. Sine gratia homo lapsus adeo infirmus est, ut nequeat concupiscentiae aut tentationi resistere, nullumque valeat declinare peccatum nisi per aliud peccatum. 2. Quod ex ipsa rei natura patet; homo enim sine gratiae auxilio non agit nisi ex timore poenae et non ex amore justitiae, ex cupiditate et non ex charitate; jam vero, qui sic agit, peccat, ut passim docet s. Augustinus: *Sub lege est*, inquit, *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiae, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim mala voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat* (1); et alibi: *Regnat enim*, ait, *carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas* (2). Qui praeterea 3. nullam aliam agnoscit in homine bonam voluntatem nisi charitatem: *Quasi vero*, dicens, *aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam, ut filii ejus essemus* (3). Ergo.

117. Resp. ad 1. *D.* Si vehementior sit concupiscentia aut tentatio, *C.* si levior *N.* Sic etiam: peccatum declinare non valet homo infirmus nisi per aliud peccatum, *D.* ut plurimum, *Tr.* semper *N.* Hoc enim absonum est. Adde, non semper requiri, ut homo distinctum bonum opus agat ad declinandum peccatum, nec semper superandam ei esse concupiscentiam et tentationem ad quodvis opus bonum explendum, ut cum honorat parentes et similia efficit.

118. Ad 2. *N.* Ad probat. pariter *Neg.* hominem non agere nisi ex timore poenae aut ex cupiditate; cum enim ipse flectitur miseratione, et operit nudum, aut fovet aegrotum, aliaque ejusmodi peragit, quinam timor aut cupiditatis motus in his invenitur?

119. Ad primum autem Augustini textum, *D.* Et loquitur s. Doctor de timore, ut vocant, serviliter servili, *C.* loquitur de timore simpliciter servili *N.* ut patet ex ipsis ejus verbis. Sed de hoc timore alibi erit sermo.

120. Ad alterum vero textum, *D.* Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas habitualis, quae tamen non semper vim suam exerat in actus singulos, *C.* quae jugiter in actus singulos influat *N.* Saepe enim, ut vidimus, homo non agit ex carnali cupiditate, etsi gratia non sit instructus. Quare opposita doctrina proscripta est in Bajo et Quesnello (4).

121. Ad 3. *D.* Cum agit de bona

(1) Lib. *De nat. et grat.* cap. 57, n. 67.

(2) *Enchir.* cap. 117.

(3) *De grat. Christi*, cap. 21, num. 22.

(4) Propositiones Baji, quae huc referuntur, sunt: XXXVIII, « Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. XL, In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati ». Propositiones vero Quesnelli sunt: XLIV, « Non sunt nisi duo amores, unde voluntiones et actiones omnes nostrae nascuntur amor Dei, quia omnia agit propter Deum quemque Deus remuneratur, et amor, qu nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod a

voluntate, quae requiritur ad opus supernaturale et meritorium adversus pelagianos, *C.* cum agit de bona voluntate, quae requiritur ad bonum naturaliter honestum, *subdist.* Non aliam agnoscit bonam voluntatem quam charitatem naturalem et improprie dictam, *C.* charitatem theologicam et proprie dictam *N.* Etenim s. Augustinus duplicem agnovit et admisit charitatem *divinam et humanam*, seu theologicam et naturalem, et hanc declarat quandoque licitam quandoque vero illicitam; illius autem textus inferius afferemus. Quo posito, cum in adducto testimonio bonam voluntatem vocat charitatem, loquitur, ut ex ejus verbis liquet, de charitate theologica adversus pelagianos, aliam non excludens (1).

122. III. Obj. 1. Ex doctrina s. Augustini omnis amor rei creatae vitiosus est, nisi amori Dei subordinetur. 2. Hinc, cum omnes hominum actiones vel ex amore Dei prodeant vel ex amore mundi, cumque nulla ex amore Dei actio elici possit absque gratia, sequitur omnem actionem absque gratiae subsidio elicitam, malam ac vitiosam esse. 3. Quod quidem ex alio s. Augustini principio confirmatur, quo adstruit, absque gratia veram inesse in homine lapso necessitatem peccandi. *Multum erras*, ut loquitur contra Julianum, *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est* (2); quod et saepius repetit, sive cum 4. tradit, nullam sine gratia esse in homine lapso libertatem ad bonum (3), sive cum 5. docet adversus eundem Julianum, nullum opus bonum sterile esse, ut ille contendebat, sed quodlibet bonum opus promereri vitam aeternam; unde manifestum fit, nullum opus bonum sine gratia juxta s. Augustinum fieri posse; alioquin per opus moraliter honestum homines promererentur vitam aeternam, secus ac fides doceat. Ergo.

123. Resp. ad 1. *D.* Nisi amori Dei subordinetur vel naturali vel supernaturali, *C.* supernaturali tantum *N.* Si autem actio bona sit ex officio et fine proximo, ut jam diximus, hoc ipso subordinata est amori Dei naturali. Ad hoc autem, si sermo sit de opere facili, non requiritur speciale gratiae auxilium.

124. Ad 2. Responsio patet ex modo dictis; elici enim potest actio moralis ex amore Dei naturali. Sed falsum praeterea est, quod assumunt adversarii, omnem actionem, quae fiat ex amore mundi seu creaturae, esse vitiosam; etenim tunc solum vitiosa esset, cum

Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus. XLV, Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat ».

(1) Huc pariter spectant propositiones Baji et Quesnelli a Rom. Pontificibus proscriptae, Baji quidem XXXIV: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata ». Quesnelli XLI: « Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris ».

(2) *Op. imperf.* lib. 1, cap. 105.

(3) Praesertim lib. 1, *Ad Bonif.* cap. 3, n. 3, ubi sic loquitur: « Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est, gratia per J. C. D. N. ».

eliceretur ex amore creaturae inordinato; quo sensu affirmat s. Augustinus, vitiosam esse actionem ex amore mundi aut creaturae profectam, qua ex. gr. ita homo in ipsa creatura haereat atque consistat ut in fine ultimo, aut creaturam praeferat Creatori, etc., non autem si quis ex. gr. diligat parentes ex amore naturali ac ordinato.

125. Ad 3. *D.* Adstruit s. Augustinus esse in homine lapso absque gratia necessitatem peccandi vagam, generalem et respectu totius legis, et quidem moralem, *C.* necessitatem proprie dictam in singulis actionibus *N.* quod patet ex ejus scopo in controversia cum pelagianis, contendentibus, posse hominem in praesenti statu universam legem propriis viribus adimplere, ac omnia collective vitare peccata.

126. Ad 4. *D.* Nullam esse absque gratia libertatem ad bonum supernaturale, *C.* ad bonum naturale, *subd.* Ad arduum ac difficile expeditam libertatem non habet, *C.* ad facile *N.* Responsio patet ex dictis.

127. Ad 5. *D.* Contendit s. Doctor, nullum esse opus moralis honestatis sterile in hypothesi pelagiana, quae nullam agnoscebat distinctionem inter ordinem naturalem ac supernaturalem, *C.* in sententia catholica, *N.* Hinc arguebat s. Augustinus ex adversariorum principiis, qui, cum nullam admitterent elevationem ad ordinem supernaturalem, contendebant tamen, opus bonum intra limites moralis honestatis sterile esse posse ad vitam aeternam (1); quod profecto absurdum erat et contradictorium.

128. IV. Obj. Saltem nequit haberi absque Dei gratia aliquis Dei amor. 1. Scripturae enim nullum alium amorem Dei agnoscunt praeter supernaturalem, nempe charitatis, quae, I. Joan. IV, 7, *ex Deo* esse dicitur, et per Spiritum Sanctum *diffusa in cordibus nostris*, Rom. V, 5, atque inter fructus Spiritus numeratur, Gal. V, 22. Quare 2. s. Augustinus a nobis amorem Dei naturalem excludit in celebri illa sententia: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (2); et concilium Arausicanum: *Prorsus donum Dei est*, inquit, *diligere Deum* (3). Ergo si *prorsus*, profecto nullus amor ejusmodi est, qui non sit Dei donum. 3. Quod vel ex ipsa rei natura patet; neque enim duplex fides datur, altera naturalis, supernaturalis altera; ergo nec duplex Dei amor. 4. Si enim daretur amor Dei naturalis, reperiri posset in homine infideli et peccatore; quod fieri nequit, alioquin Dei amici essent. 5. Hinc vel ipse Bellarminus nullum agnoscit Dei amorem, sive perfectum, sive imperfectum aut inchoatum, qui non sit ex gratia Dei. Ergo.

129. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *N.* Ex Apostolo enim vidimus, supponi amorem Dei naturalem in illis, *qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* allati autem textus non

(1) Tricassinus, qui alias strenue adversus Calvinum et Jansenium germanam tuetur s. Augustini doctrinam, in op. *De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data*, contendit, part. II, sect. 2, § 5 et seqq. s. Augustinum nullas unquam agnovisse actiones ex omni parte bonas in infidelibus, qui saltem veri Dei cognitionem non habuerunt, quae proinde actiones steriles essent in ordine ad vitam aeternam. Quid de hac sententia censendum sit, paulo infra significabimus.

(2) *Epist.* CXVII, *ad Vital.* cap. 4 n. 12.

(3) Can. XXV; cfr. Suarez, lib. I, *D necess. grat.* cap. 29, num. 13 et seqq.

loquuntur nisi de charitate supernaturali, quae utique ex gratia est.

150. Ad 2. *D.* Ad diligendum Deum amore supernaturali, *C.* naturali, *subd.* amore perfecto, seu super omnia, *C.* imperfecto, et inchoato *N.* Atque hac eadem ratione exponendus est sensus concilii Arausicani, quod loquitur de amore supernaturali et salutari adversus semipelagianos.

151. Ad 3, *D.* Fides theologica et salutaris, *C.* humana ac sterilis ad salutem *N.* Idem dicatur de duplici Dei amore.

152. Ad 4. *Neg. sequelam;* cum ex imperfecto Dei amore ac naturali nemo possit constitui Dei amicus; vel *D.* Amici Dei essent respectu operis, quod Deo non displicet, *C.* ratione sui *N.*

153. Ad 5. *D.* Ita ut dissentiat potius verbis quam sententia a communi doctrina, *C.* secus *N.* Nam Bellarminus ipse fatetur, homini inesse quamdam naturalem in Deum propensionem; opera moraliter bona, quae faciliora sint, sine gratiae speciali subsidio fieri posse, quae tamen bona esse nequeunt sine virtuali saltem fine ad Deum. Ceterum argumenta, quae ipse profert ad sententiam suam tuendam, ut animadvertit Suarez, non efficiunt, nisi Dei amorem supernaturalem, in quovis gradu demum sit, ex gratiae munere provenire (1); praeterea scripsit ante exortam haeresim jansenianam.

154. V. Obj. 1. At omnis tentationum victoria a Scriptura, conciliis et patribus gratiae tribuitur. 2. Nos indiscriminatim Deum oramus, *ne nos inducat in tentationem;* ergo etiam ad leves superandas tentationes ope divinae gratiae indigemus; 3. alioquin gloriam victoriae nobis adscribere possemus, quod nequit admitti. Ergo.

155. Resp. ad 1. *D.* Victoria salutaris, *C.* naturalis, *subd.* si gravior sit tentatio, *C.* si levior sit, *N.* prout toties exposuimus.

156. Ad 2. *Dist. cons.* Ope gratiae indigemus ad quaslibet tentationes superandas victoria salutari, *C.* victoria sterili quoad vitam aeternam in leviori-bus, *N.*

157. Ad 3. *Neg.* Siquidem omne bonum, quod in homine est, sive illud naturale sit, sive supernaturale a Deo est, aut ut auctore naturae, aut ut auctore gratiae (2).

PROPOSITIO II.

Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere, nec omnia propterea infidelium opera vitia sunt aut peccata

158. Et haec propositio spectat ad catholicam doctrinam; contradictoria enim propositio proscripta est in Bajo, prop. XXV, quae his verbis exprimitur: *Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia* (3).

159. Notandum autem est, 1. haec infidelium opera moraliter honesta fieri posse aut sine gratia, si de facilioribus

(1) Loc. cit. et cap. 33, num. 2 et seq.

(2) Cfr. Suarez, lib. cit. cap. 23, n. 14 et seqq.

(3) Huc pariter spectat prop. XLVIII Quesnelli: *Quid aliud esse possunt nisi aberratio et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, sine charitate?* Hanc doctrinam Bajus, Jansenius et Quesnellus mutuati sunt a novatoribus, ut ex documentis superius allatis aperte constat.

sermo sit, aut cum auxilii superadditi ope, si agatur de operibus difficilioribus, juxta ea quae hactenus adstruximus. Haec autem opera ante fidem peracta quacumque tandem ratione peracta sint, seu cum gratiae adjutorio seu sine illo, non praetergrediuntur limites operis naturaliter honesti, cum sine fide nullum detur opus supernaturale. Notandum praeterea est, 2. ejusmodi opera naturaliter honesta nihil conferre ad salutem. Notandum denique, 3. hic agi de peccato aut vitio proprie dicto ad mentem adversariorum, qui contendunt, nulla opera infidelium, utut bona ac honesta videantur, culpa vacare, ob quam infideles aeternum puniri debeant.

140. Hanc vero doctrinam Scripturae, patres, ratio denique ipsa plane evertunt. Sane Scripturae nonnulla ethnicorum opera commendant, praemio aliquo digna exhibent, imo et consulunt. Obstetrices enim aegyptiacas, quae *timuerunt Deum*, atque Pharaonis jussis non sunt obsecutae servantes infantes masculos Hebraeorum, laudat Scriptura, ac praemio a Deo donatas exhibet, dicens: *Benefecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt Deum, aedificavit eis domos* (1). Quamvis vero postea mentitae sint, hoc tamen subsequens ipsarum mendacium non coinquinavit opus bonum antea peractum: *Non est in eis*, apposite inquit s. Augustinus, *remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis* (2). Sic etiam apud Ezechielem Deus testatur, se dedisse regi Nabuchodonosor terram Aegypti, ad eum remunerandum ob bellum feliciter gestum adversus Tyrios, prout ei imperaverat: *Dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus* (3). In quae verba s. Hieronymus scribit: *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeteriri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati* (4). Denique eundem regem Daniel excitavit ad eleemosynas, dicens: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (5). Atque, ut cetera omittam, lib. I, Machab. cap. VIII, celebrantur virtutes Romanorum. Jam vero, si ethnicorum seu infidelium opera totidem peccata essent, Deus remuneratus esset peccata, Scriptura eorum peccata celebrasset, peccata consuluisset; quae dictu impia sunt et blasphema. Fatendum igitur est, posse hominem lapsum antequam assequatur fidei donum, opera naturaliter honesta perficere, nec omnia ipsius opera totidem esse peccata.

141. Doctrinam lutheranam et jansenianam patres pariter evertunt, dum pro certo sumunt ab infidelibus opera moraliter bona interdum fieri, dum eos ob haec ipsa opera laudant, dumque ob haec ipsa a Deo temporalibus praemiis eos affectos aperte docent. Haec porro

(1) Exod. I, 20, 21.

(2) Lib. *Contra mendac.* cap. 15, num. 32.

(3) Ezechiel. XXIX, 20. Quod luculentius etiam apparet ex verbis v. 18: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum adversus Tyrum . . .* ET MERCES NON EST *reddita ei neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam.*

(4) Lib. IX, *In Ezech.* loc. cit.

(5) Dan. IV, 24.

omnia de infidelium operibus tradit s. Augustinus, qui, disputans adversus Julianum, scribit : *Quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati* (1) ? Et postea : *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis* (2). Pro certo igitur habet s. Doctor, infideles aliqua bona opera peragere, quamvis Dei auxilio adjutos. Alibi vero duplicem distinguens charitatem divinam et humanam, et hanc rursum in licitam et illicitam, sic exhortatur plebem sibi commissam : *Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina necessitudinis habent vinculum et gluten quoddam charitatis. Sed videtis, illam charitatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, Judaeorum et haereticorum* (3). Ergo censuit s. Augustinus, infideles posse habere charitatem licitam. Sed certum praeterea est, ipsum docere, Deum Romanis terrenam excellentissimi imperii gloriam concessisse, *ut redderetur merces*, ut ipse loquitur, *bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur* (4). Ac deinceps enumerat has ipsas virtutes, dicens : *Privatas res suas pro re communi, hoc est, republica, et pro ejus aerario contempserunt, avaritiae restiterunt, consuluerunt patriae consilio libero ; neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii. His omnibus artibus tamquam vera via nisi sunt ad honores, imperium et gloriam* (5). Neque aliter lo-

(1) *Contra Julian.* lib. IV, cap. 3, 16.

(2) Ibid. n. 32.

(3) *Serm.* CCCXLIX, *De temp.* capp. 1 et 2.

(4) *De civ. Dei*, lib. V, cap. 15.

(5) Jansenius, lib. IV, *De Statu naturae lapsae*, cap. 6, totus in eo est, ut evincat, s. Augustinum non de veris virtutibus haec scripsisse, sed de virtutibus fucatis, quae speciem quidem prae se ferrent virtutum, sed reipsa non essent nisi vitia, saltem ex fine perverso, quo infideles illas actiones praestiterunt. Ex quo concludit, Deum quidem praemio donasse infideles ob actiones ex officio bonas, sed eos punivisse ob finem malum. Verum in eo hic auctor hallucinatur, quod existimet, s. Doctorem nomine *verae virtutis* significasse opus moraliter honestum atque steriliter bonum, cum tamen loquatur s. Augustinus de virtute illa, qua homines perducuntur ad aeternam vitam, qualis certe non erat virtus infidelium. Ceterum, s. Augustinum nonnullas saltem actiones agnovisse in infidelibus, quae non fuerint ex omni parte malae, constat etiam ex iis, quae scripsit, lib. *De spir. et litt.* cap. 27 : « Impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quamquam, si discutiatur, QUO FINE fiant, VIX inveniuntur, quae justitiae debitam laudem defensionemve mereantur » ; et cap. 28 : « Sicut enim non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua BONA OPERA, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur » . Ergo ex s. Doctore, etsi *raro*, tamen *nonnulla* dantur in infidelibus opera ex omni parte bona, id est, tum ratione officii, tum ratione finis, saltem proximi et immediati. Perperam Jansenius declinare contendit vim hujus argumenti, asserendo, s. Augustinum non ex propria sententia, sed ex suppositione et in sensu pelagianorum esse locutum; nam contextus contrarium plane evincit, ubi duas subjicit interpretationes

quitur s. Hieronymus: *Ex quo perspicuum est*, inquit, *natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et justitiae reliquarumque virtutum . . . Unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant* (1). Hinc s. Thomas, ex eo quod in infidelibus non omnino corruptum sit bonum naturae, concludit: *Manifestum est, quod infideles . . . opera bona, ad quae sufficit donum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent* (2).

142. Ratio ipsa abhorret ab hoc paradoxo, illudque penitus evertit. In hypothesi enim adversariorum infidelis, qui sibi vim inferret ad superandam vitiosae naturae inclinationem, qui commiseratione commotus stipem indigenti tribueret, qui proximum ab imminenti mortis periculo liberaret, qui obsequeretur parentibus, ipsorum necessitatibus subveniret, atque id genus alia perageret, deterior fieret coram Deo. Consulendum proinde ei esset, quum nullo praesertim impellitur praecepto, ut ab iis se retraheret, ne in peccatum incideret, ac poenam inde promeritam incurreret; quae quam absurda sint, societati perniciosa atque a communi hominum sensu et aestimatione aliena, nemo est qui non videat. Deinde quid vetat, quominus homo, recta ratione utens, actionem eliciat, quae ex se, seu quoad suam substantiam, bona sit ac honesta, et ex honesto fine ipsi quodammodo insito, cujusmodi esset stipem erogare ad alienam sublevandam inopiam? Nonne in hoc aut alio simili casu actio honesta tum ex officio tum ex fine proximo haberetur? Porro finis, qui proxime bonus est, pondere, ut ita dicam, suo fertur in finem bonum ultimum, eumque saltem virtualiter, ut aiunt, includit. Sic praeripitur adversariis praecipuum fundamentum, quo adducuntur ad asserendum, nulla ab infideli opera elici posse, quae non sint inquinata peccato. Constat igitur, sive Scripturarum, sive patrum auctoritatem consulamus, sive rationem ipsam, posse hominem lapsum, antequam fidei gratiam assequatur, opera naturaliter honesta patrare, seu non omnia infidelium opera totidem esse peccata, prout ostendere nobis propositum erat (3).

textus Apostoli: *Gentes, quae legem non habent*, etc., alteram scilicet de gentibus ad fidem conversis, alteram de gentibus infidelibus; utramque porro dat ex proprio sensu. Addo agi hic *de facto*, nec potuisse s. Doctorem affirmare, *nulla prorsus* infideles opera efficere potuisse nisi ex perverso fine. Hoc enim constare non potest nisi uni humanorum cordium scrutatori, qui Deus est.

(1) *Comm. in cap.* 1 *Epist. ad Galat.* pag. 391, edit. Vallarsi. Reliqua patrum testimonia, quae hanc veritatem adstruunt, vid. apud Bellarm. *De grat. et lib. arb.* lib. v, cap. 9.

(2) 2, 2, q. 10, a. 4, qui totus est de hoc argumento; quaerit enim s. Doctor: *Utrum omnis actio infidelis sit peccatum*; respondet autem: *Negative*.

(3) Cfr. s. Thom. in II *Sent.* dist. XLI, q. 2, a. 2, ubi scribit: « Ratio naturalis vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum; et, quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur, ideo in infidelibus, quorum actus per rationis vim diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate ».

DIFFICULTATES

143. I. Obj. Neque sine gratia, neque cum gratia sine fide potest homo lapsus aliquod bonum moraliter honestum elicere. 1. Etenim Apostolus, Rom. XIV, 23, ait: *Quod non est ex fide, peccatum est;* 2. et Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cui principio insistens idem Apostolus 3. de infideli, ad Tit. I, 15, ait: *Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum; sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia.* 4. Eidem consentit Joannes, dum I. Epist. II, 16. de mundo seu de infidelibus per oppositionem ad fideles pronunciat: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae;* 5. imo et Christus ipse, docens, Matth. VI, 23: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quae quidem omnia aliaque his similia eo recidunt, ut affirment, nihil absque fide in Christum homini inesse, quod malum, pollutum, inquinatum non sit, aut ob principium, ex quo profluit, aut ob finem, in quem tendit. Ergo.

144. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. probat. *D.* Quod non est ex fide, id est, juxta practicum conscientiae dictamen, *C.* id est, juxta fidem theologicam *N.* Jam nemo est, qui aliter exponat hoc Apostoli dictum; cum subjecta materia, quae est de delectu ciborum, eam expositionem necessario postulet. Patres omnes graeci ac latini ante s. Augustinum, et alii plures post ipsum hunc ei sensum tribuerunt; imo concilium ipsum oecumenicum Lateran. IV, cap. XLI, illud de conscientiae dictamine exposuit dicens: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica, quam civilis* (1).

145. Ad 1. *D.* Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad salutem, *C.* in ordine ad moralem honestatem, *subd.* ratione operantis, *C.* ratione operis *N.*

146. Ad 3. *D.* Infideli, id est, judaizanti nullus cibus mundus est ob erroneam, qua laborat, conscientiam, *C.* infideli proprie dicto nulla actio munda est seu honesta *N.* (2).

(1) *Act. Conc.* Hard. tom. VII, col. 50. Agitur vero in hac sanctione de praescriptione, quae sine bona fide nec incipere nec continuari potest. Quare concluditur: *Unde oportet, ut, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* Cfr. etiam Bernardinus a Piconio, in hunc Apostoli textum. Sed quod caput est, ipsemet s. Augustinus in hoc ipso lib. IV. *Contra Julian.* n. 24. non abnuit, Apostolum hic locutum esse de cibis.

(2) Refutat hic s. Paulus errorem judaïzantium, qui certos cibos immundos reputabant, quasi lex mosaica adhuc vigeret; contra quos Apostolus docet, nullum cibum, aut natura sua, aut Dei praecepto, christianis immundum esse. Itaque *mundis*, id est, christianis in sanguine Christi mundatis, *omnia munda* sunt, seu nullus cibus ex se, vel ex lege, immundus est. *Coinquinatis autem et infidelibus*, id est, immundis et infidelibus, seu judaïzantibus, nullus cibus est mundus, ob eorum scilicet infidelitatem et conscientiam erroneam. Putant, juxta legis mosaicae praescriptum, sibi a carne suilla ex. gr. abstinendum; vel ergo abstinent ab illa, et sic contra fidei veritatem peccant superstitione: vel non abstinent, et sic peccant contra conscientiam dictantem sibi abstinendum esse. Hoc significant verba Apostoli: *Inquinatae sunt eorum mens et conscientia: mens* per errorem suum; *conscientia*, per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est. Ita Bernard. a Piconio in hunc loc.

147. Ad 4. *D.* Omne, quod est in mundo, id est, in mundi amatoribus, et operantibus juxta prava mundi dictamina, *C.* non operantibus juxta illa, ut saepe contingit, *N.*

148. Ad 5, *D.* Si quis operetur juxta perversam intentionem, quae significatur per oculum nequam, *C.* si praeter hanc intentionem operetur *N.* (1).

149. Ex his patet nihil inveniri in sacris Litteris, quod faveat conclusioni adversariorum; neque unum ex objectis testimoniis esse, quod ad rem praesentem faciat.

150. II. Obj. Omnia infidelium opera totidem esse peccata doctrina germana est s. Augustini, qui ex professo hanc thesim tuetur adversus Julianum contendentem, veras inesse gentilibus virtutes seu opera moraliter bona, etsi fateretur, eas steriles esse ad salutem. Hinc docet s. Augustinus: 1. Nullum opus vere bonum esse, nisi tale sit tum ratione officii tum ratione finis; 2. Sine fide officia quidem posse interdum bona esse, numquam vero finem, quia, *quod non est ex fide, peccatum est;* et *sine fide impossibile est placere Deo;* 3. Nullum opus ex omni parte bonum *sterile* censeri posse in ordine ad vitam aeternam; ac propterea rejicit distinctionem Juliani inter opus sterile et opus meritorium. 4. Urget s. Doctor Julianum ex eo capite, quod, si infideles possent vel unum actum ex omni parte bonum, ex objecto nempe et fine, elicere, gratis Christus mortuus esset. 5. Concludit, infideles ob ejusmodi opera, bona quidem ex objecto, sed vitiosa ex fine, fore puniendos in die judicii, licet *mitius*, qui opus bonum ex objecto patrarunt, at vitiatum ex fine; *gravius*, qui opus malum ex objecto et fine posuerunt, utpote pejores. NULLO MODO *igitur*, inquit, *homines sunt steriliter boni* (ut autumabat Julianus); *sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali* (2). Ex qua postrema animadversione facile componuntur, quae in systemate s. Augustini sibi adversari videntur; cum ex. gr. laudat et extollit virtutes Romanorum ac nonnullorum philosophorum, ac simul contendit, eas virtutes vitia fuisse; cum adstruit, bona illorum opera absque gratiae subsidio facta non esse ac praemio donata, et simul docet, ob haec ipsa opera infideles mitius puniri; nempe celebrat infidelium opera ratione objecti, carpit ratione finis seu intentionis operantis. Hoc ipsum systema s. Augustini refert s. Prosper, dum ex ejusdem s. Doctoris sententia scribit: OMNIS *infidelium vita peccatum est, et* NIHIL *est bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus* (3); et alibi: *Manifestissime patet, in impiorum* (infidelium) *animis* NULLAM *habitare virtutem, sed* OMNIA *opera eorum immunda esse atque polluta* (4). Ergo vel deserenda doctrina s. Augustini, qui tamen eam adstruit tamquam fidei dogma (5), vel admittenda doctrina janseniana et quesnelliana.

151. Resp. *Neg. antec.* Id enim est pervertere sensum et doctrinam s. Augustini. Ut germanus ejus sensus habea-

(1) Cfr. Maldon. in hunc loc.

(2) Ita lib. IV. *Cont. Julian.* toto cap. 3.

(3) In libro *Sententiarum s. Augustini*, quae est ordine CVI, et sic inscribitur: *Quod tota infidelium vita peccatum sit.*

(4) In lib. *Contra Collatorem*, cap. 13, n. 39.

(5) Ita Tricassinus exponit systema s. Augustini circa opera infidelium, in op. cit. *De necessaria ad salutem gratia*, part. II sect. 2, § 5 et seqq.

tur, necesse est inquirere in doctrinam Juliani, quem s. Doctor impugnat. Julianus enim ex principio pelagiano fundamentali, quo asserebat, primum hominem minime fuisse evectum ad statum et ordinem supernaturalem, ac propterea per ejus peccatum posteros nullam contrahere labem, sed nasci in eo statu naturalis justitiae, in qua primus homo conditus est, haec inferebat: 1. Posse hominem suis viribus totam legem servare; 2. per actus seu virtutes moraliter honestas (nullas quippe supernaturales admittebat) posse hominem promereri sibi gratias ad facilius etiam legem adimplendam; 3. per has actiones vitam aeternam obtinere. Actiones porro naturaliter honestas vocabat eas, quae tales essent ex objecto, non autem ex fine, qui in ipsius hypothesi operi superveniebat, et juxta quem homo actus moraliter ac intrinsece bonos dirigit aut ad temporalia aut ad aeterna; si ad temporalia a voluntate dirigantur ejusmodi actus, docebat eos fieri steriles; si ad aeterna, eos meritorios evadere contendebat (1). Adversus hanc theoriam s. Augustinus excipit: 1. nonnisi per gratiam medicinalem Salvatoris universam legem servari posse; 2. per virtutes morales neminem posse gratiam promereri, multo minus consequi vitam aeternam; 3. demum, quod controversiae caput erat, contendit s. Doctor, actiones moraliter honestas atque ex omni parte bonas esse non posse ex solo objecto, sed praeterea bonas intrinsece eas constitui ex fine, qui influit ad intimam actionis bonitatem constituendam, et non extrinsece solum, ut autumabat Julianus, quod pluribus ostendit. Ex quo principio rejicit illam ejusdem Juliani distinctionem inter opera steriliter bona ac meritoria; quia si actus boni sunt ex solo objecto, nec ulli dantur in hypothesi pelagiana actus nisi morales, concludit inanem esse distinctionem provenientem ex fine extrinseco superveniente, seu a voluntate dirigente peculiares actus ex se bonos ad aliquem finem extrinsecum actibus ipsis (2). Hinc, cum finis, juxta s. Doctorem, influens in intimam actus naturam, eamque intrinsece bonam aut malam constituens, quo actus referatur ad aeterna, haberi nequeat absque fide, deducit, aut nullum in infidelibus esse posse actum moraliter honestum et ex omni parte bonum, ex defectu finis supernaturalis in *operante*, minime vero ex defectu finis operis; aut, si quis sit, eum esse meritorium, sed in hypothesi Juliani; quod si ejusmodi opus ex omni parte bonum

(1) Id patet ex verbis s. Augustini, *Contr. Julian.* lib. IV, cap. 3, n. 21: Noveris, *inquit*, non officiis sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quae tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti ».

(2) S. Doctorem agnovisse in aliis locis ac admisisse distinctionem inter opera moraliter honesta ac steriliter bona, et inter opera supernaturalia ac meritoria, evidenter patet ex iis, quae scribit lib. *De spir. et lit.* cap. 28, n. 48: « Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit; sed pietas, quae in aliam vitam transfert beatam et aeternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur ». Quo etiam referuntur, quae paulo post ibidem subdit, et alias retulimus: *Sicut non impediunt a vita aeterna*, etc. . . . . *sic ad salutem nihil prosunt impio aliqua bona opera*, etc.

in infideli daretur, non posset vocari sterile, sed in hypothesi Juliani; quod si daretur ejusmodi opus meritorium vitae aeternae, Christus gratis mortuus esset, sed rursus in eadem hypothesi.

152. Ut autem magis evertat Juliani theoriam, s. Augustinus ostendit sine fide vix aut ne vix quidem in opere praesertim arduo dari actum, qui inquinatus non sit ex aliquo fine perverso, prout late disserit; quia aut inani gloria, aut avaritia, aliove pravo affectu ut plurimum infidelis ad operandum movetur, quod verissimum est. Deinde ostendit, nullum dari posse actum moraliter honestum et meritorium vitae aeternae sine fide, quia deest semper in quacumque infidelium actione finis; quo absente, quaevis actio relate ad vitam aeternam vitiata est et inquinata; quod si praeterea ad haec accedat perversio intentionis seu finis moralis, prout in plerisque operibus infidelium contingit, tunc fiunt proprie dicta peccata, ob quae puniri merentur, qui sic operantur. Hac ratione intelligitur sensus verborum, quae profert s. Prosper.

153. Ceterum, nisi haec esset mens s. Augustini, plura sequerentur ex ejus doctrina absurda et contradictoria, ac 1. necessariam esse gratiam ad opus ponendum, quod semper ac natura sua esset vitiatum et peccato intrinsece infectum ex defectu finis, qui solum per fidem haberi posset (1); 2. Deum ratum habere ac praemio ornare opus intrinseca peccati labe pollutum (2); 3. excitari non posse homines ad opera moraliter honesta elicienda, quae tamen ex mente ejusdem s. Doctoris, ut vidimus, ratione officii et finis saltem proximi bona sunt, et ab ipso commendantur. Haec quidem aliaque ejusmodi evidenter ostendunt, alium prorsus sensum fuisse s. Augustino disputanti adversus Julianum, quum adhibuit voces *peccati* et *operis naturaliter honesti*, ab eo, quo easdem voces usurpat in aliis libris suis. Scilicet in his agnoscit actus bonos morales, at intra limites moralis honestatis, seu, ut nos dicimus, ordinis naturalis, qui nullam dicant relationem ad vitam aeternam, aut ad gratiam. In libris vero contra Julianum ob rationem adductam nullos admittit actus bonos morales in infidelibus; sed, cum eos vocat *actus morales*, loquitur in sensu Juliani, et designat reipsa actus supernaturales. Hac autem ambiguitate abutentes janseniani, contendunt, nullum unquam agnovisse

(1) Nam s. Augustinus passim docet, *voluntates bonas* infidelibus *a Deo esse inspiratas*, quas Deus in cordibus eorum *interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operatur*, ut loquitur, lib. I. *De grat. Christi*, cap. 24, n. 25. Et lib. IV *Contra Julian.* cap. 3, n. 16. fatetur, in infidelibus esse virtutes, sed *divino muneri tribuendas; bona opera*, sed simul *dona Dei*.

(2) *Epist.* CXLIV, n. 2. agnoscit in infidelibus *justitiam* et *actus strenuos*, quibus ipsi *a Deo temporale promereantur praemium*, ut alia praeteream superius commemorata. Ex his sequitur, aut s. Augustinum reipsa admisisse in infidelibus aliquot opera bona seu moraliter honesta, aut sanctissimo Doctori tribuendam esse doctrinam adeo execrabilem, qua statuatur, *Deum interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum*, tamquam *sua dona* et *coelestia munera* approbare, ac remunerari praemio ea, quae juxta eundem Hipponensem antistitem *solus impius neget esse peccatum*. Quasi nempe Deus, qui inspiravit opus bonum, et vires ad illud efficiendum praestitit, non potuerit inspirare bonum finem, saltem naturaliter honestum. Haec absurda sunt.

s. Augustinum in infidelibus actum moraliter honestum, eumque contendisse, omnia opera infidelium totidem esse peccata proprie dicta et poena digna (1).

154. III. Obj. Omnes, ac propterea etiam infideles tenentur cunctas actiones suas referre in Deum ut bonae esse possint, juxta generale praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Hoc autem praeceptum exponens Apostolus scribit, I. Cor. X, 31: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* et Coloss. III, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum;* et 1. Cor. XVI, 14: *Omnia vestra in charitate fiant*. 2. Porro infideles, praesertim qui verum Deum non noverunt, neque ex charitate neque propter Deum tamquam finem ultimum agunt, necesse propterea est, ut in omnibus operibus suis peccent. 3. Quare infidelibus recte Christi verba accomodari possunt: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Ipsi enim haec arbor mala sunt, 4. quorum opera a Deo esse non possunt; alioquin inutilia non forent, cum quod bonum est inutile esse nequeat. Ergo.

155. Resp. ad 1. *D.* Tenentur etiam infideles omnes actiones suas referre in Deum tamquam in auctorem gratiae, *N.* tamquam in auctorem naturae, *subd.* sive explicite sive implicite, *C.* explicite ac semper *N.* Etenim absurdum in primis est contendere, omnes infideles teneri praecepto referendi omnes actiones suas in Deum tamquam in finem ultimum supernaturalem; cum hoc praeceptum ignorent. Si itaque praecepto aliquo tenentur dirigendi actus suos in Deum, satis est ut eos referant in Deum tamquam auctorem naturae, ut huic praecepto satisfaciant. Deinde, ut infideles hoc praeceptum adimpleant, necesse non est ut singulas actiones suas explicite, ut aiunt, in Deum referant; verum sufficit si implicite seu virtualiter id praestent per opus bonum, quod fiat propter bonum aliquem finem proximum; nam hoc ipso ejusmodi opus cedit in gloriam Dei tamquam auctoris omnis moralis honestatis (2). Et haec quidem in hypothesi, quod existat ejusmodi praeceptum positivum semper referendi omnes actiones in Deum; plures enim, nec immerito, contendunt hoc praeceptum esse potius negativum, ita ut per ejus vim nulla eliciatur actio, quae in Deum referri non possit; quo sensu exponunt textus Apostoli, qui nobis opponuntur (3); imo nec desunt, qui in citatis verbis nonnisi consilium insinuari contendant (4).

156. Ad 2. *D.* Infideles non agunt

(1) Cfr. Scipionis Maffei *Historia Theologica*, lib. XV, cap. 1, n. 2 et seqq. Francofurti ad Maenum 1756; praesertim vero P. Fontaine S. J. *Constitutio* UNIGENITUS *theologice propugnata*, Romae 1719, tom. II, part. II, in Prop. XLIV et in Propos. XLVIII, cap. 4, ubi doctus et eruditus auctor doctrinam s. Augustini praeclarissime explanat.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 11, n. 24. Jam supra retulimus verba s. Thomae, quae eundem sensum referunt.

(3) Cfr. Bernard. a Pic. in hunc loc. Epist. ad Coloss.

(4) Animadvertendum vero hic est, jansenistas cum novatoribus contendere, in citatis Apostoli verbis contineri praeceptum positivum referendi actualiter omnes actiones in Deum tamquam in finem ultimum, et quidem explicite, ita ut, si omittatur ejusmodi actualis intentio in Deum per se dilectum, actio evadat peccatum lethale, ac poenae proinde aeternae digna. Jam vero plures theologi catholici sen-

ex charitate supernaturali, *C.* naturali, prout exposuimus *N.* Ita pariter, non agunt infideles propter Deum ut auctorem ordinis supernaturalis, *C.* non possunt, in Apostoli verbis non haberi nisi praeceptum *negativum*, ita ut nihil quispiam operari debeat, quod non sit honestum in se et ex fine proximo, ac proinde natura sua ferri non possit in Deum. Ita Bern. a Picon. loc. cit. nec non Gammachaeus, Duvallius, Ysambertus, doctores Sorbonici, in *Comment. in* 1. *part. s. Thom.* q. 109, a. 4; sic etiam Malderus Doctor Lovaniensis, Sylvius Doctor Duacenus, Alphonsus Curellius et Montesinos Doctores Salmanticenses, Pesantius Doctor Romanus, Capreolus et Medina Ord. Praed., Puteanus Ord. s. Aug. Praeterea Domin. Soto Ord. Praed. ac Theologus in conc. Trid. asserit, omnes scholas impugnare contrariam sententiam Gregorii Ariminensis, qui id fatebatur. En verba Dom. Soto, ex lib. *De nat. et grat.* cap. 20: *At vero non immerito scholae omnes Theologorum sibi* (Gregorio Arim.) *reclamant, ut ipse fatetur*. Andreas Vega alter Theologus concilii Tridentini, *Opusc. de justificatione*, q. XII, contendit, doctrinam peculiarem Gregorii Arim. similiter adversari tum rationi tum Scripturarum auctoritati; et lib. VI, *De justif.* cap. 41, scribit: *Sed illius opinio summo quidem jure explosa est ab scholis*. Alii censent, non prae se ferre Pauli verba nisi piam admonitionem et consilium, ut Bellarminus, loc. cit. Estius, *Comment. in* I *ad Cor.* X, 31. in verbis Apostoli agnoscit quidem praeceptum positivum, sed ita tamen, ut 1. ad ipsum adimplendum satis sit, si *virtute*, ut ipse loquitur, aut *habitu* ad Deum actiones referantur; 2. non respiciat illud praeceptum *infideles*, sed solos fideles. S. Thomas 1. *Quaest. unic. de Char.* art. 11, ad 2, exponit istud praeceptum *negative*, et subdit: *Hoc pertinere ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, quod omnia* VIRTUTE *referantur in Deum*. 2. *Lect.* VII. *in* I *ad Cor.* X, 31. exponit de relatione *implicita: Relatio haec*, inquit, *intelligitur vel in actu, vel* IN APTITUDINE *referendi, quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus*. 3. *Lect.* III. *in Epist. ad Coloss. cap.* III. explicat de relatione *habituali*, quae ex gratia sanctificante exurgit, quaeque nequidem excluditur per peccatum veniale: *Quidam dicunt*, scribit, *quod hoc est consilium; sed non est verum. Sed dicendum est, quod* NON EST NECESSARIUM, *quod omnia in Deum referantur actu,* SED HABITU . . . *Venialiter autem peccans non facit contra hoc praeceptum simpliciter, quia licet non actualiter, tamen habitualiter omnia refert in Deum*. Eadem repetit, *Quaest.* VII. *De malo*, a. 1. ad 9. 4. Statuit, hoc praeceptum utpote affirmativum non obligare *ad semper*, ita ut in concursu duorum praeceptorum fieri possit, ut quispiam unum sine altero adimplere possit sine transgressione alterius; sic enim scribit, 1. 2. q. 100. a. 10, ad 2: « Et cum ista (praecepta referendi omnia in Deum et honorandi parentes) sint duo praecepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare. Et ita potest contingere, quod aliquis implens praeceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur praeceptum de omissione modi charitatis ». Doctus Card. de Aguirre Ord. Ben. in *Theologia s. Anselmi*, disp. CXXX, sect. IV, fusius ostendit, sententiam contrariam peculiari Gregorii Arim. doctrinae esse germanam sententiam ss. Thomae et Bonaventurae, quos omnes secuti sunt posteriores scholastici, ita ut vix quispiam reclamaverit adversus illam, si paucos haereticos excipias. En ejus verba ex sect. III, n. 20: « Hanc sententiam luculenter tradere videntur duo sancti Ecclesiae Doctores Thomas et Bonaventura . . . . quos Scotus, Durandus ac ceteri posteriores scholastici tum veteres tum recentiores indubie sequuti sunt, nullo pene usque ad hanc diem contradicente, nisi paucis quibusdam haereticis seculi praece-

sunt saltem agere propter Deum ut auctorem naturae *N.*

157. Ad 3. *D.* Infideles arbor mala sunt, cum agunt ex principio infidelitatis aut ex aliquo perverso fine, *C.* cum agunt ut homines et ex recto fine proximo *N.*

158. Ad 4. *D.* A Deo esse non possunt ut auctore ordinis supernaturalis, *C.* ut auctore naturae *N.* Actus autem naturaliter honestus utilis est, tum ad satisfaciendum praecepto naturali, tum ad poenam vitandam, tum denique ad praemium temporale promerendum.

PROPOSITIO III.

Potest homo actuali gratia adjutus, ante obtentam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata

159. Propositio haec est de fide adversus wicleffitas et hussitas, quorum articuli, qui huc referuntur, proscripti sunt in conc. Constantiensi (1); tum adversus lutheranos et calvinistas, quorum doctrina proscripta est in concilio Tridentino, quod sess. VI, hunc ipsis canonem opposuit, qui est n. VII: *Si quis dixerit, opera omnia quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eo gravius peccare, anathema sit.* Cum vero horum novatorum errorem instauraverit Bajus prop. XXXV. his verbis concepta: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est,* Summi Pontifices Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII iterum eum confixerunt. Eandem doctrinam denuo damnavit Clemens XI in Constit. *Unigenitus*, proscribens prop. XLV Quesnelli: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carna-*

dentis ». Demum concludit ibid. sect. XIV, num. 148: « Quis autem credat, Deum piissimum et amantissimum ecclesiae suae, singulis hisce seculis praeditae viris doctissimis ac sanctissimis, doctrinam adeo salutarem ipsi invidisse, aut noluisse manifestam facere nisi haeresiarchis praecedentis seculi, et postea Michaeli Bajo ac Jansenio, atque ex horum traditione paucis quibusdam? » Inter hos paucos recenset Contensonium, *quem plurimum deditum doctrinae recentiorum Lovaniensium* dicit. Attamen jansenistae perfricta fronte audent fidei dogmatibus accensere doctrinam de obligatione referendi singulas actiones explicite et in actu ad Deum propter se dilectum. *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Cfr. citt. Estius, loc. cit. Aguirre, tota disp. CXXX, quae complectitur XV prolixas sectiones; Fontaine, op. cit. in proposit. XLVI Quesnelli, cap. 2 et seqq. Ex his patet, futilem esse distinctionem, quam nonnulli introducunt inter opus et operantem, quasi opus infidelium bonum sit in se, sed malum semper ob finem operantis. Nam, praeterquam quod haec distinctio componi nequit cum censuris latis a Clemente XI in Const. *Unigenitus*, in prop. LXXXII: *Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo;* et ab Alex. VIII in prop. XXXII: « Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum respectu »; repugnat tum theoriae s. Augustini, qui contendit, finem influere in intimam actionis naturam, tum doctrinae s. Thomae, quem cfr. 1, 2, q. 18, a. 4, et 2, 2, q. 10. a. 4. in quae loca vid. Cajetanus refellens Gregorium Ariminensem.

(1) Art. 16: « Si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et, si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuo-

lis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat; et prop. LIX: *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*. Denique a Pio VI in Const. *Auctorem fidei*: *Doctrina Synodi* (Pistoriensis) *de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis, enuncians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere: quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati*, declaratur *falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum art.* XL (prop. XXXIII) (1).

160. Licet vero hic error communis sit, ad rei substantiam quod attinet, tum lutheranis et calvinistis, tum jansenianis, non idem tamen est principium, ex quo profluxit. Novatores enim ideo docuerunt omnia peccatorum opera vera esse peccata, quia ex ipsorum systemate, de justitia *naturali* hominis primordialis seu paradisiaci amissa per peccatum originale, hoc peccatum juxta ipsos tamquam *positiva qualitas ipsius naturae humanae* semper influit in omnes hominis lapsi actiones tum bonas tum malas, ut enucleatius, ubi erit locus, exponemus; quae propterea totidem peccata sunt, et quamvis justis non imputentur, imputantur tamen peccatoribus, qui nondum justificati sunt per externam imputationem justitiae Christi. Quare ex istorum mente opera ac peccata hominis lapsi non sunt nisi *manifestationes* peccati originalis (2). Jansenistae contra ex principio affini, de justitia originali debita primo homini tamquam sequela creationis, docent, per peccatum hominem adeo debilitatum fuisse, ut nihil boni efficere per se valeat, et agi necessario debere a cupiditate dominante per peccatum, quamdiu non agatur a dominante charitate per gratiam sanctificantem, quam per justificationem adipiscitur. Haec porro cupiditas, quamdiu in homine dominatur, influit ex istorum systemate in omnes ejus actiones, easque maculat ac vitiosas efficit utpote a vitioso principio exortas. Hoc igitur intercedit discrimen inter utrumque systema, quod juxta theo-

se; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi ». Alter articulus proscriptus hic est: « Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter ». Vid. *Acta Concil.* Hard. tom. VIII, col. 912, et ibid. col. 405.

(1) Art. XL Baji hic citatus ita se habet: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

(2) Sic porro exponit Cl. Moehler doctrinam reformatorum circa hunc articulum: « Selon les symboles réformés, les fautes actuelles ne sont plus que les fruits du mal héréditaire, que sa manifestation successive dans des cas particuliers. Pour eux aussi le péché d'Adam est le seul péché; c'est la source unique à laquelle puisent tous les mortels sans jamais l'épuiser; source infinie, toujours vivante, qui se nourrit de ses propres eaux; péché actif, sans cesse agissant, qui veut à jamais se reproduire à la lumière ». *Symbolique*, tom. I, pag. 87, edit. cit.

iam novatorum, actiones peccatorum totidem peccata sint ex principio intrinseco naturae corruptae et infectae per concupiscentiam, in qua consistit qualitas positiva, et formalis ratio peccati originalis, quod se manifestat in singulis hominis lapsi actionibus; juxta theoriam vero jansenistarum, hoc provenit ex principio extrinseco et hominem excitante ad peccandum in singulis actionibus per cupiditatem dominantem. Hac de causa autumarunt janseniani, doctrinam suam minime fuisse per Tridentinum canonem in novatores latum proscriptam. Sed frustra; cum enim conclusio eadem sit, parum interest, an principia, ex quibus dimanat, diversa sint, ut patet ex nota, quae inusta fuit propositioni nuper relatae synodi Pistoriensis.

161. His praemissis, ad enunciatae propositionis veritatem vindicandam descendimus. 1. Ex demonstratis in superiori propositione, patet non omnia infidelium opera esse peccata; ergo multo minus peccata censenda sunt omnia opera peccatorum. Praeterea Scriptura tum dictis tum factis constanter supponit, opera bona et salutaria a peccatoribus ante conversionem elici; imo ad haec praestanda eos hortatur, et laudat, cum ea praestiterint. Sic Ezech. XVIII, 30, legitur: *Ait Dominus Deus: Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris;* Luc. XVIII, 13. exhibetur Publicanus a longe consistens, qui non audebat in coelum oculos suos attollere; *sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*. De Cornelio centurione legitur, Act. X, 1. et seq.: *Vir erat ... religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper*. Porro in novatorum ac jansenistarum hypothesi Deus ipse adhortatus esset homines ad peccatum; Publicanus et Cornelius per illos humilitatis ac poenitentiae actus, per illas eleemosynas et orationes novis se peccatis commaculassent, ac Deum propterea ad iracundiam provocassent. At Deus passim arguit Israëlitas, eo quod noluerint se convertere; Christus exhibet Publicanum justificatum a Deo; Deus misit Angelum ad Centurionem. Adeo nempe Scripturae divinae sensus et doctrina abhorrent a sensibus et doctrina novatorum et jansenistarum!

162. Concilium Arausicanum II declarat, can. XXV, manifestissime credendum esse, ut superius vidimus, nec pii latronis, nec Cornelii centurionis, nec Zachaei conversionem sine divinae largitatis dono accidisse; ergo censuit, illos actus, quibus isti ad conversionem accesserunt, bonos ac salutares fuisse, nec sine fide elicitos, nec propterea totidem peccata fuisse, ut adversarii autumant.

163. Post haec supervacaneum est, confirmare hanc fidei veritatem auctoritate s. Augustini, qui ubique et constanter praedicat, peccatores esse inexcusabiles, si non convertantur, eo quod neglexerint opera misericordiae praestare, noluerint poenitere et confiteri peccata sua, noluerint orare ceteraque efficere, quibus veniam a Deo ac justificationem impetrare potuissent. Ergo hoc ipso censuit s. Doctor, non omnes peccatorum actiones totidem esse peccata. Haec autem ejus testimonia inferius afferemus (1).

164. Demum id ipsum efficitur ex eo, quod si omnes actiones ante justificatio-

(1) Cum scilicet agemus de gratiae distributione. Interea cfr. Tricassinus, *De gratia ad salutem necessaria*, part. I, sect. IV, § 3 et seqq.

nem elicitae vitiatae et corruptae essent, ac totidem peccata, praecluderetur omnis via peccatoribus sese convertendi, sese in Dei gratiam recipiendi ac sese disponendi ad justificationem ; quae omnia absurda sunt ac universam justificationis oeconomiam labefactant. Accedit quod falsa sunt principia, ex quibus profluit doctrina novatorum et jansenistarum ; nempe aut peccata actualia non esse nisi manifestationes peccati originalis, quod perpetuo homini lapso inhaereat ut positiva qualitas, quae inficiat omnes ejusdem hominis lapsi actiones, ut novatores autumant ; aut hominem peccatorem semper operari ex cupiditate dominante, quae corrumpat omnes ejusdem actus, ut contendunt jansenistae ; cum saepe saepius neque justi agant juxta sanctitatis normam, neque peccatores juxta cupiditatis influxum (1).

DIFFICULTATES

165. Obj. Opera peccatorum Deus in Scripturis indiscriminatim tamquam mala rejicit ac damnat : 1. Etenim, Prov. XV, 8. dicitur : *Victimae impiorum abominabiles Domino*. Isaïae I, 13 : *Incensum abominatio est mihi. Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea*. 2. Siquidem, ut dicitur Matth. VII, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere ;* 3. et *Deus peccatores non audit*, ut legitur, Joan. IX, 31. Nec mirum ; 4. siquidem peccator semper agit ex cupiditate ; ergo semper peccat juxta illud Apostoli, I. Timoth. VI, 10 : *Radix enim omnium malorum est cupiditas*. Ille enim agit ex cupiditate, qui non agit ex charitate ; nam nullum est medium ; atqui peccator non agit ex charitate, alioquin esset justus ; ergo agit ex cupiditate. 5. Hinc S. Augustinus : *Ubi non est dilectio*, inquit, *nullum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur* (2). Ergo.

166. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Victimas impiorum ac incensum abominatur Dominus, si ex perverso fine ac perversa voluntate offerantur, *C.* si, ut decet, ad Deum honorandum ac placandum *N.* Putabant enim illi, quos arguit Scriptura, satis sibi esse cautum, dummodo sacrificia offerrent, etsi gravissimis interim sceleribus se commacularent et affectum ad peccatum retinerent (3).

167. Ad 2. *D.* Quamdiu homo agit ut arbor mala, seu ex prava voluntate, *C.* Si non agat ut arbor mala, seu ex prava voluntate *N.* Arbor enim bona aut mala est bona aut mala voluntas ; jam vero peccator non semper operatur ex perversa voluntate (4).

168. Ad 3. *D.* Ad alios seducendos per miracula, *C.* ut peccator est, qui resipiscere velit *N.* Talem esse sensum horum verborum coeci nati, patet ex contextu (5).

169. Ad 4. *Neg.* Ad argum. *Dist.*

(1) Cfr. P. Fontaine, op. cit. in prop. XLV.

(2) Lib. *De grat. Christi*, cap. 26.

(3) Cfr. Cornel. a Lap. in hunc loc. tum Bellarm. loc. cit. cap. 10, n. 1.

(4) Cfr. Maldon. qui existimat, hanc Salvatoris sententiam esse accipiendam sensu, ut aiunt, morali nempe ex communiter contingentibus, adeo ut fieri non possit, quin falsi prophetae, qui simulatione sanctitatis pravam doctrinam confirmare contendunt, diu se ita ovina pelle tegant, ut tandem aliquando, qui sub ea latet, lupus non appareat. Non enim potest diu simulatio veritatem imitari. Quod in omnibus haereticis fieri videmus. Recenset praeterea quinque vel sex sibi adversantes errores haereticorum, qui hoc Christi dicto abusi sunt, ut manichaei, donatistae, pelagiani, calviniani etc.

(5) *Adhuc inunctus* (id est, catechume-

maj. Nullum datur medium inter cupiditatem et charitatem habitualem, seu inter statum justitiae et peccati, *C.* nullum datur medium inter cupiditatem et charitatem actualem theologicam et proprie dictam *N.* Datur enim charitas improprie dicta, seu voluntas recti et honesti, juxta quam homo, etsi peccator sit, saepe, adjutus praesertim divina gratia, bonum vult et operatur. Apostolus autem loquitur de amore pecuniae, seu de avaritia, quam vocat omnium malorum, temporalium scilicet et aeternorum, fontem (1).

170. Ad 5. *D.* Ubi non est dilectio, id est, bona voluntas aut pia affectio, *C.* id est, charitas theologica et proprie dicta *N.* Hoc porro sensu vocem dilectionis a s. Augustino passim usurpari, ad denotandum scilicet bonam voluntatem aut piam affectionem, constat inter cetera ex iis, quae scribit in lib. *De grat. et lib. arbitr.* ubi: *Quod quidem* (liberum arbitrium), inquit, *sine suo fructu admoneretur, nisi prius acciperet* ALIQUID DILECTIONIS, *ut addi sibi quaereret, unde quod jubebatur impleret* (2); tum etiam patet ex iis omnibus locis, in quibus s. Doctor affirmat, fidem, quae est in peccatoribus informis, non esse sine dilectione.

ARTICULUS IV.

De erroribus circa gratiae necessitatem post acceptam justificationem

171. Ad absolvendam gravissimam hanc, in qua versamur, quaestionem, superest ut, postquam expendimus, quae sit gratiae necessitas ad opera salutaria incipienda ac perficienda adversus pelagianos ac semipelagianos, tum quousque sese extendat ejusdem necessitas quoad opera moraliter honesta adversus novatores et jansenistas, tum denique quid homo lapsus cum ea aut sine ea possit ante fidem et justificationem; superest, inquam, ut inquiramus in ejusdem gratiae necessitatem post acceptam justificationem.

172. Pelagiani ex praejacto principio de actuali hominis integritate, eo progressi sunt, ut assererent, posse hominem suis viribus ad omnimodam pertingere perfectionem, imo, ut diximus, ad ipsam *apathiam* seu imperturbabilitatem; postea vero se ipsos emendare volentes, fassi sunt ad hunc statum obtinendum ea gratia opus esse, quam ipsi admittebant (3). Rationalistae pariter,

nus) *loquitur*, inquit s. Augustinus. « Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non audiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret: Deus propitius esto mihi peccatori » (*Tract.* XLIV, *in Joan.* n. 13). Cfr. Maldon. in hunc loc.

(1) Cfr. Bern. a Pic. et Corn. a Lap. in hunc loc.

(2) Cap. 18. n. 37.

(3) Cfr. s. August. *De Gestis Pelagii*, cap. 6, n. 20, 22. Subdole Pelagius gratiae nomine vocabat *possibilitatem*, quam Dei dono homo accepit per liberum arbitrium, ideoque ipsam naturam significabat. Hic enim haeresiarcha tria distinguebat in homine, *possibilitatem*, *voluntatem* et *actionem:* « possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus, voluntatem, qua vult esse justus, actionem, qua justus est; horum trium primum, id est, possibilitatem, datam confitetur a Creatore naturae, nec esse in nostra potestate . . . duo vero reliqua, id est voluntatem et actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis esse contendat ». Ita exponit versutiam Pelagii s. Augustinus, lib.

qui perfectibilitatem, ut vocant, attributum proprium humanitatis esse autumant, existimant hominem posse pervenire ex viribus sibi insitis usque ad aemulandum, non solum ideale prototypum hominis paradisiaci, sed ipsum reale, quod in se exhibuit Christus Jesus (1).

173. Semipelagiani, qui ut initium fidei ac salutis ex nobis esse voluerunt, sic et progressum ac perseverantiam in nostra potestate absque peculiari gratiae auxilio, indirecte saltem, pariter esse contenderunt; quatenus nempe, ut inferius dicemus, volebant haec opera bona ac supernaturalia et perseverantiam enasci a gratia parta viribus liberi arbitrii.

174. Contra vero fides catholica docet adversus pelagianos ac rationalistas, nec justos ipsos posse citra speciale privilegium in praesenti hominis infirmi statu, toto vitae tempore, omnia vitare peccata venialia; adversus semipelagianos autem docet, sicut fidei ac salutis initium ita et perseverantiam usque in finem Dei munus esse. Hanc proinde doctrinam in sequentibus propositionibus vindicandam suscipimus.

PROPOSITIO I.

Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio

175. De fide est haec propositio; conceptis enim verbis hanc veritatem definivit Tridentina synodus, sess. VI. can. XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

176. Ad pleniorem propositionis explanationem praemittimus: 1. Eam comprehendere peccata venialia *omnia*, ideoque tam deliberata quam indeliberata, quae nempe nostram plenam advertentiam praeveniunt, ac oscitantibus nobis obrepunt. 2. Sese extendere *ad totam vitam*, ideoque non brevem tantum ejus periodum; hinc est quod theologi passim docent, non posse hominem etiam justum ad longum tempus se immunem

De grat. Christ. cap. 3, n. 4. Hinc refert, hac arte eum illusisse episcopis Palestinae, dum adstruebat posse hominem esse sine peccato cum Dei adjutorio.

(1) Hic notandum est etiam novatores admisisse impeccabilitatem in homine justificato, sed alio prorsus sensu, atque ex alio omnino principio. Nempe ipsi docent, eatenus hominem justum non amplius peccare posse, quatenus peccata ipsi non amplius a Deo imputantur ob Christi justitiam, quam homo per fidem apprehendit. Hinc in istorum sententia hanc rectius vocaveris *impunitatem* quam *impeccabilitatem*, quia quod attinet ad peccatum, ultro fatentur justos semper in quolibet opere peccare; sed haec peccata in illorum systemate justis ob Christi justitiam non imputantur ad poenam. Sic docent calvinistae, justum non amplius excidere posse ab accepta justitia; quia fides, qua apprehenditur justitia, propria tantum est electorum, nec amitti potest; lutherani vero censent, tamdiu amitti non posse justitiam, quamdiu justi fidem servant; nam juxta ipsos fidei amissio est solum peccatum, quo justus a justitia excidere possit, et in istorum doctrina fides non est inamissibilis. Verum haec satis hic sint ad dignoscendam diversam haereticorum doctrinam; de his enim suo loco.

ab his maculis servare. 3. Hanc omnimodam a quovis vel levi peccato puritatem hominem justificatum non obtinere ordinariis gratiae auxiliis, sed solum ex speciali privilegio. An vero praeter B. Virginem, ut ecclesia tenet, alii ejusmodi privilegium consecuti fuerint necne, nostrum inquirere non est, nec talis inquisitio attingit limites propositionis nostrae. 4. Animadvertendum est non agi hic de potentia aut impotentia physica, sed solum de potentia aut impotentia morali; alioquin, si homo justus potentia physica ad vitanda levia haec peccata destitutus esset, nec peccata essent, ideoque nec culpae imputari possent. 5. Demum propositionem nostram spectare collectionem, ut loquuntur, horum peccatorum, minime vero peccata seorsum sumpta; sic enim, praesertim deliberata, singillatim justum ordinaria gratia adjutum praecavere posse, nemo est qui ambigat (1).

177. Sensu propositionis ita constituto, ejus veritatem ita ostendimus: Sacrae Litterae etiam, cum de justis loquuntur, eos peccatis obnoxios et irretitos pronunciant; nam, Prov. XXIV, 16. dicitur: *Septies enim cadet justus*. Eccles. VII, 21: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet*. Et apertius etiam in novo Foedere; Jacobi enim III, 2. legitur: *In multis offendimus omnes;* et I. Joan. I, 8: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Non autem sunt mortalia peccata illa, in quae passim justi labuntur; ergo venialia. Hinc est quod Christus, Matth. VI. omnes indiscriminatim, ac propterea etiam justos jussit sic orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* ergo et justi, licet ordinariis gratiae auxiliis suffulti sint, non omnia valent peccata venialia vitare.

(1) Quo melius intelligatur doctrina catholica circa peccata venialia, animadvertendum est, hominem per gratiam sanctificantem consequi *veram* quidem justificationem, sed *non perfectam: veram*, quatenus homo justificatus est reipsa Deo carus et acceptus, sed *non perfectam*, quatenus justus, quamdiu in hac vita est, non reparatur quoad integritatem naturae. Hinc et infirmus remanet, ignorantiae et concupiscentiae obnoxius. Ex hac porro concupiscentia fit, ut ipse jugem debeat experiri luctam inter carnem et spiritum, ac perpetuo vigilare, ne ulli tentationi cedat, orare ut obtineat auxilia, quibus omni suggestioni resistat eamque superet; ex insita autem sibi infirmitate fit, ut homo justus nec semper ea, qua par est, diligentia vigilet, nec omnes quae subrepunt, sensus illecebras evitet, nec semper advertat omnia, quae interdum latent, pericula. Inde oriuntur illae quotidianae noxae, quas ipse lacrymis suis abluit, et ob quas Deum rogat: *Dimitte nobis debita nostra*, confirmatur in humilitate, et optat dissolvi ex corpore mortis hujus, ut adipiscatur plenam libertatem filiorum Dei. Quo major est in justo sanctitatis progressio, quo ferventius est in ipso mortificationis exercitium, eo minus se ejusmodi maculis inquinat, ut ex sanctorum exemplis compertum est. Non pauci inventi sunt, qui votum emiserunt numquam deliberate peccandi venialiter, quotidieque in perfectione crescendi, seu faciendi, quod melius esse cognoverint. Cfr. s. Thom. 1, 2, q. 8, praesertim a. 3. ubi ostendit, hominem in statu innocentiae, ac proinde integritatis, non potuisse peccare venialiter. Ex his intelligitur, quo sensu speciale requiratur privilegium ad vitanda omnia peccata venialia praeter ordinaria auxilia; nempe requiritur privilegium, quo infirmitas sanetur humanae naturae, quam profecto non *tollunt* ordinaria auxilia, sed tantum ei *auxiliantur*, ut nomen ipsum *auxilii* et *adjutorii* indicat.

178. Nec aliter sane haec Scripturarum effata patres intellexerunt. Ex pluribus tum graecis tum latinis, qui adduci possent, unum aut alterum brevitatis gratia seligemus. S. Gregorius Nazian.: *Illud cognoscamus*, inquit, *quod omni quidem vitio carere ejusmodi procul dubio est, ut humanum modum excedat, solique Deo conveniat* (1); et alibi: *Quandoquidem eum vitae statum, qui omni prorsus peccato vacet, supra humanae naturae modum Deus constituit* (1). S. Hieronymus sic urgebat Pelagium: *Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est, nos subjacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate et commotione voluntatis humanae, quae per momenta variatur; quia Deus solus est immutabilis* (3). De mente s. Augustini nihil attinet dicere, cum passim ac valide id inculcaverit adversus pelagianos.

179. Vix autem e latebris prodiit perniciosus hic error, dum statim concilia, per ea tempora adversus pelagianos celebrata, eum proscripserunt. Concilium Carthag. anno 418 hos canones edidit; VI: « Item placuit, quod ait s. Joannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, et adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et humilitas in nobis non est; sed, cum ait: Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est, satis ostendit eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum ». Can. VII: « Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos: Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte mihi debita mea, sed: Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit ». Can. VIII: « Item placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicae orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, se debita non habere » (4)?

180. His congruit ratio, quam profert s. Thomas, dum ait: *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appeti-*

(1) Orat. XV. *In plagam grandinis*, pag. 234, edit. Par. 1630. Γνώμεν ὅτι τὸ μὲν μηδὲν ἁμαρτεῖν, ὄντως ὑπὲρ ἄνθρωπον καὶ μόνου Θεοῦ.

(2) *Orat.* IV. *In Julian.* pag. 128: Ἐπειδὴ τὸ παντελῶς ἀναμάρτητον, ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἔταξεν ὁ Θεὸς.

(3) *Dialogo* II *contra Pelag.* n. 30, edit. Vallarsi.

(4) *Acta Concil.* Harduin. tom. I. sub titulo concilii Milevitani, col. 1218 et seq.

tus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii), *non autem omnes; quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos* (1).

DIFFICULTATES

181. I. Obj. 1. Christus, Matth. V, 48, ad omnimodam nos perfectionem provocat, dicens: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est*. 2. Quam quidem perfectionem homini justo possibilem esse Scriptura ubique supponit; etenim, 1. Joan. V, 18. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat;* et Ps. CXVIII, 1: *Beati immaculati in via;* tales autem censeri nequeunt, qui peccatis venialibus se commaculant. 3. Hinc nobis exhibet Luc. I, 6. Zachariam et Elisabeth *incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela*. 4. Ecclesia ipsa in festo s. Joan. Baptistae canit, ipsum sub teneris annis antra deserti petiisse, *ne levi posset maculare vitam crimine linguae*, seu, ut antea dicebatur, *ne levi saltem maculare vitam crimine posset*. 5. Quare s. Augustinus: *Si a me quaeratur*, inquit, *utrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor, posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium* (2). Ergo.

182. Resp. Ad 1. *Neg.* Verumtamen citatis verbis Christus nos provocat ad illam perfectionem, cujus capaces sumus spectata infirmitate nostra, ac praesertim ad imitandum Patrem coelestem in condonandis injuriis nobis illatis, atque ad beneficentiae opera exercenda etiam erga inimicos nostros, ut patet ex contextu (3).

183. Ad 2. *Neg.* juxta adversariorum mentem. Neque id evincit primum testimonium, ex quo solum eruitur, non peccare eum, qui operatur ex principio nativitatis divinae, nempe ex charitate; non autem dum agit ex alio principio, scilicet ex cupiditate (4). Sic, Psalm. CXVIII, beati praedicantur, qui vitam transigunt absque gravi saltem legis transgressione. Hic enim aliique ejusmodi textus pro subjecta materia semper intelligi debent, atque ex communi acceptione de illa sanctitate et justitia, quae passim in Sanctis obtinet, quaeque numquam absoluta esse solet juxta receptum effatum: *Ille maximus, qui urgetur minimis*.

184. Ad 3. *D.* Id est, ad legis praescriptum, ita ut in nullius reprehensionem incurrerent, *C.* ita ut nullam vel levem maculam coram Deo contraherent *N.* Communi enim loquendi usu scribit Evangelista, qui non alium sensum admittit praeter expositum, prout etiam hunc locum interpretatur s. Augustinus (5).

185. Ad 4. *D.* Nec tamen affirmat

(1) 1, 2, q. 109. a. 8. Cfr. etiam art. 9.

(2) *De peccat. merit. et remiss.* lib. II, cap. 6.

(3) Cfr. Maldon. in hunc loc.

(4) S. August. *De peccat. merit. et remiss.* lib. II, cap. 8. exponit hunc Joannis textum de perfecta renovatione, quam adipiscuntur justi in vita beata; sic etiam ibid. cap. 9.

(5) Lib. *De grat. Christ.* cap. 48: « Dictum enim est, inquit, quantum mihi videtur, secundum quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juste posset in accusationis et criminationis querelam vocare . . . Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiae, in qua vere atque omni modo immaculati perfectique vivamus ».

ecclesia, s. Praecursorem hoc obtinuisse, *C.* secus, *Subd.* Ex privilegio speciali, *Tr.* hoc secluso *N.*

186. Ad 5. *D.* Confitetur s. Augustinus, id fieri posse physice et absolute, *C.* moraliter et in praxi *N.* Alioquin frustra inter praecipuos pelagianorum errores hunc recensuisset, dicens: *Tria sunt, ut scitis, quae maxime adversus eos* (pelagianos) *catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari . . . alterum est, in quantacumque justitia sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere; tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis* (1). Perperam propterea ad hunc errorem convellendum tot libris desudasset.

187. II. Obj. 1. Justus potest per breve tempus omnia venialia vitare; ergo semper, 2. tum ob facilitatem habitus inde acquisiti, 3. tum ob majora gratiae subsidia, quae exinde promeretur. 4. Sane, si potest singula vitare, quare non omnia poterit divina gratia adjutus, quae semper praesto est? 5. Quod si reipsa omnia vitare non posset, jam necessario ea patraret, plecti propterea non posset. 6. Adde, in tali hypothesi non posse justum efficax concipere propositum omnia peccata vitandi, pro tali fuga Deum rogare; quae absurda sunt et contraria sanctorum praxi, qui interdum ad id voto se obstrinxerunt, imo et praxi ecclesiae, quae orare consuevit, *ut in nullum declinemus peccatum; et ab omni peccato Deus nos liberet.*

188. Resp. Ad 1. *Neg. cons.* Etenim optime ad hanc ipsam difficultatem respondit s. Hieronymus: *Nec, quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, dormire. Numquid in perpetuum* (2)?

189. Ad 2. *D.* Si non ageretur nisi de una eademque peccatorum specie, *Tr.* si de diversis atque a se disjunctis *N.* Innumera propemodum sunt, quae justis obrepere possunt, a quibus moraliter impossibile est, ut aliquando saltem leviter non abripiantur. Sed nec verum semper est, frequentem victoriam facilitatem ac robur addere; quandoque enim fastidium et lassitudinem ingerit, praesertim infirmo homini.

190. Ad 3. *D.* Si praecedentibus gratiis semper obsecutus sit, si fidelem se exhibeat praesentibus, si nullum obsta-

(1) Lib. *De dono persev.* cap. II, n. 4. Animadvertendum tamen est, s. Doctorem interdum docere, absolute hominem posse divinae gratiae ope quaevis vitare peccata; ast non determinat, cujusmodi haec gratia sit, ordinaria scilicet an extraordinaria. Porro ejus mens colligitur ex eo, quod saepius repetat, se arbitrari, praeter Christum ac B. Virginem neminem prorsus extitisse, qui omni prorsus peccato immunis fuerit; ex quo manifeste constat, gratiam illam, qua fieri posse asserit, ut quispiam inveniri possit sine ullo peccato, esse omnino extraordinariam, specialem, quamque nos privilegium nuncupamus. Itaque discrimen est in ratione loquendi, minime vero in re ipsa.

(2) *Cont. Pelag.* lib. III, n. 12. qui praeterea, ibid. n. 4. jam dixerat: « Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara; quod si paululum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, et fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non posse cognoscit ».

culum torpore aut desidia opponat subsequentibus, *C.* secus *N.* Ast hoc opus, hic labor est.

191. Ad 4. Resp. quia in singulis non invenitur illa difficultas, quae exurgit ex omnium collectione, ut constat ex iis, quae hactenus disseruimus.

192. Ad 5. *D.* Si deberet evitare omnia simul, *Tr.* quia ad hoc praestandum non laboraret justus nisi impotentia morali, ut professi sumus. Si solum singillatim vitare debet *N.* Toties propterea reus efficitur ac poena tenetur, quoties in ea labitur.

193. Ad 6. *D.* Effective efficax ad longum tempus, *C.* affective saltem efficax *N.* Omnes enim, quoad fieri potest, tenentur omnia vitare, ac proinde bonum voluntatis propositum semper commendatione dignum est, quamvis interdum deficiat (1). Potest praeterea etiam effectu non solum propositum, sed scopum obtinere quoad venialia deliberata, et circa haec votum interdum emiserunt Sancti, in quo nihil est quod obsistat. Ecclesia etiam cupit, ut omnia etiam levia peccata declinentur; ideo sic nos orare docet, maxime quod semper incerti simus utrum brevior an longior vita nostra futura sit.

PROPOSITIO II.

Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare

194. Propositio haec est de fide juxta id, quod Tridentina Synodus sess. VI, can. XXII. sancivit: *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

195. Et hic juvat, nonnulla ad majorem propositionis declarationem praemittere. Ac 1. quidem perseverantiae nomen usurpari ad significandam tum majorem minoremve in bono jam obtento constantiam et continuationem, tum jugem in eodem consistentiam usque ad vitae exitum, in comperto apud omnes est. Si de priore sermo sit, dicitur imperfecta ac improprie talis; si de altera, ea vocatur perfecta et cui proprie perseverantiae denominatio competit; de hac autem potissimum quaestio hic agitatur.

196. 2. Haec perseverantia proprie dicta sub duplici iterum respectu spectari potest; quatenus scilicet fidelem denotat ad singulares gratias actuales cooperationem, et quatenus in hac ipsa actuali cooperatione homo ex hac vita decedit; prior dicitur perseverantia activa, posterior perseverantia passiva; utriusque conjunctio constituit speciale illud donum, quod ratione beneficii singularis nuncupatur perseverantia finalis.

197. 3. Prout perseverantia passiva est, eam speciale Dei munus esse non diffitebantur semipelagiani; id enim in omnium oculos incurrit, sive spectetur in infantibus recens baptizatis, sive spectetur in adultis, qui moriuntur statim post acceptam justificationem. Quod enim antea non fuerint ex hac vita educti, et quod decesserint, postquam cum Deo amicitia juncti sunt, ex sola divina misericordia ac speciali providentia pendet, juxta illud quod legitur Sapientiae IV, 11: *Raptus est, ne malitia muta-*

(1) Hoc declarari solet exemplo eorum, qui sagittas ad scopum emittunt, qui solent eas altius dirigere, ut optatum punctum attingant. Alioquin, nisi sic eniteremur, longe plura venialia patraremus. Itaque majus proponimus, ut minus saltem efficiamus.

ret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.....placita enim erat Deo anima illius.

198. 4. Controversia igitur tota volvitur circa perseverantiam activam, quam, cohaerenter ad suum systema in ordine ad gratiam actualem, semipelagiani inficiabantur peculiare Dei munus esse. Siquidem, cum gratia actualis eadem quoad substantiam sit ac illa, qua tum opus salutare inchoatur et perficitur, tum in coepta semel justitia aliquis susceptum iter persequitur et finem attingit, applicabant semipelagiani perseverantiae activae theoriam, prius ab ipsis admissam in oeconomia gratiae actualis. Hinc, cum ex ipsorum principio homo possit propriis viribus obtinere initium fidei ac salutis, seu saltem primas partes habere in negotio salutis, inferebant, has etiam partes habere liberum arbitrium ad perseverandum in eadem fide ac salute; per illud enim quidlibet absolvitur, per quod coeptum est (1).

199. 5. Priusquam veritatem catholicam vindicemus, illud demum animadvertimus, *magnum* istud *perseverantiae donum*, ut synodus Tridentina ipsum appellat, duo complecti, gratiam scilicet interiorem, de qua diximus, et exteriorem: interiorem quidem, per quam homo justus vel a peccatis retrahitur, vel ab iis, si rursum lapsus fuerit, certo resipiscit, ac tandem in accepta justitia perseverat; exteriorem vero, per quam ab homine justo (Deo protegente) occasionem peccandi, tentationes aliaque salutis obstacula removentur, ac denique innumeris prope hujus vitae periculis subductus justus ex hac vita rapitur eo tempore, quo diffusam habet charitatem in corde suo.

200. Jam vero perseverantiam activam ex speciali Dei auxilio, non autem ex propriis viribus, ut autumabant semipelagiani, repetendam esse, sic cum B. Augustino ex sacris Litteris evincimus. Philipp. 1, 29. dicitur: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Super quae verba animadvertit s. Augustinus: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen donum Dei est*. Allegat deinde s. Doctor verba Jeremiae, XXXII, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. Quod quid est aliud*, pergit s. Augustinus, *quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant?* Addidit verba Ps. LXXIX, 18: *Fiat manus tua super virum dexterae tuae et super filium hominis, quem confirmasti tibi, et non discedimus a te. Manus igitur Dei est ista*, inquit Augustinus, *non nostra, ut non discedamus a Deo*. Huc et illa spectant, quae Philipp. 1, 6. leguntur: *Qui coepit in vobis bonum, perficiet*

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. 1, sect. v, § xxi. ubi ostendit, semipelagianos ideo sibi, seu proprii arbitrii viribus, fidei initium, atque in ea perseverantiam vindicasse, quia putabant, se sufficienter per istam fidem, propriis meritis sibi comparatam, evitare absolutam a Dei gratia dependentiam in salutis negotio, promerendo scilicet et impetrando per eam omnia, quae ad salutem necessaria sunt, ipsamque in bonis operibus usque in finem perseverantiam. Atque hoc pacto sibi videbantur aliqua ratione a se ipsis pendere, et non a gratia, cum etiam eam ipsam gratiam, quam admittebant ut necessariam ad opera salutaria, sibi ac suis meritis vindicarent contra ecclesiae doctrinam, quam propugnabat s. Augustinus.

usque in diem Christi Jesu ; ac I. Petri I, 5: *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem .*

201. Eandem veritatem ostendit s. Doctor ex universa oratione Dominica, praesertim ex illis postremis verbis : *Et ne nos inferas in tentationem ; sed libera nos a malo . Sancti quid aliud,* inquit, *quam ut in sanctitate perseverent, precantur?* Probat insuper ex publicis ecclesiae precibus, quae *orat,* ait ipse, *ut credentes perseverent. Deus ergo donat perseverantiam usque in finem* (1) .

202. Quapropter Concilium Arausic. II, can. IX: *Divini,* inquit, *est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus . Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur ;* et can. X : *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare* (2) .

203. Demum s. Coelestinus Pontifex definit : *Neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit* (3) .

DIFFICULTATES

204. Obj. 1. Nisi in homine justo constitutum esset perseverare, frustra ipse laboraret ad perseverandum . 2. Si enim perseverantia donum Dei est, supervacanea plane erit quaevis hominis sollicitudo ; nam, si Deus illud largitur, justus profecto perseverat ; quod si illud Deus non largiatur, quavis adhibita diligentia labitur ac ruinam sibi parat . 3. Hinc inutilis fit omnis adhortatio aut

(1) Cfr. lib. *De dono persev.* a cap. 2. ad 7.

(2) *Act. Conc.* apud Hard. loc. cit.

(3) *Epist. ad Galliar. episcopos,* cap. 6 ; extat vero haec epistola in *appendicis primae* parte II, ad calcem opp. s. Augustini contra pelagianos, tom. X edit. Maurin . Ex citatis verbis s. Coelestini liquet gratiam, quae post acceptam justificationem requiritur ad perseverandum, esse gratiam actualem, illam nempe ipsam, quae necessaria est tum ad superandas tentationes, tum ad vincendas carnis concupiscentias, nihilque per se addere peculiare ad activam perseverantiam. Ex quibus intelligimus *primo,* non alio sensu tum ab antiquis patribus, qui pugnarunt adversus semipelagianos, tum a concilio Tridentino, quod receptum apud veteres loquendi usum usurpavit, gratiam ad perseverandum necessariam vocari *speciale Dei auxilium,* quam ut significaretur auxilium *distinctum* a gratia justificante, seu, ut dicunt, habituali . Gratia enim sanctificans constituit quidem hominem justificatum, Deo acceptum et carum, ac reparat statum supernaturalem amissum per peccatum Adae, sed non ordinatur ad reparandas vires amissas per idem peccatum ; ad has enim reparandas requiritur auxilium actuale, et quidem juge ; alioquin non potest homo consistere in accepta justificatione ob insitam sibi infirmitatem . Intelligimus *secundo,* supervacaneam prorsus esse quaestionem, quae passim a theologis instituitur, num praeter gratiam sanctificantem ad bene operandum necessaria praeterea sit gratia actualis ; nam ut ex dictis patet, quaestio haec non ad scholasticas quaestiones pertinet, sed est fidei dogma ab ecclesia definitum . Et haec ratio est, quare nos quaestionem hanc praetermisimus. Ex eo quod haec de perseverantia controversia non satis fuit explanata, molestissima orta est in scientia theologica perturbatio. Cfr. Vasq. in 1, 2. s. Thom. tom. II, disp. 197, cap. 2, et disp. 217, cap. 5, num. 42.

correptio ne homo vel in praesumptionem vel in desperationem incidat, 4. maxime quod ejusmodi donum justus mereri non possit. 5. Praeterea et illud intelligi nequit, quomodo justus, qui ad gloriam jus habet, non habeat pariter ad perseverantiam, eamque non teneat in sua potestate, 6. praesertim cum Apostolus, Rom. V. aperte doceat, multo magis Christum nobis profuisse, quam nocuerit Adam, qui tamen, Augustino ipso teste, habuit in sua potestate *posse perseverare* absque speciali aliquo subsidio. 7. Quaquaversum igitur spectetur doctrina ista de gratuita perseverantia, patet ipsam consistere non posse cum spe christiana; ex illa profluere omnia consectaria, quae urgentur adversus praedestinationem absolutam, illamque fatalismum inducere; quibus permoti Adrumetini monachi eam merito respuerunt. Ergo.

205. Resp. ad 1. *D.* Si suis solum viribus niteretur, *C.* si cum Dei gratia, quae nemini denegatur, *N.* In hypothesi semipelagianorum, qui ab humana tantum industria repetebant perseverantiam in fide, procul dubio perperam laboraret homo justus ad eam sibi comparandam; ast in doctrina catholica nullam amplius vim habet proposita difficultas. Ex hac enim doctrina nonnisi gratia instructus potest eam perseverantiam obtinere per attentam ac fidelem cooperationem gratiae actuali, quae pro tempore ac loco, ut inferius ostendemus, nemini deest, praesertim justo.

206. Ad 2. *D.* Prout perseverantia passiva est, juxta dicta, *C.* prout est activa *N.* Nam perseverantia, quatenus est activa, non differt a quavis gratia actuali; cui si justus assentiatur, illam comitatur, ac subsequitur perseverantia passiva. Quod si huic gratiae justus resistat ac labatur, sibi soli imputare debebit ruinam, quae inde proveniet; numquam enim nisi culpabiliter perseverantia amittitur.

207. Ad 3. *N.* ut ex modo dictis constat. Homo enim sub gratia, ut inferius ostendemus, semper liber est. Quapropter cum ejus sit gratiae resistere aut obtemperare, merito fiunt correptiones et adhortationes, *ne in vacuum gratiam Dei recipiat*, ut loquitur Apostolus, II. Cor. VI, 1; et ut semper vigilet, ne alius accipiat coronam suam. Ideoque nullum est periculum aut in praesumptionem aut in desperationem proruendi; sed cum timore ac tremore salutem suam quisque operari debet.

208. Ad 4. *D.* Merito proprie dicto seu, ut vocant, *de condigno*, *C.* merito improprie dicto, seu de *congruo N.* Eadem nempe ratione ac nemo potest mereri gratiam ulteriorem actualem efficacem *merito proprie dicto*, potest tamen per fidelitatem praestitam praecedentibus gratiis et per orationem eam impetrare; donum perseverantiae *suppliciter emereri potest*, ut loquitur s. Augustinus (1).

209. Ad 5. *D.* Si jus istud haberet etiam in futurum, *C.* si habeat tantum actu atque de praesenti *N.* Utique, quamdiu homo in statu gratiae perseverat, jus habet ad gloriam; ast jus non habet ad gratias ulteriores efficaces, ex quibus pendet perseverantia, et propterea gloria. Etenim *qui perseveraverit usque in finem*, ait Christus, *hic salvus erit*, Matth. X, 22. Nemo insuper sibi polliceri potest fidelem cooperationem ad ejusmodi gratias.

210. Ad 6. *D.* Obtinendo scilicet nobis uberiores gratias iis, quibus instructus fuit Adam, *C.* aliter *N.* Non ex uno capite, sed ex pluribus Christus magis nobis profuit, quam Adam nocuerit; nempe 1. quia positive indignis

(1) Lib. *De don. persev.* c. 6, n. 10.

gratias promeruit, quibus non ab uno tantum, sed ab innumeris prope peccatis liberaremur; 2. quia gratias longe uberiores nobis promeruit, quibus fit ut non solum possimus perseverare, quod Adae praestitum fuit, sed actu plures reipsa perseverent in accepta justitia; 3. quia praeter gratiam illustrationis, qua sola ex plurium sententia ob naturae integritatem indigebat Adam, obtinuit nobis gratiam inspirationis ac roboris, qua ea fulciretur infirmitas voluntatis humanae, quam incurrimus ob originariam culpam, prout late prosequitur s. Augustinus (1). Si una cum gratia sanctificante consequerentur homines ipsam actualem perseverantiam, jam nullus justus a semel accepta justitia excideret, cum tamen luctuosa experientia contrarium ostendat.

211. Ad 7. *Neg.* Omnes enumeratas sequelas, quae solum oriuntur ex praepostera doni perseverantiae notione, ut ex dictis facile colligi potest. Si enim perseverantia activa, de qua unice est controversia, non aliud denotat quam ulteriorem gratiae actualis collationem, jam intelligitur, eas solas urgeri posse sequelas adversus perseverantiae sic expositae doctrinam, quae adversus oeconomiam gratiae actualis ejusque necessitatem possent opponi. Haec certe nihil commune habent aut cum praedestinatione absoluta aut cum fatalismo, neque opponuntur spei christianae, maxime quod Deus neminem gratia sua deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur, ut loquitur s. Augustinus (2), cujus verba usurpavit Tridentinum (3).

CAPUT III.

DE GRATUITATE GRATIAE

212. A catholicae veritatis via circa gratuitatem gratiae digressi sunt pelagiani ac semipelagiani, at diversa ratione pro diversis, quibus movebantur, causis. Quandoquidem vero ex accurata expositione utriusque illorum systematis pendet germana orthodoxae doctrinae notio, quae eorundem erroribus opponitur, juverit sedulo expendere, quid circa hunc articulum illi senserint, et quae vera ac genuina fuerit ipsorum mens.

213. Pelagiani ex potissimo suae doctrinae capite, quod, spectata hominis naturali conditione, ei non sit absolute necessarium gratiae auxilium ad bene ac salutariter operandum, sed solum ad operandum *facilius*, et quidem per solam gratiam illustrationis, intulerunt posse hominem suis viribus divinam opem promereri. Quo posito, docuerunt Deum pro meritis gratias suas homini elargiri. Dumque ita videbantur gratiam adstruere, eam funditus diruebant (4).

(1) Lib. *De corrept. et grat. cap.* 12.

(2) Lib. *De natura et grat.* cap. 26, n. 29.

(3) Sess. VI, cap. 11.

(4) Cfr. Tricass. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. 1, sect. V, § 1, ubi ostendit, pelagianos statuisse merita gratiam praecedentia, et gratiam Dei illis subsequentem fecisse, non vero praevenientem opera seu merita nostra. Sic enim apud s. Augustinum, lib. *De gest. Pelag.* cap. 14, ait Coelestius pelagianus: *Dei gratia secundum merita nostra datur; quia, si peccatoribus Deus illam det, videtur esse iniquus*. Ex quibus verbis Coelestius sic infert, ut ait s. Augustinus: *Propterea et ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus*. Quare Deus in istorum hypothesi voluntatem jam naturaliter bonam, et inchoantem negotium salutis, gratia sua super-

Diversas tamen immutationes haec ipsorum doctrina subiit; Julianus enim eo devenit, ut, compulsus s. Augustini argumentis, admitteret Deum expectare nostros tantum conatus, voluntatem nostram, desiderium salutis ac ceterorum operum, ut tribueret gratiam suam; prout postea semipelagiani, ut mox videbimus, professi sunt quoad initium salutis, quamvis cum aliquo temperamento (1). Ceterum hic pelagianorum error prodiit ex ipsorum systemate, juxta quod docebant primum hominem neque ornatum fuisse peculiari dono integritatis, nec elevatum ad statum supernaturalem, ac proinde viribus per se ac natura sua instructum esse ad sibi comparandam salutem idoneis.

214. Semipelagiani attenuatas quidem vires liberi arbitrii per peccatum admittebant; attamen nimium etiam huic tribuerunt circa fidei initium et perseverantiam, ut vidimus; atque in hoc eorum plerique fere conveniebant cum pelagianis, etsi in ceteris ab iis dissentirent, praesertim circa necessitatem gratiae ad augmentum fidei et ad opera fidem subsequentia.

215. Dixi *eorum plerique* fere conveniebant cum pelagianis, siquidem nec eosdem errores admiserunt, nec eadem ratione progressi sunt omnes semipelagiani. Quod ut planius fiat, notandum est: 1. Ex nonnullorum sententia fidei initium ita ex nobis procedere, ut tamen non putarent necessarium esse, ut istud *semper* praecederet divinam gratiam, sed quandoque etiam ipsam divinam gratiam tali initio priorem esse, ut patet ex Cassiano, qui docet quidem Zachaeum prius pulsasse et postulasse quam ei gratia daretur ut pulsaret, et ita per suam sedulitatem Christum praevenisse; at docet simul Matthaeum et Paulum aliosque Apostolos praeventos fuisse a gratia Dei; et praeterea scribit: *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adjuvat, protegit ac defendit, ut* NONNUMQUAM ETIAM *ab eo quosdam cona-*

veniente tantum adjuvat, sive ad perficiendum illud initium salutis, sive ad perficienda opera cetera salutaria singula, quae semper incipiunt ab homine, independenter a Dei gratia.

(1) In hoc enim differt error Juliani pelagiani a semipelagianorum errore, quod ille tribuerit constanter primas partes libero hominis arbitrio in operibus omnibus salutaribus, sive ante sive post acceptam fidem, ita ut Deus gratia sua succurreret homini jam volenti, incipienti, inchoanti; semipelagiani vero docuerint, hominem praevenire tantummodo Dei gratiam ad initium fidei ac salutis, minime autem quoad opera fidei initium subsequentia ac salutaria, circa quae conveniebant cum catholicis, docentes haec praeveniri a Dei gratia. Cfr. Tricass. op. cit. § 19. Ex permixtione errorum pelagianorum cum erroribus semipelagianorum factum est, ut jansenistae inferrent, semipelagianos etiam quoad opera, quae fidem subsequuntur, idem sensisse cum pelagianis (cum tamen constet, ipsos admisisse necessitatem gratiae praevenientis ad opera bona) ideoque concludunt, in hoc tantum fuisse haereticos, quod nollent admittere cum pelagianis gratiam, quae necessitatem voluntati inferat. In quo tamen decepti sunt, cum, teste s. Augustino, semipelagiani longe distarent ab erroribus pelagianorum quoad opera fidei initium subsequentia. En ejus verba ex lib. *De praedest. SS.* cap. 2: *Pervenerunt* (Massilienses) *etiam, ut* PRAEVENIRI *voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemque sufficere posse consentiant.* Ergo quoad ista opera non reprehenduntur semipelagiani a s. Augustino, imo catholice sentire declarantur.

tus bonae voluntatis vel exigat vel expectet (1). Ergo non *semper*, sed *nonnumquam* gratia ex istorum sententia exigit et expectat quosdam bonae voluntatis conatus (2).

216. 2. Alii fatebantur bona opera esse ex gratia; verum animadvertendum est ipsos inter bona opera neque fidei initium, neque orationem, neque voluntatem, qua quis sanari desiderat, adnumerasse. Hinc ejusmodi *initio ex nobis*, orationi, etc. adjiciebant gratiam, seu docebant tribui a Deo gratiam, quam etiam necessariam admittebant ad initia operum fidem subsequentium, et non solum ad ea perficienda, verum etiam ad ea inchoanda, dummodo tamen voluntas nostra aut oratio praecessisset. Hi comparabant gratiam publico fonti, ex quo, qui vellet, posset aquam haurire; vel soli, qui omnes illuminat, dummodo ipsi oculos aperiant; vel medico liberalissimo qui omnes prius volentes curare paratus est (3).

217. 3. Sedulo animadvertendum est hos semipelagianos numquam dixisse istud initium, quod ex nobis est, et cui gratiam subnectebant, esse meritorium *de condigno*, ita ut illi merito proprie dicto gratia a Deo redderetur tamquam debita, quia sic destruxissent gratiae notionem. Sed neque in eo errabant, quod dicerent gratiam Dei certissime nobis incipientibus esse promissam. In hoc enim nullus est error, quod enim ex gratuita promissione datur, gratuitum semper censendum est, cum promittatur et detur ex mera liberalitate. Error igitur illorum in eo consistebat, quod dicerent, aliquid dari ratione meriti praecedentis, etsi exiguum illud sit, quia semper retribueretur (4).

218. 4. Cum semipelagiani nullum meritum proprie dictum agnoverint in illo initio bonae voluntatis, in illis conatibus, desideriis, etc. sed solum improprie dictum atque, ut nos vocamus, *de congruo*, censebant per istud non tolli notionem gratiae gratuitae. Hinc est quod non dubitaverint appellare *gratis vocatos*, quos Deus gratia sua vocat, etiamsi illi sua industria initium praebuerint. Sic enim loquitur Cassianus: *Eam* (gratiam) *sub colore cujusdam*

(1) *Collat.* XIII, cap. 13; tum ibid. cap. 15.

(2) Cfr. Vasquez in 1 part. s. Thom. disp. LXXXIX, cap. 5, n. 28.

(3) Cfr. Vasq. ibid. n. 29, 30. Sane s. Hilarius scribens ad s. Augustinum speciatim de his semipelagianis, qui scilicet minus errabant, ita exponit istorum sententiam: « Ceterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari. Quod enim dicitur: *crede et salvus eris*, unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturae id voluntate conditoris concessum est; et nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari ». (Inter opp. s. Aug. ante lib. *De praedest. SS.*)

(4) Cfr. Vasq. ibid. n. 32. Hinc Cassianus, *De instit. coenobior.* lib. XII, cap. 14 scribit: « Dicimus enim, secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, et aperiri pulsantibus, et a quaerentibus inveniri; sed petitionem, et inquisitionem, et pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud quod quaerimus fecerit inveniri. Praesto est namque, occasione sibi tantummodo a nobis bonae voluntatis oblata, ad haec omnia conferenda ». Cfr. in hunc loc. nota Alardi Gazaei, edit. cit.

desiderii ac laboris impartit (Deus) *et nihilominus gratia Dei semper gratuita perseverat, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inaestimabili tribuit largitate* (1). Ubi patet gratiam vocari ab ipsis *gratuitam*, etsi intuitu atque occasione nostri laboris concedatur, eo quod labor minimus sit et non condignus.

219. Ex his intelligitur, errorem fuisse communem pelagianis ac semipelagianis, gratiam juxta merita dari, quae ex libero hominis arbitrio oriantur. Magnum tamen in hujus erroris professione patet inter utrosque discrimen intercessisse: quod scilicet pelagiani contenderent, opera liberi arbitrii meritum constituere proprie dictum, seu *de condigno*; semipelagiani autem tantum *de congruo* merita illa esse autumarent. Quod illi merita exigerent ad habendam gratiam qua *facilius* ac *melius* operarenter homines ea instructi; isti admitterent gratiam ex meritis de congruo profluentem tamquam *necessariam* ad bene operandum. Quod juxta illos semper gratia secundum merita retribueretur; juxta istos non semper, sed, in hypothesi quod adessent, Deus his moveretur ad gratiam conferendam. Quod demum illi in quibusvis operibus sive ante, sive post acceptam fidem censuerint praecedere bonam hominis voluntatem, cui subsequeretur gratia; isti bonam voluntatem existimaverint solum praecedere initium fidei ac salutis. Ex his autem meritis gratiam praecedentibus tam pelagiani quam semipelagiani eruebant, electionem et praedestinationem ad gratiam et ad gloriam non ex solo Dei beneplacito pendere, sed ex his ipsis meritis naturalibus aut existentibus, aut saltem praevisis; ac hominem propria industria ac labore se discernere a *perditionis massa*, juxta pelagianos, aut saltem *posse* se discernere, juxta semipelagianos. Ad hos errores convellendos totus incubuit s. Augustinus, adstruendo adversus utrosque gratuitam praedestinationem ad gratiam, ac propterea ad gloriam; cum juxta catholicam doctrinam nulla opera naturalia possint habere rationem meriti, quo Deus quacumque ratione permoveatur ad gratiam suam conferendam (2).

220. Licet porro haec catholica doctrina affinis omnino sit ei, quam capite praecedenti declaravimus de necessitate gratiae ad quodvis opus supernaturale incipiendum ac perficiendum, cum eadem tamen permisceri non debet. Fieri enim absolute seu in alia providentia posset ut necessaria esset gratia ad opus salutare incipiendum ac perficiendum, nec tamen gratuita sit haec ipsa gratia, qua opus supernaturale incipitur ac perficitur.

PROPOSITIO.

Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo

221. Haec propositio pertinet ad fi-

(1) *Collat.* XIII, cap. 13.

(2) Ex his lux dimanat ad dignoscendam controversiam de praedestinatione, quae viguit inter pelagianos ac semipelagianos et s. Augustinum; nempe certum inde fit, actum esse de praedestinatione *adaequata*, ut vocant, ad gratiam scilicet et ad gloriam. Praedestinationem namque ad gratiam juxta doctrinam catholicam adstruxit s. Augustinus plane gratuitam, dum pelagiani et semipelagiani ex principio haeretico contendebant, homines posse propriis meritis naturalibus eam sibi comparare, ac se a non praedestinatis discernere.

dem, quae declarata est in synodo Diospolitana, in qua Pelagius compulsus est confiteri, *Gratiam Dei ... non dari secundum merita nostra* (1); et iterum in synodo Arausicana II, cap. VI. his verbis: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, etc. et aut humilitati aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium ... resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? et: Gratia Dei sum id quod sum* (2); et apertius etiam cap. XVIII: *Nullis meritis gratiam praevenientibus, debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant* (3).

222. Diximus autem: 1. *opera ordinis naturalis;* hoc enim solum definitum est; opera siquidem ordinis supernaturalis, sive a justo sive a peccatore eliciantur, possunt de congruo gratiam actualem mereri, vel ad obtinendam conversionem, vel ad perseverandum in bono. 2. Diximus *opera ordinis naturalis*, seu moralis honestatis, *neque de condigno neque de congruo* posse gratiam mereri, ad excludendam quamlibet positivam dispositionem, quae se teneat ex parte nostra, et vim habeat movendi Deum ad primam gratiam nobis conferendam; et ut praecludatur omnis aditus ad quemvis conatum, desiderium, etc., ita ut praeveniatur Dei electio.

223. Porro sensu thesis constituto, ita ejusdem veritatem adstruimus. Si aliquod desiderium, aliquis conatus, aliqua actio naturalis ordinis vim meriti sive proprie sive improprie dicti apud Deum prae se ferret, ita ut eum determinaret, aut positive moveret ad gratiam suam illorum intuitu conferendam hominibus, jam homines hoc ipso sibi primas vindicarent in negotio salutis, Deus eis gratiam concedendo retribueret, homines propriis viribus se discernerent, atque ab ipsis penderet propria electio ad fidei vocationem et ad gloriam, ac destrueretur ipsa gratiae idea. Atqui haec hypothesis aperte adversatur Scripturis ac sensui traditionali, imo prorsus destruit gratiae ideam.

224. Sane Scripturae docent Deum priorem esse ad nos diligendum, ut I. Joan. IV, 19: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam, Deus* PRIOR *dilexit nos;* et, Rom. XI, 35, Paulus absolute interrogat: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Quin potius. Is. LXV, 1. dicitur: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui iis qui me non interrogabant;* tum, I. Cor. IV, 7: *Quis te discernit?* scribit Apostolus, *quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* et Rom. IX, 16. concludit: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Dixi *concludit*, siquidem gratuita vocatio ad gratiam est argumentum totius partis dogmaticae epistolae ad Romanos.

225. Neque alius unquam fuit Ecclesiae sensus, ut patet ex ejus agendi ratione adversus novitates pelagianorum ac semipelagianorum; vix enim ecclesia eas persensit, dum statim exhorruit atque damnavit in tot conciliis, quae per id tempus celebrata fuerunt, et quorum canones paulo ante recensuimus. Quare s. Augustinus sic perstringebat gratiae adversarios: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt; sed be-*

(1) Cap. 7.
(2) Cap. 6.
(3) Apud Harduin. *Acta Concil.* loc. cit.

neficia Dei te praevenerunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat (1). Et alibi : *Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tum praecessit, ut acciperes. Nam, si aliqua bona opera tua praecesserunt, pretium accepisti, non gratis ; pretium autem, quod nobis debetur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est* (2). Et alibi passim, praesertim in lib. *De praedestinat. Sanctorum* et *De dono perseverantiae*, in quibus ex professo hanc doctrinam de gratuita electione ac praedestinatione ad gratiam tuetur (3).

226. Ex allatis autem s. Augustini verbis et illud constat, quod diximus, scilicet in adversariorum sententia destrui ipsam gratiae ideam, quae omnem respuit meriti cujuscumque praecedentis rationem, nec cum eo componi potest; si enim est gratia, non est ex merito; alioquin non gratia, sed merces esset, ut ipse Apostolus, Rom. IV. adstruit. Addi praeterea debet principium meriti non posse cadere sub meritum, sed necessario ad illud praerequiri. Principium enim meriti est ipsa gratia actualis ad opus salutare efficiendum; ergo notio meriti jam gratiam praerequirit, ut patet ex iis, quae de necessitate gratiae ad actus salutares ostendimus. Denique absurdum est asserere opere ordinis naturalis quempiam posse mereri id, quod est ordinis supernaturalis, cujusmodi est gratia (4).

227. Sive igitur Scripturas, sive sensum ecclesiae traditionalem, sive denique ipsum gratiae conceptum spectemus, patet sub nullo respectu opera naturalis ordinis posse mereri gratiam; sed eam esse omnino gratuitam, prout propositum nobis erat ostendere.

DIFFICULTATES

228. I. Obj. 1. Gratiae distributio non ex beneplacito, sed juxta sapientiae leges fieri debet, quae postulant, ut magis dispositis ea conferant; alioquin arbitraria prorsus esset ac sine consilio, quod de Deo nemo suspicari potest. 2. Sane Angelis, docente s. Thoma (5), major minorve gratia collata est pro majori minorive praestantia uniuscujusque naturae. 3. Dato propterea quod electio a Deo pendeat, attamen inficiatur nemo, electionem supponere majorem dignitatem in eo, qui eligitur. 4. Nec tamen inde fit, ut gratiae idea destruatur; quamvis enim gratia ob merita solo arbitrio parta conferretur, cum haec merita homo sibi comparare nequeat nisi ex dono gratuito sibi in creatione concesso, patet gratiam semper gratuito dari; cum merita illa semper proveniant ex dono, quod ex mera liberalitate concessum est; prout non desinit gratia esse quae conceditur aut peccatori aut justo, etsi hi operibus suis seu cooperatione ad anteriores gratias saltem de congruo sibi eam meruerint, juxta illud Augustini dictum : *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat ; neque enim nullum est fidei meritum* (6). 5. Nec praeterea obest, quod obtruditur de principio meriti, quod non cadit sub meritum; fieri enim potest, ut Deus ex praevisione boni usus ipsius gratiae

(1) *Enarr.* II *in Ps.* XXX, n. 6.
(2) *Enarr.* II *in Ps.* LXX, n. 1.
(3) Cfr. Tricassinus, *De praedestinat. ad gloriam*, part. I, sect. I et seqq.; et Vasquez l. c. disput. LXXXIX, c. 6 et seqq.
(4) Cfr. s. Th. I, 2, q. 109, a. 5.
(5) P. I, q. 62, a. 6.
(6) *Ep.* CXCIV, n. 9.

eam dare decernat tamquam praemium ejusmodi meriti praevisi. Ergo.

229. Resp. ad 1. *D.* Si gratiae distributio ex debito aliquo fieret, *C.* si ex nullo debito *N.* Negamus praeterea, si ex divino beneplacito fiat gratiae largitio, illam propterea non juxta sapientiae leges fieri aut sine consilio; etsi enim nobis perspecta non sint inscrutabilia Dei judicia, quibus uni gratias suas prae altero concedat, et ita etiam concedat, ut in altero effectum sortiantur, in altero non item, prout inferius videbimus, non inde tamen concludi debet, improvide Deum ita se gerere aut sine consilio, etiam si illud nos lateat. Difficultas praeterea supponit id, quod in quaestione est positum, dum in ea *magis dispositis* gratia conferenda esse dicitur. Nam, si opera moralis honestatis nullum prorsus meritum includunt nullamque positivam dispositionem, hoc ipso patet dari non posse ante omnem gratiam, comparativam dispositionem in sensu exposito.

230. Ad 2. *D.* Sed immediate a Deo ordinante ipsam Angelorum naturam ad gratiam, *C.* per naturae merita, quae nulla esse poterant *N.* Talis porro est mens angelici Doctoris.

231. Ad 3. *D.* Electio supponit majorem dignitatem in electo, quando illa est remuneratoria, seu ad mercedem, *C.* si sit gratuita, ut in casu nostro, *N.*

232. Ad 4. *N.* Ad prob. vero, *D.* Si opera, quae ex vi naturae, quam quilibet in creatione sit sortitus, eliciuntur, rationem meriti habere possent, *C.* si habere nequeant *N.* Hic igitur rursum assumitur ab adversariis, quod falsum omnino est, opera scilicet naturalia posse meriti rationem prae se ferre; alioquin enim homo viribus naturae mereri posset gratiam, per gratiam justificationem, per justificationem demum vitam aeternam, ac propterea primus totius progressionis motus esset ab operibus naturalibus, quod admitti nequit, juxta dicta in probationibus. Hoc etiam vel ex eo capite pugnat, quod opera pure naturalia possent mereri id, quod spectat ad ordinem supernaturalem, cujusmodi gratia est. Atque hinc etiam patet disparitas in adducta comparatione justi, aut etiam peccatoris, qui ideo possunt de congruo mereri gratias ulteriores, quia primam gratiam, quae ejusdem ordinis est, gratuito consecuti sunt, ideoque progressio incipit ex gratia supernaturali omnino gratuita.

233. Ad 5. *N.* Ad prob. *D.* Si ageretur de possibilitate absoluta, seu in alia providentia, *Tr.* si agatur de praesenti rerum ordine, de quo nobis constat ex divina revelatione *N.* Scribit enim Apostolus, Deum nos elegisse, *ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus*, non autem quia praevidit, nos tales futuros.

234. II. Obj. Catholica doctrina de dispensatione gratiae ex solo divino beneplacito, nulla habita ratione praecedentium operum, nos deducit in absurda virtuti perniciosa. Etenim 1. homini idem esset sive in omni vitiorum coeno volutaretur, sive integrum se ab omni inquinamento servaret; cum tamen experimento compertum sit, homines corruptissimos longe remotiores esse a fide illis, qui honestam ac morigeratam vitam vivunt. 2. Nullum discrimen intercederet inter eos, qui ex destinata malitia delinquunt, et eos, qui ex ignorantia aut infirmitate peccant; cum tamen Apostolus de se profiteatur: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*. 3. Atque hinc est quod s. Thomas passim doceat, eum, qui in sylvis sit enutritus et omnia legis naturalis praecepta servet, a Deo minime derelinquendum, sed aut per evangelicum operarium, aut per Angelum etiam, aut per internam revelationem edocendum esse necessaria

ad credendum (1). 4. Demum receptum est celebre axioma in scholis catholicis per tercentum continenter annos : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Quod quidem effatum cum potissimum infideles negativos respiciat, de eo necessario exponi debet, qui facit quod in se est ex naturae viribus, seu etiam, si lubet, ex viribus naturae per gratiam medicinalem ad difficiliora et ardua praestanda adjutis ; quae quidem gratia etsi per Christum detur, non elevat tamen actiones ad ordinem supernaturalem ; nulla enim ante fidei vocationem datur gratia supernaturalis stricte sumpta ; alioquin nullum unquam opus mere naturale saltem difficilius daretur, atque actiones infidelium supernaturales essent, quod nemo dicet. 5. Hoc reipsa sensu veteres fere omnes intellexerunt istud axioma, imo et ex recentioribus ii pariter idem axioma accipiunt, qui divinam providentiam defendunt contra incredulorum criminationes, asserentium eandem providentiam erga infideles justitiae leges non servare. Aut igitur semipelagianismi incusandi sunt omnes antiqui illi scholastici ac recentiores theologi, aut fatendum est ab omni erroris suspicione immunem esse ejusmodi interpretationem ; ideoque posse hominem actibus moralis honestatis sibi Deum conciliare, ut gratiam naturalia opera praestanti largiatur. Ergo.

235. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *N.* Quia, etsi Deus gravi peccatorum sarcina onusto possit gratiam conferre, et quandoque etiam conferat ad divitias bonitatis suae patefaciendas, juxta consuetum tamen suae providentiae ordinem iis ut plurimum confert, qui minora obstacula eidem gratiae opponunt. Atque hinc ratio habetur, quare illi, qui ad honestatis normam mores suos componunt, minus alienos se exhibeant ab amplectenda evangelica doctrina. Qui vero cupiditatibus obsequuntur, maxime eandem doctrinam aversantur, cum eis annunciatur, aut eam amittunt, si jam receperunt, aut saltem ita languescit ejus vis in sceleratis quibusque hominibus, ut nulla pene in eis esse videatur ; quod superiori seculo ac aetate nostra in non paucis factum esse lugemus.

236. Ad 2. *Neg.* pariter, ut ex modo dictis constat ; qui enim ex infirmitate atque ex ignorantia delinquunt, minora impedimenta divinae gratiae opponunt, quam ii, qui ex malitia in peccata proruunt ; quo sensu aiebat Apostolus se misericordiam a Deo consecutum esse, minime vero se ob ignorantiam dignum exhibuisse ea misericordia, quam ei Deus ex sola liberalitate sua tribuit quamque potuisset denegare.

237. Ad 3. *D.* Quatenus hic *positivam* prae se ferat dispositionem, qua Deus moveatur ad ei per fidem succurrendum, *N.* quatenus removet impedimentum per fidelitatem ad anteriores gratias, quas jam Deus ei contulerat *C.* Talem mentem esse s. Doctoris non dubito, quaeque ex universa ejus theo-

(1) *Q.* XIV *de Verit.* art. XI, ad 1. En ejus verba : « Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis, taliter (in sylvis) nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». Opp. tom. VIII, part. II, edit. Rom. 1570.

ria aperta sit. Ipse enim pro certo habet, Deum omnibus semper praesto esse auxilio suo tum ordinis naturalis tum ordinis supernaturalis, utpote fontem totius bonitatis, qui copias suas in omnes effundit (1). Quare, si quis primis gratiis se fidelem exhibeat, *removens prohibens*, ut ipse loquitur, seu tollens impedimentum ulteriorum subsidiorum, sponte sua Deus haec ipsa concedit per media sive interna, sive externa, quandoque etiam extraordinaria, ut eum lucrifaciat. Deus enim homines condidit ad salutem, non ut eos perdat; cum non laetetur in perditione vivorum (2), ac vita sit in voluntate ejus (3).

238. Ad 4. *Conc.* axioma in sensu exponendo, et *neg. cons.* Aliud enim est dicere: Facienti quod in se est, Deus *non denegat* gratiam, aliud vero: Facienti quod in se est, Deus *dat* gratiam. Haec duo permisceri nequeunt, cum valde inter se distent. Si enim opera naturalia cujuscumque meriti vim in se includerent, Deus gratiam omnino concederet, ac propterea aliter effatum illud enunciaretur, ita ut talis foret ejus vis ac significatio: *Facienti quod in se est, Deus* dat *gratiam;* et sic sensum semipelagianum includere posset. Cum vero dicitur, Deus *non denegat* gratiam, hoc ipso innuitur non ex debito aliquo, aut merito, quod supponatur in eo, qui facit quod in se est, aut ex aliqua positiva dispositione, Deum moveri ad conferendam gratiam; sed ex solo suo motu, ut ita dicam, ac liberali sua largitate, prout mentem exposuimus Angelici praeceptoris. Neque id statim quidem, sed quandocumque ei visum fuerit, citius aut serius, aut etiam in extrema vitae periodo; indefinite proinde dicitur *non denegat* (4), quovis id demum tempore contingat.

239. Ex qua hujus axiomatis explanatione etiam illud consequitur, scilicet parum referre sive de viribus naturae sive de viribus gratiae intelligatur. Qui enim diversimode ipsum interpretantur, verbis potius quam re inter se dissidere videntur. Nam qui de viribus naturae illud sumunt, non excludunt, ut vidi-

(1) Hoc ostendemus, cum sermo erit de distributione gratiae.

(2) Sap. I, 13.

(3) Ps. XXIX, 6.

(4) Cfr. Suarez, Tract. *De divina grat.* part. II, lib. IV, cap. 15 ubi cum fuse perpenderit germanum hujus axiomatis sensum, demum, n. 41 in compendium redigens ea, quae late in toto capite exposuerat, concludit: « Ostendimus, excitantem gratiam necessariam ad salutem generali lege omnibus esse per Christum oblatam et promissam, non absolute, sed sub aliqua conditione ab ipso homine pendente. Haec autem conditio non est meritum aliquod vel dispositio proportionata supernaturali gratiae; ergo tantum esse potest conditio non ponendi obicem. Patet consequenter, quia nulla alia potest cogitari, quia licet interdum bona aliqua actio sit necessaria, cum illa per se nihil ad gratiam conducat, solum potest esse necessaria, ut obicem peccati impediat, vel potest esse utilis, ut pravas dispositiones et vitia, quae hominem ad opera gratiae ineptiorem reddunt, impediat. Confirmatur, quia, si aliquis adultus omnino caret hac gratia excitante interna, id non est primario ex parte Dei, quia ipse maxime cupit illam omnibus conferre; ergo est ex parte hominis. Causa autem ex parte hominis esse non potest, quod illam non mereatur, vel ad illam se moraliter non praeparet, cum id facere non possit ante primum auxilium; ergo solum esse potest causa, quia ponit aliquod impedimentum gratiae Dei; ergo e contrario conditio in dicta lege inclusa solum est, ut homo non ponat obicem gratiae Dei. Denique haec conditio est justissima, et non repugnat dignitati vel liberalitati gratiae Dei; ergo ita est intelligenda ».

mus, gratiam medicinalem ad ardua ac difficiliora praecepta servanda, aut ad graves subinde incurrentes tentationes superandas necessariam, quae ex Christi meritis datur (1). Eo autem sensu vocant vires naturae, quatenus actiones ejusmodi gratiae adjumento factae non praetergrediuntur terminos moralis honestatis; et sic effugiunt difficultates, quae in aliorum expositione urgentur. Qui vero de viribus gratiae istud effatum sumunt, gratiae nomine significant illas, ut Augustinus vocat, fidei conceptiones, quae in infidelibus ipsis quandoque reperiuntur, et largo quodam sensu ad actus supernaturales infidelem disponunt ob subsequentes gratias, quas accipit (2).

240. Ad 5. *D.* Sensu modo exposito, *C.* sensu semipelagiano *N.* Prolata enim hujus effati explanatio semipelagianum sensum excludit. Exinde etiam patet, nullam amplius adesse causam, cur inuratur haec nota tot tantisque viris, qui per tot secula illud axioma de naturae viribus exposuerunt (3). Hanc calumniam novatores seculi XVI primum intentarunt in scholasticos, utpote nimis aperte ipsorum erroribus adversantes (4); postea ingeminarunt jansenistae eadem de causa; ac nimia forsan levitate nonnulli scriptores catholici adoptarunt, non advertentes se hac ratione ecclesiae obtrectatoribus causam praebere eam objurgandi, quod passa sit impune ac publice in scholis tradi per tantum temporis spatium doctrinam haereticam, neque pro sapientia et auctoritate, qua pollet, unquam in eam animadverterit, ut decuisset; *obscuratas* proinde nonnullas in Ecclesia veritates esse, donec ejus vigilantiam haeretici excitaverint. Quae omnia absurda sunt, atque a veritate et pio catholicorum sensu aliena. Quod si nonnulli scholastici ulterius, quam par erat, progressi sunt, nec verba omnia ad amussim temperarunt, exigui

(1) Certum est in praesenti rerum ordine quamlibet gratiam dari a Deo per Christi merita, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Attamen accuratiores theologi distinguentes gratiam proprie dictam, quae incipit a vocatione ad fidem, ab illa quae tribuitur infidelibus negativis et est improprie dicta; solent cum ss. Augustino et Prospero priorem gratiam vocare *gratiam Christi*, aut *gratiam per Christum*, aut etiam *gratiam Salvatoris*; posteriorem autem, quae datur infidelibus negativis, et incipit ab imperfectissima Dei cognitione, vocare solent peculiari nomine *gratiam Dei*. Cfr. doctus P. Steph. De Champs S. J. *De haeresi janseniana*, lib. III, disp. 8, cap. 12, n. 3 et seqq., vol. un. fol. edit. Paris. 1728, P. Souciet. Haec autem distinctio prae oculis habenda est, cum lucem afferat ad controversias sequentes dirimendas.

(2) Haec sunt s. Augustini verba ex lib. 1. *Ad Symplic.* quaest. II, n. 2: « Fiunt ergo inchoationes quaedam fidei, conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam ».

(3) Cf. Lessius, *De gratia efficaci*, cap. 10, atque *Append. ad cap.* 10, ubi ostendit scholasticos communiter, si unum aut alterum excipias, praefatum axioma per tercentum et amplius annos intellexisse de faciente quod in se est ex viribus naturae, nempe eo sensu, qui a nobis expositus est. Sed vid. praesertim Carol. Du Plessis d'Argentré, op. cit. in opusculo: « Observationes in testimonia doctorum scholasticorum, qui a duodecimo seculo ineunte ad hanc usque aetatem de gratia pro conditione corruptae naturae disputarunt », art. 1, § 15 et seqq., ubi accurate in mentem scholasticorum inquirit circa istud axioma, eosque vindicat a novatorum calumnia de pelagianismo aut semipelagianismo.

(4) Hos recensitos vide apud Vasquez, loc. cit. disp. XCI, cap. 10.

numero hi sunt (1), nec confundendi cum multitudine eorum, qui praefatum axioma in sensu exposito acceperunt, ac proinde numquam docuerunt homines per opera moralis honestatis Deum sibi conciliare ad gratiam tribuendam, intuitu alicujus meriti etiam de congruo, quod talibus operibus inesset, prout semipelagiani docebant.

CAPUT IV.

DE NATURA AC DIVISIONE GRATIAE ACTUALIS IN ORDINE AD COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII

241. In salebrosam hic incidimus quaestionem, quae non solum catholicos a novatoribus ac jansenistis dividit, sed magnam praeterea et acerbam in scholis excitavit contentionem.

242. Duo sunt, quae difficultatem ingerunt, infallibilis nempe vis et efficacia gratiae ac libertas sub ejusdem efficacis gratiae motione. Ambo hi articuli, ut dicturi sumus, ad fidem spectant; conatus propterea theologorum eo tendunt, ut ambos adstruant ac simul amico foedere componant. Dum in id incumbunt, alii videntur nimis solliciti de gratiae virtute extollenda cum detrimento humanae libertatis; alii vero, dum volunt humanae libertati prospicere, videntur id praestare cum gratiae virtutis et efficaciae jactura. Hinc diuturnae querelae, quibus altera schola alteram exagitabat. Nos in pacis viam, quam nobis constituimus, insistentes, expositis ac profligatis novatorum ac jansenistarum erroribus, qui germanae catholicae doctrinae adversantur, diversa scholarum placita, prout ab ipsorum patrocinatoribus propugnantur aut impugnantur, afferemus, uniuscujusque judicio relinquentes, ut illud quisque systema eligat quod viderit melius scopum attingere, ac solvere difficultates, quae ab ejusdem gratiae adversariis proponi solent. Neque enim nunc tempus rixandi est, sed potius jungendi vires animosque ad teterrimos propulsandos impetus, quibus Dei et ecclesiae hostes religionem aggrediuntur, quo optimis quibuscumque nihil antiquius esse debet.

243. Ut igitur propositum assequamur, animadvertendum est, 1. praesentem controversiam de gratia praeveniente agitari; 2. hanc gratiam spectari posse aut in genere aut in specie, seu, vel in se et natura sua, vel in suis effectibus. Gratia praeveniens in genere, prout modo in scholis accipitur, consistit, ut superius diximus, in illustratione mentis, in impulsu seu motu voluntatis, ac demum in auxilio ac robore addito hominis infirmitati: quae omnia sunt essentialiter supernaturalia. Omnis itaque gratia *illuminat*, *movet* et *auxiliatur*; itaque in his homo semper passive se habet.

244. In hoc propterea sensu omnis gratia est semper efficax *ab intrinseco*, ut dici solet; talis vero efficacia, quae

(1) Calvinus, *Instit.* lib. II, cap. 3, § 10, scribit: « Qua gratia non quoslibet promiscue dignatur Dominus, quemadmodum vulgo jactatur illud, nisi fallor, Occamicum, eam nemini denegare facienti quod in se est ». Et ibid. § 13. indiscriminatim catholicos omnes, qui suo dogmati repugnant, pelagianos vocat. Wegscheider, op. cit. § 149: « Placita semipelagianorum, *inquit*, qui initia emendationis e viribus animo humano insitis, progressum vero e gratiae divinae auxiliis repetere maluerunt, haud paucis per multa secula probata fuerunt ». Saepe praeterea meminit semipelagianismi scholasticorum.

praescindit a futuro hominis consensu, in scholis *efficacia virtutis* nuncupatur. Hac porro homo instructus potest vel bonum agere, vel a malo declinare; contra vero hac destitutus nulla ratione valet ad bonum salutare assurgere, neque, si gravibus appetitur tentationibus, a malo abstinere aut bonum naturalis ordinis praestare, si arduum ac difficile sit, prout ostendimus.

245. Sed praeter hanc efficaciam virtutis alia efficacia admittitur, quae *connexionis* dicta est, ac respicit futurum hominis consensum. Hinc, si adsit haec efficacia connexionis, gratia dicitur *efficax*; sin vero haec efficacia connexionis desit, ita ut non habeatur consensus, gratia dicitur *sufficiens*. Atque exinde profluit celeberrima illa in scholis distinctio gratiae in *efficacem* et *sufficientem*.

246. Si excipias pelagianos, socinianos ac rationalistas, quos superius refutavimus, nemo est qui non agnoscat hanc connexionis efficaciam, cujus indicia sunt bona hominum opera, nec ulla viget in hac parte controversia. Ast ejusmodi connexio inter gratiam et consensum in quo consistit?

247. Juxta lutheranos et calvinistas sita est in physica quadam vi necessitatem inferente, cui humana voluntas refragari non possit.

248. Juxta jansenianos in coelesti quadam consistit delectatione voluntatem physice praedeterminante ac necessario eam ad consensum trahente, utpote quae sit intensior opposita concupiscentiae delectatione et illius relative per gradus victrix.

249. Juxta thomistas repeti talis connexio debet ex physica praedeterminatione ad actum salutarem.

250. Juxta augustinianenses, saltem in praesenti hominis lapsi statu in delectatione coelesti, quae sit gradibus superior oppositae effraeni concupiscentiae, reponenda est.

251. Hi omnes proinde efficaciam gratiae repetunt ab ipsa natura et essentia gratiae, quae secum includit actum, ad quem movet; vocantque propterea gratiam efficacem *a se* et *ab intrinseco*, cum hoc tamen discrimine, quod novatores ac jansenistae doceant, gratiam actum includere, seu ad eum movere ac praedeterminare *necessario*, ceteri autem id *libere* gratiam efficere contendant.

252. Congruistae respuentes essentialem hanc gratiae connexionem cum actu seu effectu, confugiunt ad praescientiam divinam atque ad efficaciam gratiae, seu potius connexionem gratiae ipsius cum hominis consensu repetunt tum ex vi gratiae, tum ex praescientia Dei, qui cum certo cognoscat, quid futurum sit, si talis gratia daretur, et decreverit aliquem convertere, eam gratiam confert, cui praevidet certo hominem esse consensurum. Hanc idcirco gratiam vocant efficacem *ab extrinseco*, ex praeviso nempe libero hominis consensu.

253. Quod vero spectat ad gratiam *sufficientem*, ea est cui homo resistit, seu cui non consentit; nonnulli eam vocant *inefficacem*, non *inefficacia virtutis*, sed respectu consensus, quem reipsa ab homine non obtinet.

254. Calvinus post Lutherum nullam gratiam mere sufficientem admisit.

255. Jansenius fidissimus eorum discipulus pariter gratiam vere ac mere sufficientem numquam agnovit, nec nisi verbo tenus ab iis differt.

256. Ex scholasticis thomistae et augustinianenses inefficaciam gratiae sufficientis repetunt ab ipsa natura seu essentia gratiae, quae dat quidem *posse*, sed non dat *agere*, seu *possibilitatem* tantum confert, non autem *actum*.

257. In sententia congruistarum ejusmodi inefficacia a solo pendet voluntatis arbitrio.

258. Nostri muneris proinde est, primo hominis libertatem sub gratiae motione tueri adversus novatores ac jansenistas; deinde tentamina exponere quibus theologi, juxta uniuscujusque scholae placita, gratiae efficaciam cum libertate conciliare adnisi sunt; tertio denique gratiae sufficientis existentiam vindicare. Haec autem tribus peculiaribus articulis praestabimus.

ARTICULUS I.

De gratia efficaci

259. Novatorum doctrina circa naturam gratiae, quae hominem necessario impellat et adigat ad operandum, connectitur cum ipsorum theoria de primi parentis statu ac sequenti lapsu, quam supra exposuimus. Cum enim homo per peccatum in ipsorum hypothesi omnem actionem seu, ut vocant, *activitatem* voluntatis amiserit ac ipsam *potentiam* ad volendum in ordine potissimum ad justificationem, plane consequitur hominem ad instar machinae aut lapidis permoveri a Deo debere. Hoc principium, quod sub alio verborum apparatu sibi jansenistae usurparunt, eos pariter adduxit in eandem consecutionem. Inde enim Jansenius theoriam suam de systemate delectationis relative per gradus victricis, quo homo lapsus necessario ab alterutra delectatione, coelesti aut terrena, ageretur, mutuatus est. Aut enim homo omni destitutus intrinseca ac propria voluntatis actione dominio subest victricis concupiscentiae, et necessario in malum ac peccatum fertur; aut subest dominio victricis delectationis coelestis, et necessario ad bonum adigitur ac physice praedeterminatur (1); nec tamen sub hoc imperio meriti aut demeriti incapax fit (2). Etsi vero, si rem spectemus, perniciosus hic error tum novatoribus tum jansenistis communis sit, atque ex eodem principio profluat, cum nihilominus diversa ratione novatores ac jansenistae eundem tueantur, hinc distinctis propositionibus eum oppugnare cogimur.

PROPOSITIO I.

Gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem, seu homo liber est in actibus salutaribus

260. Haec propositio est de fide; definita enim est a concilio Tridentino adversus novatores, sess. VI, can. IV: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, anathema sit.*

261. Sic autem ex sacris Litteris ejus veritatem ostendimus: ubi voluntas se ipsam movet, flectit, atque ad agendum determinat, ubi agit et operatur, ubi demum sic agit et operatur, ut possit non agere et operari, ibi auxilium divinum seu gratia, sive accedendo sive movendo, nullam infert voluntati necessitatem; atqui ita se habere voluntatem

(1) Ita Jansenius, lib. VIII. *De gratia Salvatoris*, cap. 3, cujus verba inferius dabimus, ubi etiam hoc systema fusius enucleare tentabimus.

(2) Cfr. Tract. *De Deo Creat.* n. 495 et seqq.

in operibus piis ac salutaribus, ac propterea cum gratia efficaci peractis aut peragendis, sacrae Litterae luculentissime docent.

262. Ac primum quidem inter cetera testimonia, haec aperte ostendunt: Zach. I, 3: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* Ps. CXVIII, 112: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas;* et Apostolus, I. Timoth. IV, 7. sic Timotheum hortatur: EXERCE *teipsum ad pietatem*.

263. Alterum vero constat ex eodem Apostolo, qui, Philipp. II, 12: *Cum metu,* inquit, *et tremore salutem vestram* OPERAMINI; et I. Cor. III, 8. scribit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adjutores* (graecae συνεργοί, id est, *cooperatores*) (1); qui praeterea de se ipso testatur, ibid. XV, 10: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*.

264. Tertium denique evincunt, quae leguntur, Eccl. XXXI, 10: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit;* ac I. Cor. VII, 37: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc quidem judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit*.

265. Post adeo aperta Scripturarum oracula supervacaneum foret, patrum congerere sententias ad eandem adstruendam veritatem, cum Calvinus ipse unanimem ipsorum consensum contra se esse plane fateatur; sic enim scribit: *Voluntatem movet* (gratia), *non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo* (2). Quoniam vero in s. Augustino patrocinium se invenisse jactat, ideo illi unius s. Augustini auctoritatem opponimus, qui integrum librum *De gratia et libero arbitrio* ad refellendum exitiosum Calvini errorem scripsisse visus est. Sic porro scopum suum in hoc opere exarando ab ipso limine aperuit s. Doctor: *Quoniam sunt quidam*, inquit, *qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scribere . . . compellente mutua charitate, curavi* (3).

266. Absurda demum, quae ex novatorum hypothesi sequuntur in omnium oculos veniunt. Illa siquidem semel constituta, impune homines in quaevis flagitia proruere possent sub praetextu, quod ea gratia destituti sint quam impellantur in bonum. Nulla jam aut virtuti laus aut meritum relinqueretur; nullum incitamentum homini superesset, quo ad bene ac pie agendum excitaretur aliaque his similia, quae longum esset enumerare. Verum his praetermissis sic pressius novatores perstringimus: Falsa est ea doctrina, quae ex falso profluit principio; tale porro est principium novatorum, amissum nempe et extinctum fuisse primi parentis peccato liberum voluntatis arbitrium, ut suo loco ostendimus (4). Ergo.

(1) Ἕκαστος τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. Θεοῦ γὰρ ἐσμεν συνεργοί. Hujus vocis occasione novatores vocant catholicos, docentes liberam ad gratiam cooperationem, *Synergistas*.

(2) *Instit.* lib. II, cap. 3, § 10. edit. Amstelodam. 1667.

(3) Cap. 1.

(4) Tract. *De Deo Creat.* loc. cit. Cfr. etiam Bellarm. lib. VI. *De Grat. et lib. arbitr.* cap. 10. et seqq.

DIFFICULTATES

267. I. Obj. Efficacia, quam Scripturae tribuunt gratiae, talis est, ut omnem indifferentiae activam libertatem homini adimat. Etenim, Ezech. XXXVI, 26. ex Dei nomine legitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum . . . et faciam ut in praeceptis meis ambuletis;* et Joan. VI, 44: *Nemo potest*, inquit Christus, *venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* et v. 45: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Apostolus denique, Philipp. II, 13: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Gratia igitur Christi nullam in homine actionem relinquit, qui passive omnino se habet sub ipsius potentia et actione.

268. Resp. *Neg. antec.* Ad adductas vero probationes, resp. 1. generatim, *D.* Et adducta testimonia hisque similia infallibilem divinae gratiae efficaciam adstruunt, qua Deus ab humana voluntate obtinet quidquid vult, *C.* adstruunt gratiae efficaciam, quae necessitatem inferat *N.* Contrarium enim ubique Scripturae supponunt, ut probationes, quas protulimus, imo et totius salutis oeconomia juxta easdem sacras Litteras ostendunt. Quo autem pacto infallibilis gratiae efficacia et illaesa humana libertas simul amice consistant, gordius nodus est, quem jampridem s. Augustinus agnovit et praedicavit illis verbis: *Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri* (1). Ad ipsum enodandum scholarum systemata invecta sunt, de quibus postea. Interim utrumque tenendum, tum nempe infallibilis gratiae effectus, tum libera hominis cooperatio, ut fides docet, etsi utriusque nexum intime pro imbecillitate rationis nostrae minime introspiciamus. Effata autem Scripturarum, quae objiciuntur, hanc veritatem minime evertere, vel ex eo constat, quod ipsa gratiae effectum tantummodo patefaciant, etsi non attingant modum quo hominis assensus obtineatur, quem plane liberum esse alibi aperte declarant. Hisce positis ad singula descendimus.

269. Ezechielis verba gratiae vim significant, qua peccatorum corda flectuntur ad conversionem, *C.* vim, quae necessitatem inferat *N.* Alioquin Deus ea locutione usus non esset: *Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*, id est, efficiam, *ut in praeceptis meis ambulent*, ut expresse dicitur in loco parallelo; XI, 19. per novum spiritum, quem eis promittit. Nec obest metaphora *cordis lapidei* ad significandum cor pertinax et indocile quod opponit *cordi carneo*, apto scilicet recipiendae disciplinae (2); attendendum siquidem est in troporum usu ad indolem hebraicae linguae (3).

270. Trahit Pater ad Filium modo liberae humanae voluntati consentaneo, *C.* auferendo libertatem *N. Videte*, inquit s. Augustinus, *quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo* (4). Sic etiam: omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad Chri-

(1) *De grat. Christ.* cap. 47.
(2) Cfr. Rosenmüller, in haec loca.
(3) Cfr. Bellarm. lib. VI. *De grat. et lib. arb.* cap. 15, n. 3, 4, 5.
(4) *Tract.* XXVI *in Joan.* n. 7, cfr. etiam ib. n. 4, 5, 6.

stum per liberam cum gratia cooperationem, *C.* necessitate ductus *N.*

271. Deus denique operatur in nobis velle, nos excitando et adjuvando, ut libere velimus, *C.* ipsum velle in nobis ac sine nobis producendo *N. Non enim, quia dixit* (Apostolus): *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, superius non dixisset: Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Ut iterum hunc locum exponit s. Augustinus (1).

272. Inst. Peccatores in Scripturis passim mortui ac sepulti dicuntur; nihil igitur operantur, cum per Christi gratiam in vitam revocantur.

273. Resp. *Neg. cons.* Licet enim peccatores reipsa mortui sint in ordine ad vitam spiritualem, fruuntur tamen vita naturali, dum propterea per gratiam praevenientem excitantur, capaces fiunt ad assensum praestandum si eidem gratiae velint obtemperare (2).

274. II. Obj. S. Augustinus totus est in ineluctabili gratiae vi commendanda adversus pelagianos ac semipelagianos. Etenim 1. in lib. *De grat. Christi: Deus*, inquit, (per gratiam) *ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat* (3). 2. Et in lib. *De correp. et grat.* scribit: *Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratiâ indeclinabiliter et* INSUPERABILITER *ageretur* (4); 3. et iterum ibid. *Non est dubitandum*, inquit, *voluntati Dei . . . humanas voluntates non posse resistere* (5). Et rationem reddit, 4. adjiciens: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem* (6). Et haec speciminis gratia; 5. siquidem s. Doctor totus in eo est, ut hanc veritatem inculcet et adstruat. Ergo.

275. Resp. *Neg. antec.* Tantum enim abest, ut hanc ineluctabilem gratiae vim statuat s. Augustinus adversus pelagianos ac semipelagianos ut nulla usquam de hoc argumento inter sectarios illos et sanctum Doctorem intercesserit disceptatio. Quin potius cum ab ejus aemulis haec impacta fuerit s. Augustino calumnia, hanc ipse totis viribus a se repulit ac propulsavit, ut tum ex dictis tum ex dicendis planum fiet. Scopus igitur Augustini hic est, ut adstruat certitudinem infallibilem divinae praedestinationis. Porro, ut hoc sibi propositum obtineat, ad duplex confugit adjumentum, nempe ad omnipotentiam Dei et ad ejus scientiam. Ad omnipotentiam quidem, quatenus ipsa plures habet gratias in sua potestate, ita ut, si homo uni resistat, aliam ei tribuat; ad scientiam vero, quatenus eam tribuat, cui praevidet hominem libere consensurum. Quare duo haec semper s. Doctor conjungit, ex. gr. dum scribit ad Simplicianum: *Quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur* (7). Et paulo infra: *Nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo* SCIT *ei congruere, ut vocantem non respuat* (8). Nec unquam destitit s. Do-

(1) Lib. *De grat. et lib. arbitr.* c. 9.
(2) Cfr. Bellarm. lib. VI. *De grat. et lib. arb.* cap. 15. n. 23, 24.
(3) Cap. 14.
(4) Cap. 13, n. 38.
(5) Cap. 14, n. 45.
(6) Ibidem.
(7) Lib. I, q. II, n. 13.
(8) Ibid. n. 13.

ctor ab horum attributorum conjunctione in gratiae virtute exponenda, ita ut in postremo suorum operum adversus Julianum scribat: *Absit ut impediatur ab homine omnipotentis et cuncta praescientis intentio* (1). Frustra autem confugisset ad Dei praescientiam, si Deus voluisset necessitatem inferre humanae voluntati; ad hoc enim satis erat, urgere solam omnipotentiam.

276. Deinde perperam permiscent adversarii *omnipotentiam* cum *gratia* Dei. Gratia enim utpote creata ac finita potest suo effectu frustrari, non autem Dei omnipotentia, cui nulla resistere profecto potest creata voluntas. Et hinc responsio patet ad singula objecta testimonia aliaque id genus, quae afferri possent. Verumtamen, ut illuc etiam admoveamus haec principia, sic pergimus.

277. Ad 1. *D.* Ita Deus docet, ut homo videat, appetat, ac perficiat *libere*, *C. necessario*, *N.*

278. Ad 2. *D. Ageretur*, id est, *corroboraretur* infirmitas humanae voluntatis adversus concupiscentiam et hujus vitae calamitates, *C.* ageretur ad indeclinabiliter et *insuperabiliter* (2) operandum *N.* Hunc enim sensum postulat totus contextus. Hae enim voces non in humanam voluntatem cadunt, sed in concupiscentiam et adversitates hujus vitae, a quibus voluntas, divina gratia instructa ac roborata, superari non possit, si gratiae firmiter obtemperare statuerit. Subdit enim post citata verba: *Et ideo, quamvis infirma* (voluntas), *non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur* (3).

279. Ad 3. *D.* Voluntati Dei resisti non potest, *C.* Dei gratiae juxta dicta *N.*

280. Ad 4. *D.* Cum vocat, ut scit ei congruere, ut vocantem non respuat, *C.* necessitatem inferendo *N.*

281. Ad 5. Nego talem unquam fuisse mentem s. Augustini, qui ex professo hunc errorem respuit ac toties re-

(1) *Oper. imperf. contra Jul.* lib. I, cap. 93.

(2) Non levis exorta est controversia circa germanam hujus loci lectionem. Alii enim contendunt, legendum esse *insuperabiliter*, alii vero *inseparabiliter*. Maurini editores legunt *insuperabiliter*, nec admonent, ut alias facere solent, nonpaucos codices huic lectioni refragari. Ante ipsos eandem lectionem usurparunt editores Lovanienses, in edit. Antwerpiana ex officina Plantiniana, 1576. Demum retinuit Joan. Clericus in nova editione recensionis Benedictinorum, quam dedit sub emendito nomine loci, anno 1700, siquidem typis prodiisse dicitur *Antwerpiae sumptibus societatis*, cum exploratum sit hanc editionem infidelem factam fuisse ab haereticis Amstelodami. Cfr. *Acta ss. Bolland.* ad diem 28. Augusti, pag. 214, ubi fraus detegitur. Haec editio ab ipsis sectariis improbatur; nam et interdum verba in ea mutata sunt et integrae periodi sublatae. Quod quidem monui, ne minus cauti decipiantur. Ceterum plures MSS. codices utrique lectioni favent. Habent inter ceteros *insuperabiliter* cod. s. Marci, 662, I, XI; cod. 5 Medic. plut. 12, 5, 15; cod. 8 et 21. Med. Fesul. sec. XV. Habent *inseparabiliter* MS. s. Marci 642, 5, XIII; item 668, 5, X. Optimae notae MS. sancti Marci, 661, anni 1429, legit *inseparabiliter adjuvetur*. Sed quacumque lectio retineatur, perinde est; sensus enim catholicus, quem exposuimus, eodem recidit. Ex quo jam detegitur pessima agendi ratio Clerici in edit. citata, ubi ad haec s. Augustini verba in margine posuit: *Gratia, qua infirmae voluntati subvenitur, eam indeclinabiliter et insuperabiliter agit*. Cfr. tamen Marc. Scipion. Maffejus, *Hist. theologica gratiae*, lib. XII, cap. 7, § 2. edit. cit. pag. 200.

(3) Cfr. Tricassinus, *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. I, sect. II, et part. III, sect. III, § I, ubi egregie hoc versat argumentum.

fellit ; *Liberum ergo*, inquit, *arbitrium evacuamus per gratiam ? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus* (1).

PROPOSITIO II.

Gratia efficax non consistit in delectatione coelesti indeliberata, superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem ad assensum necessario impellente

282. Propositio haec est de fide adversus Jansenium, cujus quinque propositiones, quas referemus tamquam *haereticae* damnatae sunt a Romanis Pontificibus, quorum judicium excepit et probavit universa ecclesia (2). Id ipsum patet ex canone superius relato concilii Tridentini, in quo anathema iis dicitur, qui asserunt per gratiam tolli liberum arbitrium (3).

283. Jansenius suam theoriam tum alibi tum lib. VIII. *De gratia Salvatoris*, praesertim vero cap. III. aperuit quod sic inscripsit, *Adiutorium Christi determinat ac praedeterminat etiam phy-*

(1) Lib. *De spirit. et litt. cap.* 30. Cfr. Tricass. op. cit. tota parte II in qua octoginta argumentis ex s. Augustino depromptis luculenter ostendit, s. Doctorem constanter indifferentem voluntatis humanae libertatem sub gratia praedicasse ; tum parte tertia, in qua plenissime solvit difficultates Calvini et Jansenii. Vid. praeterea Maffeji opus, lib. XIV.

(2) Cfr. Tournely, Tract. *De grat.* part. I, quaest. III. *De Jansenio*, ubi late totam historiam jansenismi ejusque damnationis persequitur. Cfr. etiam Dechamps, op. cit. *Praef.*

(3) Frustra janseniani eo pretextu adnituntur se anathemati Tridentini concilii subducere, quod Jansenius profiteatur se liberum arbitrium tueri sub gratia, quia ipsi non opponitur nisi coactio, non autem necessitas. Frustra, inquam, quia Calvinus ipse ultro fassus est, et quidem saepissime, se non aliud admittere liberum arbitrium, quam quod immune est a coactione, quae sola verae libertati opponitur. Plura possem ad hoc ostendendum ex Calvino testimonia promere ; sed istud, ne nimius sim, sufficiat, quod extat, *Instit.* lib. II, cap. 3, § 5 : Porro, *inquit*, quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci, mirum est si cui videatur aspera loquutio, quae nec absonum habet quidpiam, nec a sanctorum usu aliena est. Offendit autem eos, qui inter necessitatem et coactionem distinguere nesciunt. At si quis eos interroget : Annon Deus necessario bonus sit ? Annon diabolus necessario malus? . . . Ergo, si liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit, quod necesse est illum bene agere ; si diabolus, qui nonnisi male agere potest, voluntate tamen peccat, quis hominem ideo minus voluntarie peccare dicet, quod sit peccandi necessitati obnoxius? » Sed cohibere me nequeo ab alio ejusdem haeresiarchae texto afferendo ex lib. II *De lib. arb. advers. Pighium*, edit. 3, Genev. pag. 153, ubi ; « Si coactioni, *inquit*, opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro haeretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror ». Nec alia fuit sententia Lutheri, qui in libro *De servo arbitrio*, fol. 468, ita mentem suam aperit : « Sequitur nos necessario operari ; necessario vero dico, non coacte ; hoc est, homo, cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut captus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quod voluntas se se mutare et vertere alio non possit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata et blande assibilata per Spiritum Dei voluntas iterum mera lubentia et pronitate ac sponte sua vult et facit, non coacte pro

sice voluntatem, ut velit, et ardentius velit, et ex quo capite istud accidat. Porro ibid. ostendere nititur, id accidere ex delectatione: *Quae facit,* inquit, *ut* NECESSE SIT *animum istud sequi, et secundum istud operari,* QUOD AMPLIUS DELECTAVERIT (1). Totum vero suum systema deducit ex principio antea a se constituto de amissa per peccatum libertate indifferentiae, ut constat ex iis, quae scripsit lib. III, et IV. *De statu naturae lapsae;* quo fit, ut voluntas moveri ac flecti non possit, sive ad bonum sive ad malum, nisi necessitate antecedenti ab alterutra delectatione terrena aut coelesti producta agatur.

284. Jam vero gratiae efficaciam ab hac physica praedeterminatione, necessario impellente humanam voluntatem per delectationem coelestem, gradibus superiorem opposita delectatione seu concupiscentia, ac ideo necessario relative victricem, minime esse repetendam, sic in primis ostendimus. Gratia efficax non perimit liberum arbitrium, ut ex iis, quae disseruimus in praecedenti propositione, liquet; liberum autem arbitrium non consistit in sola immunitate a coactione, sed consistit praeterea in immunitate a necessitate, seu in libertate indifferentiae, ut constat tum ex iis, quae de hoc argumento alias egimus (2), tum ex prop. III. Jansenii quae uti *haeretica* proscripta est: *Ad merendum, vel demerendum,* etc. Ergo ab hac physica praedeterminatione, necessitatem inferente humanae voluntati per delectationem gradibus relative victricem, repetenda non est gratiae efficacia, quae indifferentiae libertatem destruit.

285. Insuper: In eo principio constitui nequit haec efficacia, quod est falsum, haereticum ac pugnans cum reliqua ejusdem auctoris doctrina. Tale porro est principium Jansenii de relative victrici delectatione.

286. I. Falsum est. Non enim delectatio est unicum medium, quo homo, saltem proxime, e vitiorum coeno educitur, atque ad conversionem ac salutem fertur, uti Jansenius constituit ac pro certo sumit; plura siquidem alia suppetunt media, quibus homo a vitiis retrahitur, atque ad bonum inflectitur, ut sacrae Litterae docent. Nam Eccl. I, 27. dicitur: *Timor Domini expellit peccatum;* et Jerem. XXXII, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Demum Christus ipse, Matt. X, 28. ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam au-*

natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas ». Alia plura cfr. apud Dechamps, lib. op. cit. I, disp. II, cap. 2; tum lib. II, disp. III, cap. I, seqq. Cum igitur hanc doctrinam utpote haereticam anathemate perculerit synodus Tridentina, patet haereticam esse doctrinam Jansenii, ac merito proinde hanc notam ei inussisse Romanos Pontifices. Ceterum quamvis per ambages nisus sit Jansenius se a Calvino secernere, parum tamen his fidens, non obscure innuit, Calvinum ab Augustini, quam ipse autumat, doctrina non recedere; sic enim scribit, lib. VIII. *De grat. Salvat.* cap. 21, pag. 570, col. 2: « Quod si qua in re Calvinus cum Augustino et antiquis patribus senserit, non propter Calvinum Augustino indignandum est, sed propter Augustinum Calvino potius gratulandum ». Et ibid. pag. 255: « Facessat, *inquit*, et ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Augustini est, illorum error esse non potest ».

(1) Ibid. pag. 346.

(2) Tract. *De Deo Creat.* loc. cit.

tem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

287. Praeclare diversas rationes, quibus per gratiam ad sanctitatem trahimur, post magistrum suum Augustinum s. Prosper recenset, dicens: *Trahit timor; principium enim sapientiae timor Domini. Trahit laetitia; quoniam laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo. Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, esuriat; ac subito mutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; quae obscura, sint lucida? Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (1).

288. Quoniam vero Jansenius s. Augustini potissimum auctoritate nititur, ineluctabilia ejusdem s. Doctoris testimonia eidem opponimus. Etenim *De peccator. merit. et remiss.* lib. II: *Etiam illa peccata juste imputari*, inquit, *quae non delectationis illecebra committuntur sed causa devitandae molestiae alicujus aut doloris, aut mortis* (2). Sed praecipue illud urgemus, in quo ipse Sanctus de se ipso profitetur, non semper se operatum fuisse pro majori, quae eum praeveniebat, delectatione: *Non faciebam*, inquit, *quod et incomparabili affectu* AMPLIUS *mihi placebat* (3). Ex his itaque patet, 1. falsum esse delectationem tamquam unicam rationem haberi posse, qua Deus a peccato nos retrahit. 2. Falsum esse s. Augustinum per celebre illud effatum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, intellexisse delectationem antecedentem ac indeliberatam. 3. Falsum propterea esse, prout ex sacris Litteris et ex B. Augustino constat, principium totius janseniani systematis.

289. II. Sed haereticum propterea est. Haereticum enim illud principium censendum est, ex quo necessario ac evidenter profluunt haereticae consecutiones, quodque eas includit; tale autem est istud Jansenii principium. Posito siquidem Jansenii systemate de delectatione relative ac necessario victrice, jam sequitur

290. 1. *Aliqua praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*. Cum nempe in homine justo delectatio minor coelestis, seu gratia parva, confligit cum delectatione terrena majori opposita, ille necessario trahitur ad peccatum. Haec autem propositio damnata est ut *impia* et *haeretica*.

291. 2. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur*. Coelestis enim delectatio juxta Jansenium semper producit effectum, ad quem datur, sive superior gradibus sit sive inferior opposita delectatione. Nam, si superior sit, necessario vincit terrenam delectationem; si sit inferior, producit

(1) Lib. *Contra Collat.* cap. VII, inter opp. s. August. tom. X. Plura alia cfr. apud Fontaine, op. cit. in prop. XLIX Quesnelli, ubi adductis Scripturarum ac patrum auctoritatibus ostendit, hominem moveri a pluribus aliis motivis ad bene agendum praeter charitatem et delectationem; nec non in prop. XLIV.

(2) Cap. 10, n. 15.

(3) *Confess.* lib. VIII, cap. 8, n. 20.

necessario illos indeliberatos motus, ad quos confertur. At haec pariter secunda propositio declarata est *haeretica*, et ut talis damnata.

292. 3. Sequitur: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*; quandoquidem homo meretur etiam in his, quae necessario agit. Quare et haec propositio *haeretica* fuit declarata et damnata.

293. 4. Ob eandem rationem sequitur quarta propositio, quae ut *falsa* et *haeretica* dijudicata est, quae ita se habet: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

294. 5. Demum profluit, quod in quinta propositione, ut *haeretica* item proscripta, asserit Jansenius: *Semipelagianorum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*. Etenim pro iis tantum mortuus est Christus, pro quibus gratias vere sufficientes obtinuit; tales vero non sunt in Jansenii systemate nisi victrices, quas oppido plurimi non consequuntur (1).

295. III. Denique pugnat absurdum hoc principium cum doctrina, quam ipse Jansenius alibi profitetur. In eo enim gratiae relative victrices non essent efficaces ab intrinseco; non darentur nisi habito respectu ad gradus oppositae delectationis terrenae seu concupiscentiae cognitos per scientiam mediam, protoparentes peccare non potuissent in innocentia constituti; quae tamen omnia adversantur doctrinae, quam ipse alibi tenet, aberrant ab ejus scopo, quaeque propterea ipse vehementer insectatur in molinistis. Ergo (2).

DIFFICULTATES

296. I. Obj. 1. S. Augustinus in *Comment. in Epist. ad Galat...* velut axioma statuit: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est* (3). 2. De indeliberata porro et antecedenti delectatione intelligendum esse celebre hoc effatum, constat ex iis, quae scribit idem s. Doctor in lib. II. *De peccat. merit et remiss.*, ubi: *Nolunt*, inquit, *homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, atque delectamur ardentius* (4). 3. Quod vel ex ipsa gratiae actualis definitione colligitur, quam s. Pater toties praebet, dum eam vocat *inspirationem dilectionis, amoris, charitatis*, etc. aut *victricem delectationem* (5). 4. Quae quidem omnia de sola delectatione antecedenti ac indeliberata intelligi possunt. Quid enim aliud ipsa delectationis vox denotat nisi amorem indeliberatum et antecedentem? 5. Amor

(1) Cfr. Tournely, op. cit. part. I, quaest. III. *Systema doctrinae Jansenii*.

(2) Cfr. ibid. part. II, quaest. IX, art. II. unica concl. Cfr. etiam Dechamps, op. cit. lib. III, disp. III, cap. 6. nec non Car. Du Plessis d' Argentré, *Variae quaestiones theologicae*, Paris. 1712, opusc. I. *De voluntaria necessitate, et morali impotentia recte agendi*, etc. contra Nicolium accurata disputatio.

(3) Num. 49.

(4) Cap. 18.

(5) Ibid. lib. IV. ad Bonif. cap. 5. n. 11; *De peccat. merit.* lib. II, cap. 19, n. 32 et 33, etc.

siquidem deliberatus non est delectatio, sed fructus praeviae delectationis. Quoties propterea s. Augustinus majorem delectationem nominat, de praevia delectatione loquitur atque de amore indeliberato. 6. Quamvis nec ratiocinationibus opus sit, cum satis aperte ipsemet mentem suam declaret, scribens: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit* (1). 7. Vere igitur dixeris systema delectationis relative per gradus necessario victricis germanum s. Augustini systema esse; quod ipse perpetuo inculcat, quodque ab eo Jansenius mutuatus est ac luculentius explanavit.

297. Resp. Ad 1. *D.* Quod amplius nos delectat delectatione deliberata et electiva, seu consequenti, *C.* delectatione indeliberata et voluntatis assensum praeveniente secundum id agamus necesse est *N.* Sensus itaque istius effati est: Secundum id operemur necesse est, quod magis diligimus, seu secundum id quod magis arridet; ita ut necessitas non sit nisi consequens. En quomodo mentem suam aperiat s. Doctor paulo post citata verba: *Manifestum est*, inquit, *certe secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant duo, praeceptum justitiae et consuetudo carnalis, et utrumque diligitur, id sectabimur, quod amplius dilexerimus ... sed pax Christi vincat in cordibus nostris* (2).

298. Verum ut omnis vocis ambiguitas removeatur, qua passim adversarii abutuntur in exponenda mente s. Augustini, animadvertendum est, duplicem a s. Doctore distingui delectationem, alteram *objectivam* seu inhaerentem objecto ipsi, quod vel pulchritudine sua vel suavitate aliisve illecebris necessario et antecedenter mentem aut sensus allicit; et haec delectatio nec subest rationis imperio, nec ipsam invitam determinat ad agendum; alteram vero *subjectivam*, quae ex arbitrii seu voluntatis determinatione pendet, ac libera propterea omnino est, et electiva dicitur et consequens. Delectatio objectiva tam competit gratiae quam concupiscentiae, quibus anima antecedenter, indeliberate, imo necessario urgetur; nec enim anima potest non sentire quod sentit, neque potest non allici aut titillari ex inhaerente ipsis objectis dulcedine ac suavitate. Delectatio autem subjectiva cum subsit mentis imperio, ex ea pendet, ita ut ex duabus objectivis, quae sibi offeruntur, delectationibus, et a quibus ad opposita urgetur, perpensis motivis aliisque praestitis quibus opus est, ad unam potius quam ad alteram se flectat, unam prae altera amplectatur et eligat, in una potius quam in altera delectetur (3). Cum

(1) *Lib. de Spir. et Litt.* cap. 29, num. 51.

(2) *Expos. epist. ad Gal.* n. 54.

(3) Placet haec omnia confirmare ex iis, quae habet s. Doctor, *Serm.* XVII *De verbis Apostoli*; ubi latissime et ex professo hanc versat materiam, de qua sic incipit loqui, cap. 2, dicens. *Inter omnia, quae delectant, plus te delectet ipsa justitia* (en duplicem delectationem, objectivam et subjectivam); *non ut alia non delectent* (objective), *sed plus illa* (justitia) *delectet* (delectatione subjectiva, quae ab electione pendet). *Delectant enim quaedam naturaliter* (id est, non libere, sed necessario) *infirmitatem nostram, ut cibus et potus delectant esurientes atque sitientes; ut nos delectat haec lux, quae de coelo fundi-*

vero de utraque passim delectatione loquatur s. Augustinus, qui ejus auctoritate abutuntur, utramque miscent atque perturbant, ut videantur absurdam doctrinam ex Augustino haurire; eidemque s. Doctori eam adscribere non verentur. Ceterum quoties s. Doctor loquitur de gratia aut concupiscentia, toties eis adscribit delectationem objectivam; quoties vero de mentis assensu ac de effectibus gratiae et concupiscentiae, toties pariter loquitur de delectatione deliberata, consequenti ac libera seu subjectiva. His declaratis ita singillatim ad propositas difficultates respondemus.

299. Ad 2. *N.* Ad prob. *D.* Loquitur s. Doctor cit. loc. de delectatione subjectiva et consequenti comparate ad delectationem objectivam et antecedentem, *C.* loquitur de sola delectatione antecedenti *N.* Responsio patet ex dictis et ex verbis ipsis.

300. Ad 3, 4, 5, et 6, *D.* Agens de delectatione objectiva in ordine ad subjectivam, *C.* secus *N.* Eadem enim est responsio. Nam, detecta aequivocatione seu potius adversariorum fraude, difficultates omnes ex se concidunt.

301. Ad 7. *N.* Tantum enim distat mens s. Augustini a mente et sensu Jansenii, quantum lux a tenebris ac coelum a terra; ut ex superius facta animadversione constat, et qua sola cetera omnia, quae huc referuntur, quaeque sive ex s. Augustino sive ex ratione petita objici possent, facile disjiciuntur, nec tempus in iis enucleatius exponendis terendum est (1).

tur . . . delectat canora vox et suavissima cantilena, delectat odor bonus, delectant etiam tactum nostrum quaecumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et haec omnia, quae nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, ut dixi, oculos spectacula ista magna naturae: sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum. Haec licita, illa illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum; sed delectant auditum etiam cantica histrionum. Hoc licite, illud illicite. Delectant olfactum flores et aromata, et haec Dei creatura; delectant olfactum etiam thura in aris daemoniorum. Hoc licite, illud illicite . . . Videtis ergo, carissimi, esse in istis corporis sensibus licitas et illicitas delectationes. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; et ei delectationi, qua licite delectaris, praepone justitiam. Ergo ex mente s. Doctoris ab electione nostra ac optione pendet in uno potius objecto quam in altero delectari, quod falsum esset, si ipse loqueretur de delectatione antecedente ac trahente necessario assensum nostrum. Magis hoc patet ex pluribus exemplis, quae ipsemet subjicit, ibid. cap. 3 ad rem hanc declarandam, fidei nempe et carnis, servi deformis et fidelis ac servi speciosi et infidelis, auri et justitiae, etc. De hac porro delectatione subjectiva deliberata, consequenti, quaeque ab electione pendeat, disserere s. Augustinum in celebri effato, quo tantopere abutitur Jansenius: *Quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est*, patet ex integro contextu, qui ita se habet: « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; ut, verbi gratia, occurrit forma speciosa foeminae, et movet ad delectationem fornicationis; sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam, quae est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur ». Agit igitur de actione externa, docetque nos operari exterius secundum id, quod per electionem et deliberatum voluntatis actum magis amamus.

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti lapsi hominis arbit.* part. II, sect. LI; tum Dechamps, *De haeresi Janseniana*, lib. III, disp. III, cap. 6 et seq. Dionys. Petavii, *De*

ARTICULUS II.

Theologorum systemata circa gratiae efficaciam

302. In eo omnes catholici theologi conveniunt adversus novatores et jansenistas, hominem liberum esse sub gratiae praevenientis motione ac libere eidem cooperari, prout definitum est in concilio Tridentino.

303. Dissidium tantummodo inter ipsos exoritur, quum conciliare volunt infallibilem gratiae efficaciam cum libera hac humanae voluntatis cooperatione, ita ut homo quem gratia praevenit, semper possit, si velit, ei resistere aut obtemperare. Varia porro ad hoc excogitata sunt ac circumferuntur in scholis catholicis systemata seu opiniones. Ad tria praecipua omnia commode revocari possunt: ad systema scilicet thomistarum; augustinianensium et congruistarum. Maxima, qua per nos licebit, perspicuitate eorum quodque cum suis fundamentis et exceptionibus, quibus urgetur, exponemus, ut inde, quemadmodum praefati sumus, liceat cuique, quod sibi magis arriserit meliusque propositum finem obtinere videbitur, adoptare; cum nullum ecclesia judicium de iis tulerit.

§ I.

Systema Thomistarum

304. Gratia efficax in sensu thomistarum ea est, quae adnexam habet praedeterminationem physicam, qua Deus antecedenter ad voluntatis electionem sic eam determinat ad actum eliciendum, ut repugnet eam illud non velle ad quod movetur, cum haec praedeterminatio includat actum ipsum volitionis, eumque efficiat seu producat. Hac autem praedeterminatione instructus homo non modo semper ac infallibiliter agit, verum etiam repugnat eum non agere; prout repugnat ipsum agere et operari cum sola gratia sufficienti, quae destituta est hac praedeterminatione tamquam conditione essentiali ac necessaria ad agendum et operandum.

305. Ideo vero hic gratiae motus *praedeterminatio* nuncupatur, quia antecedit consensum, *non prioritate durationis sive temporis*, inquit Gonetus, *sed duntaxat naturae seu causalitatis et dependentiae* (1). *Physica* autem dicitur, *non quod forma naturalis sit*, prosequitur idem Auctor, *seu per modum naturae ad unum determinans* (absit), *sed quia ex propria essentia et ab intrinseco est efficax, independenter a quocumque creato consensu, quod est esse physicam theologice, non philosophice* (2).

Tridentini concilii interpretatione, et s. Augustini doctrina, lib. un. Item *De delectationibus coelesti ac terrena ad graduum superioritatem trahentibus secum infallibiliter id, quod magis delectat*, duplex disputatio, altera polemica, altera scholastica, auctore Jos. Carpani S. J. in *Thesauro Theolog. Zachariae*, tom. v.

(1) In *Clypeo Theologiae Thomisticae*, edit. sexta Lugd. 1681. tom. 1, disp. IX, quae est *De concordia libertatis cum decreto praedeterminante*, art. V, § 1, n. 66.

(2) Ibid. n. 67.

306. Quare juxta hoc systema in omni opere salutari hic ordo seu processus concipitur : datur 1. gratia sufficiens, quae confert *posse* velle et agere ; 2. gratia efficax, quae voluntatem physice praedeterminat, praebetque *velle et agere*, cum sit motus applicans ad actum potentiam illam, quam contulerat gratia sufficiens ; 3. consensus et gratia concomitans.

307. Sed illico adversae partis theologi insurgunt : Nonne per physicam hanc praedeterminationem funditus libertas evertitur? Nequaquam, reponunt thomistae, dummodo confugiatur ad sensum, ut aiunt, *compositum* et *divisum*. In sensu composito, id est, praesente gratia, seu supposita collatione hujus gratiae, impossibile utique est hominem non agere, cum gratia efficax per physicam praedeterminationem includat ipsum actum ; implicat autem idem simul esse et non esse. In sensu tamen diviso et absolute homo potest non agere, ut qui actu sedet, repugnat eum non sedere, potuit tamen non sedere (1).

308. In sui systematis subsidium proferunt thomistae illa omnia Scripturarum oracula, in quibus gratiae efficacia commendatur ; ex. gr. Ezech. XXXVI : *Dabo vobis cor carneum*, etc. Philipp. II : *Deus est, qui operatur in nobis et velle*, etc. aliaque ejusmodi superius commemorata.

309. Ex patribus adducunt omnia illa testimonia, in quibus illi omne bonum nostrum Deo referunt acceptum. Communiunt praesertim suum systema auctoritate s. Augustini et s. Thomae. Ex s. Augustino quidem ea loca proferunt, in quibus s. Doctor gratiae efficaciam extollit, quaeque nos retulimus in objectione secunda superioris prop. Ex s. Thoma illud inter cetera adducunt, quod scripsit s. Doctor, p. 1, q. 111, a. 2 : *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, Angelus autem et homo per modum suadentis*. Haec porro doctrina, inquiunt, falsa esset in hypothesi de motione tantum morali, et non physica et propria ; cum et Angelus et homo possint nos non solum exterius, sed etiam interius hortando, rogando, terrendo et persuadendo moraliter movere (2). Quod demum omne dubium removet circa hujus systematis veritatem, ajunt, sunt ipsae orationes, quibus Ecclesia Deum rogat, ut *nostras ad se rebelles compellat voluntates* (3).

310. His positis concludunt in hoc systemate primae causae, nempe Dei, influxum apprime patefieri ac supremum Creatoris dominium in suas creaturas ;

(1) Cfr. Gonet, l. c. art. IV, § II, et seqq. Quidam recens auctor scribit : « Haec distinctio (de sensu diviso et sensu composito) aliquanto subtilior est ; sed perspicua, ni fallor, reddetur, ubi fiat comparatio voluntatis determinatae a Deo cum voluntate se ipsam determinante ad mentem adversariorum. Jam vero fingamus, voluntatem se ipsam propriis viribus efficaciter determinare ad amorem ; certe in sensu composito fieri non potest, quin amet ; alias esset efficaciter determinata ad amorem, ut supponitur, et non esset, quia illa determinatio, quae non habet effectum, efficax dici non potest ; libera nihilominus dicetur voluntas sic determinata, quia potest non amare in sensu diviso et absolute. Eodem plane modo cum efficaci gratia in sensu composito non potest esse actus contrarius ; alias sequeretur, eandem gratiam non esse efficacem ; potest tamen esse in sensu diviso et absolute, quod ad libertatem sufficit.

(2) Alia cfr. apud Did. Alvarez, *De auxiliis divinae gratiae*, disp. XCI, edit. Rom. pag. 608 et seq.

(3) In orat. secr. Dom. IV post Pentecost.

statui praeterea et commendari humilitatem, quandoquidem homini nihil supersit, in quo glorietur juxta Apostoli sententiam: *Quid habes, quod non accepisti?* In hoc enim systemate et bona voluntas, et potentia, et actus, et consensus, et operatio a sola gratia repeti debent (1).

311. Adversae tamen partis theologi reponunt: 1. Nihil adjumenti ex ejusmodi systemate haberi ad optatam gratiae et libertatis conciliationem; imo simplicem catholicae fidei doctrinam, qualis in synodo Tridentina declarata est (2), longe majori claritate fulgere, dum ea in hoc systemate caligine potius involvitur. 2. Videri sibi hoc ipsum systema nimis accedere ad novatorum placita (3) ac jansenistarum; quo factum est, ut novatores et jansenistae saepe sub hac veluti veste, licet per injuriam, se contexerint (4). 3. Sane, subdunt, si subtilior hujus praedeterminationis physicae disquisitio instituatur, planum fiet reipsa hominem sub tali praedeterminatione absolute non posse non velle, aut aliter agere ac operari quam id, ad quod determinatur, cum ipsa includat actum ipsumque efficiat, imo producat ac faciat voluntatis *flexum*; quemadmodum e contra ea destitutus impossibile intrinsece et essentialiter est, ut homo velit, agat et operetur, ea ratione qua sine alis fieri nequit, ut quispiam in altum se attollat ac volet. Hinc actum prorsus esse inferunt de gratia, quae *vere* sit sufficiens; si enim nomen permutes, in quonam, essentia rei ac natura spectata, differt gratia sufficiens thomistarum praedeterminatione physica destituta, ut postulat ejus conceptus, a gratia parva jansenistarum? 4. Hinc patefaciunt ea omnia incommoda, quae ex eo profluunt: neminem scilicet operari posse aliter, quam quomodo operatur; impossibilia esse Dei praecepta iis omnibus, qui ea non servant, quandoquidem ideo non servent, quod physica praedeterminatione destituti sint; sicut enim impossibile est, imo implicat homines hac instructos praecepta non servare, ita implicat eadem servari ab eis, qui illa destituti sunt; quam insuper nec optare, nec velle, nec impetrare possunt, cum hi omnes actus conferantur ab ipsa praedeterminatione

(1) Cfr. inter ceteros pro hac sententia pugnantes praeter Gonetum loc. cit. Did. Alvarez, op. cit. disp. LXXXIII et seqq. praesertim XCI; Th. de Lemos, *Panoplia gratiae*, tom. I, tract. IV *De sensu composito et divino*; tom. III pag. I, tract. IV, *De concursu Dei praevie influente, prout nomine physicae praedeterminationis exprimitur*; tom. VI, tract. IV. *De auxilio divinae gratiae efficaci*. Hi enim uberrime de hoc argumento scripserunt. Cfr. etiam *Historia de auxiliis* P. Serry, vol. I fol.

(2) Sess. VI, cap. 6.

(3) Ita Bellarminus, *De grat. et lib. arbit.* lib. I, cap. 12, n. 8 et 9. Ast immerito, ut inferius dicemus.

(4) Ita Jansenius, *De grat. Salvat.* lib. VIII, cap. I et II aliique passim post ipsum. Cfr. de hoc argumento P. Livinus Meyer, praefatio in vol. I. *Hist. controv. de auxiliis*, art. IV *De mutua jansenistarum in praedictos Thomistas benevolentia*; et art. V. *Jansenistarum erga Thomistas amicitia simulata. Quos palam laudant, clam inter se rident atque contemnunt*. Ubi adductis documentis luculenter quod sibi proposuit ostendit. Qui praeterea, ibidem art. II et VII productis pariter documentis ostendit, Paschasium Quesnellum manum admovisse ad *Historiam de auxiliis* P. Serry emendandam et corrigendam, eodemque Serry probante, non pauca eaque falsa ex suo adjecisse.

physica. Haec aliaque ejusmodi non pauca incommoda enumerant, quae quisque per se mente revolvere potest (1).

312. Pergunt deinde ad eliminanda, quae ad hoc systema sive cohonestandum sive adstruendum afferuntur. Etenim, ajunt, nihil prorsus confert ad illius defensionem subtilis distinctio inter sensum compositum et sensum divisum. Quid enim sibi vult illud *in sensu composito*, nisi praesente gratia non posse hominem agere nisi id ad quod praedeterminatur? Verum cum adstruitur libertas, adstruitur praecise sub gratiae motione; quid refert si in *sensu diviso*, nempe absente gratia possit quis aliter agere (2)? Cum tamen conc. Tridentinum, cap. V. doceat, hominem posse gratiam respuere: *Quippe qui*, inquit, *illam et abjicere potest*.

313. Perperam porro Scripturarum aut patrum auctoritates adducuntur ad idem adstruendum systema, quod ab utrisque plane nimium differt. Scripturae enim et patres infallibilem quidem gratiae efficaciam adstruunt, ast nusquam hanc efficaciae infallibilitatem a physica praedeterminatione repetunt; imo eam prorsus eliminant in iis omnibus locis, in quibus peccatores arguunt, quod gratiae Dei eos convertere adnitenti restiterint, ut omnia evincunt, quae ad libertatem hominis sub gratia ac liberam voluntatis cooperationem adstruendam adversus haereticos adduci solent.

314. S. Augustinus nominatim semper confugit ad Dei praescientiam, ut gratiae efficaciam cum ejus infallibilitate componat. Perperam igitur a nonnullis apologia doctrinae s. Augustini prius intexitur, prout praestiterat Jansenius, pro certo sumentibus totum pro se Augustinum esse (3).

315. S. Thomas tantum abest ut huic systemati faveat, ut potius rejiciat veluti humanae libertati adversans. Sic enim loquitur s. Doctor in p. 2. dist. 28. q. 1. a 1: *Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret;* et ibid. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. modum declarans, quo Deus cum causis liberis concurrit, scribit: *In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur;* et alibi passim (4). Ad adductum vero textum aliosque ejusmodi reponunt, s.

(1) Cfr. Lessius, *De gratia effic.* cap. 2 et seqq. praesertim cap. 9; Suarez, *De divina grat.* part. II, lib. V, a cap. 9 ad cap. 24; Tricass. op. cit. p. III, sect. I et II, § I et seqq. Bastida apud Meyer, *Hist. controvers. de auxiliis*, lib. VI, cap. 15.

(2) Cfr. Liv. Meyer, diss. cit. *De mente conc. Trid.* cap. 8. *De sensu composito et diviso Calvini et aliorum;* quae extat vol. II *Hist. contr. de auxiliis vindicata*. Cfr. etiam Car. du Plessis d' Argentré, op. mox citando, cap. 4. *De sensu composito et diviso*, tum cap. 5.

(3) Cfr. ejusdem Liv. Meyer dissert. *De mente s. Augustini circa gratiam physice praedeterminantem*, quae est n. III, ibid. Cfr. item Tricassin. op. cit. *De indifferenti*, etc. tota p. II et p. III; Dechamps, *De sancti Augustini auctoritate*, cap. I et seqq.

(4) Cfr. Suarez loc. cit. nec non *Commentarius historicus de praedestinat. ad gloriam* Caroli du Plessis d' Argentré, socii sorbonici et doctoris; *De praedeterminat. physica* cap. 2; *Vera sententia s. Thomae de motione Dei ad operationem naturae creatae requisita;* et cap. 3. *Animadversiones in librum Antonini Massoulié de divina motione et libertate creata*.

Thomam tantummodo loqui de virtute, quam Deus intellectuali naturae tribuit se inclinandi, quam utique Angeli conferre non possunt; vel loqui de cooperatione divina, seu concursu simultaneo juxta veteris philosophiae placita (1), ut constat tum ex omnibus principiis simul collatis, tum ex omnium ferme antiquorum scholasticorum, praesertim vero thomistarum interpretatione, usque ad Bannezium praedeterminationum physicarum, ut vocatur, auctorem (2). Sic enim intellexerunt s. Thomam Cajetanus, Conradus, Capreolus, Soncinas, aliique passim (3). Sane, ceteris omissis, Cajetanus in p. 1. q. 19. a. 8. solvens primum argumentum Scoti, scribit, hanc propositionem: *Causa secunda movet seu agit in quantum mota a prima*, non posse intelligi de motione praevia propriae actioni causae secundae: *Non enim*, inquit, *causa secunda movet ob hoc praecise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria*. Hinc est, quod nusquam s. Thomas nominet praedeterminationem, nec ullum de gratia peculiare systema confecerit (4).

316. Dum vero ecclesia a Deo postulat, ut ipse rebelles ad se *compellat* voluntates, poscit ut id efficiat per gratias, quas ipse noverit liberum assensum a nobis obtenturas, cohaerenter ad fidem, quam ipsa profitetur de libera nostrae voluntatis cooperatione cum gratia sua, quacumque demum ratione propositum sibi effectum obtineat (5).

317. Facillime denique sibi videntur expedire se posse ab argumentis prolatis, petitis nempe a dominio Dei super creaturas. Quia si haec ratio valeret, multo magis admittenda essent placita calvinianorum et jansenistarum cum in istorum hypothesi magis eluceat ejusmodi dominium, et vel ipsa liberi arbitrii ac indifferentiae nomina eliminentur, quod nemo tamen prudens admittet. Ceterum non minus solliciti esse debemus de extollendo Dei dominio, quam

(1) Cfr. Fortunat. a Brixia, *Philosophia mentis*, tom. II. *Metaphys.* p. III, sect. III, n. 60 et seqq. Hinc etiam Gonetus loc. cit. progreditur ex principiis philosophicis de natura libertatis humanae, ut evincat libertatem bene consistere cum decreto determinante. Sic etiam Thomas de Lemos, aliique passim. Ex philosophia applicatum fuit hoc principium etiam efficaciae gratiae in theologia. Ex his liquet totam quaestionem hanc philosophicam potius quam theologicam esse, seu potius fuisse. Haec enim vix a recentiori philosophia eliminata non sunt.

(2) Cfr. *Hist. congr. de auxiliis*, Liv. Meyer, tom. I, lib. II, cap. I.

(3) Cfr. Lessius op. cit. cap. 5, n. 7, seqq. et cap. 8, n. 16, seqq.

(4) Cfr. Meyer, op. cit. lib. VI, cap. 17.

(5) Cfr. Dechamps, *De haeresi Jansen.* lib. III, cap. 7 et seq. ubi hoc idem argumentum ab orationibus petitum et objectum a Calvino et Jansenio dissolvit. Cfr. etiam Daniel, *Recueil de divers ouvrages philosophiques et théologiques*, Paris 1724, tom. II. *Traité théologique touchant l' efficacité de la Grâce*, praesertim vero *seconde partie, où l' on répond au livre du P. Serry, intitulé : Schola Thomistica vindicata*. Vid. etiam ibid. *Lettre du P. Daniel au R. P. Antonin Cloche*, et *Réponse au R. P. Serry*, una cum tribus aliis epistolis ad eundem datis. Cfr. etiam *Instruction pastorale de Monseigneur l' archevêque de Cambrai* (Fénélon), Cambrai, 1714, seconde partie, *Qui explique les principaux ouvrages de s. Augustin sur la grâce, l' abus que les jansenistes en font, et l' opposition de leur doctrine à celle des Thomistes*. Lettre XII, *Sur la prémotion des Thomistes*.

de sarta tectaque sub ipso tuenda hominis libertate ; quam de fide est integram in homine sub gratia perseverare . Falsam praeterea asserunt esse humilitatem , quae non consistat in veritate ; eo magis quod et novatores hanc humilitatem praetexuerint ad suos errores circa gratiam propinandos . Verba demum s. Pauli : *Quid habes* , etc. in quocumque systemate catholico verissima sunt , cum omnes profiteantur cum ecclesiae doctrina , nullum opus salutare neque operis salutaris initium haberi aut concipi posse absque subsidio gratiae praevenientis et excitantis .

§ II.

Systema Augustinianensium

318. Augustinianenses gratiae efficaciam explicant per delectationem coelestem ; quae si fulgens et ardens fuerit, *victrix* seu *efficax* censetur , sin remissa , *sufficiens* tantum haberi debet. Sedulo autem adnotant , se in eo differre a jansenianis , quod isti velint victricem gratiam inducere *necessitatem* , contra vero ipsi illam *infallibilem* quidem , at *non necessarium* effectum gignere affirment .

319. Ast moraliterne an physice delectatio hujusmodi agit in hominem , ejusque obtinet consensum? Physice reponunt , saltem recentiores , si sermo sit de statu naturae lapsae ; moraliter autem , si de statu naturae integrae ; adeo ut in praesenti naturae statu una cum thomistis admittant necessitatem physicae praedeterminationis , in statu autem naturae integrae cum congruistis illius necessitatem rejiciant .

320. Iisdem propterea argumentis pugnant , quibus pugnant thomistae ad physicam hanc praedeterminationem adstruendam in praesenti hominis conditione , et iisdem quibus congruistae ad eandem rejiciendam , cum quaestionem instituunt de statu naturae innocentis . His adjiciunt illa omnia testimonia , quae in causae suae subsidium adducit Jansenius , ut constituant relative victricem delectationem , qua gratia obtinet consensum ; cum eo tamen temperamento , quod modo indicavimus . Quocirca iisdem rationum momentis impugnatur systema istud , quibus thomistae et congruistae se se mutuo aggrediuntur , et quibus theologi omnes nituntur evertere fundamentum janseniani systematis. Supervacaneum proinde est in medium singillatim adducere argumenta adversae partis theologorum (1) .

§ III.

Systema Congruistarum

321. Congruistae , rejecta quavis physica praedeterminatione , nullam admittunt gratiam *a se efficacem* , quae nempe natura sua includat actum , ad quem datur , ac efficiat ipsum voluntatis flexum ; nullum idcirco agnoscunt discrimen essentiale seu, ut vocant , *entitatis* inter gratiam efficacem et sufficientem . Quare in horum systemate omnis gratia , quantum ex se est , et intrinseca ac propria virtute praebet in *actu primo* , ut aiunt , seu in potentia veram ,

(1) Cfr. card. Noris opp. edit. Veron. tom. I , *continens sacra* , et tom. II , dissert. V, *Jansenianі erroris calumnia sublata* , etc. Belelli , *Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae post lapsum* , vol. II in 4 , Romae 1737 ; Berti , *De theologicis disciplinis* , tom. III , *De gratia* , cap. 20 et seqq.

proximam et expeditam, relate ad circumstantias in quibus homo versatur, agendi facultatem. Hac propterea homo gratia instructus, si per liberum arbitrium se determinet ad bonum volendum et amplectendum, haec ipsa gratia fit efficax, cum per ipsum una cum auxilio cooperante reducatur ad *actum secundum*, ut vocant, seu ad effectum; si vero eidem resistat ac reluctetur, ita ut culpa sua eam inefficacem reddat, sufficiens manet et absque effectu.

522. Licet porro in horum systemate actus essentialiter non includatur in gratia ipsa, sed eidem extrinsecus sit, utpote proprius voluntatis a gratia praeventae et adjutae, non omnis tamen gratia aequalis est; sed alia est alia fortior, alia alia in se vividior. Quoties proinde Deus constituit quempiam absolute convertere, illam gratiam eidem impertitur, cui per praescientiam suam novit eum infallibiliter et libere consensurum. *Infallibiliter* quidem, alioquin Deus in scientia sua falleretur; *libere*, quia cum haec infallibilis cognitio actus futuri, consequens logice seu ordine sit ad liberam praevisam hominis electionem sub tali gratia, nulla exurgit ejusmodi assensus necessitas nisi hypothetica. Ex his constat, juxta hoc systema gratiae efficaciam infallibilem a duobus exurgere, et a virtute nimirum *intrinseca* ipsius gratiae tamquam a principio activo, et a scientia Dei tamquam a principio directivo.

523. Hac ratione, concludunt qui huic sententiae adstipulantur, sarta tecta dogmata fidei catholicae habentur de gratuitate et necessitate gratiae adversus pelagianos ac semipelagianos, ac de libertate hominis sub gratiae motione adversus novatores et jansenistas; mira denique elucet gratiae efficacis et liberi hominis consensus concordia (1).

524. Consonam vero esse hanc doctrinam sacris Litteris illa omnia testimonia evincunt, quae liberam hominis cooperationem supponunt ac praedicant ex. gr. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei* (II Cor. VII, 1.); *Convertimini ad me* (Is. XLV, 22; Jerem. XXXV, 15; Zachar. I, 3); *Sic currite ut comprehendatis* (I Cor. IX, 24); *Dei adjutores sumus* (ib. III, 9); *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* (Philipp. II, 12), aliaque ejusmodi prope innumera. Item testimonia illa, in quibus aperte dicitur, non ex defectu gratiae, sed ex sola hominum malitia inefficacia Dei auxilia extitisse, ex. gr. Is. V, 4: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Matth. XXII, 37: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* et similia. Jam vero quorsum haec omnia, si ad agendum aliquid praeterea requireretur, quod non esset in hominis potestate, cujusmodi est auxilium praedeterminans? Quid si Deus decrevisset, illud non praebere, prout illis omnibus non praebuit? Sed potissimum urgent, quod legitur, Matth. XI, 21: *Vae tibi, Corozaïn, vae tibi, Bethsaïda; quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent*. Ex quibus verbis liquet, eandem gratiam futuram fuisse efficacem apud Tyrios Sidoniosque, quae inefficax fuit apud cives Corozaïn et Bethsaïdae, alioquin Christus frustra, imo injuste prorsus eos objurgasset, quia id non praestiterunt, quod in eorum potestate non erat ut facerent.

525. Nec aliud, pergunt, docuit s.

(1) Cfr. Bellarm. *De grat. et lib. arb.* lib. I, cap. 12.

Augustinus, qui physicam praedeterminantem motionem repellit, ut vidimus, ac omnipotentiam et scientiam Dei semper conjungit, ut gratiae efficaciam seu infallibilem ejus effectum amice cum libertate consociet in eo, quem decrevit Deus absolute convertere. Hinc usitata ejus loquendi ratio de *vocatione congrua*, dum de ejusmodi gratia disserit (1). Ac demum luculenter affirmat, cum eadem gratia alium converti, alium vero non item ex voluntatis defectu: *Noluit Esau*, inquit, *et non cucurrit; sed et si voluisset, cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam currere et velle vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret* (2). Id ipsum scribit de Tyriis et Sidoniis, qui *etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent* (3).

326. Angelicus Doctor et ipse pro certo ac explorato assumit, ex hominum cooperatione fieri, ut eadem gratia praeventi et adjuti alii aliis magis proficiant. Decretoria plane sunt ejus verba, p. 3. q. 69. a. 8. ad 2: *Quia*, inquit, *etiamsi aequalem gratiam* (duo) *percipiant, non aequaliter ea utuntur; sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest*. Eadem alibi passim inculcat (4).

327. Tandem ut hi theologi calumnias depellant, quibus potissimum jansenistae contendunt hanc doctrinam obscurare, animadvertunt, licet quandoque natura sua seu ratione *doni* una eademque sit gratia, qua alius convertitur, alius vero non convertitur, non unam tamen eandemque esse ratione *beneficii*; sive quia datur ut praevisa efficax uni potius quam alteri: sive quia una est intensior ac vividior altera; sive quia confertur in iis circumstantiis, in quibus praevidetur certus et infallibilis futurus assensus. Hac ratione, inquiunt, in toto est supremum Dei dominium in creaturas et gratuita ejus vocatio, dum ex beneplacito suo fortiter simul ac suaviter obtinet effectum, quem intendit et in quo intendit, dumque integris libertatis juribus humanam voluntatem omnipotentissima virtute sua inflectit. Qui autem convertitur tali gratia adjutus, quae saltem ratione beneficii altera gratia potior est, nihil habet in quo gloriari possit; numquam siquidem conversus fuisset, nisi gratia, et tali gratia esset a Deo praeventus; nec propterea seipsum ab alio discernit virtute sua, quem idcirco jure compellare Apostolus potest: *Quid habes, quod non accepisti?* etc. Qui vero non convertitur, sed vocationi divinae resistit, cum omnia per ejusmodi gratiam consecutus fuerit, quibus expedite ac proxime obsequi potuisset, sibi soli imputare debet, si eidem non obtemperavit. Ex quo et illud profluit, nonnisi summa injuria *versatilem* ejusmodi gratiam posse vocari; versatile enim illud censeri debet, quod in utramque partem flectitur; hoc autem in gratia contingere nequit; si enim homo eidem pareat, illa obtinet suum effectum; quod si ei resistat eamque respuat, caret effectu suo; neque enim ad peccandum gratia opus est. Alioquin, si versatilis nuncupanda esset gratia, cui homo reluctari potest et obsistere

(1) Cfr. Tricass. *De indifferenti*, etc. part. II, sect. LIV.

(2) *Ad Simplic.* lib. I, quaest. II, num. 10.

(3) Lib. *De dono persev.* c. 14, num. 34.

(4) Vid. Daniel, *Lettres au R. Père Alexandre*, in op. cit. praesertim lettre X. Vid. pariter Franc. Xaver. Mannhart S. J. *De ingenua indole gratiae efficacis* dissertatio, quae extat in *Thesauro* Zachariae, tom. V.

malitia sua, versatilis esset dicenda gratia, qualis a Tridentina synodo asserta ac definita est adversus novatores, cui scilicet homo semper resistere potest, quod tamen nemo catholicus dicet; versatilem gratiam consecuti essent Judaei illi, quos s. Stephanus arguit, quod semper Spiritui Sancto restiterint. Adeo verum est, ajunt, in disputationis aestu minus considerate verba proferri! Quod demum ab ipsis jansenistis adducitur ex actis congregationis *De auxiliis* de Constitutione jamjam imminenti, qua systema istud foret damnationi subjicien-

dum, ab ejusdem patrocinatoribus tamquam fabula respuitur, utpote erutum ex actis a Pegna, Coronello et Lemosio conscriptis, quibus nullam habendam fidem esse solemni Decreto Innocentius X. die 23 aprilis 1654. edixit (1).

328. Et haec quidem in suae causae patrocinium congruistae. Ceterum adversae partis theologi non pauca excipiunt; ac potissimum, quod gratia versatilis foret in ejusmodi systemate; quod adversentur eidem quae Scripturae et patres de gratiae virtute ac efficacia praedicant; quod eadem oriantur ex eo

(1) En verba Decreti: « Ceterum, cum tam Romae quam alibi circumferantur quaedam acta manuscripta, et forsitan typis excusa, congregationum habitarum coram fel. rec. Clemente VIII et Paulo V super quaestione de auxiliis divinae gratiae, tam sub nomine Francisci Pegnae, olim Rotae Romanae decani, quam F. Thomae de Lemos, ord. praed., aliorumque praelatorum et theologorum, qui, ut asseritur, praedictis interfuerunt congregationibus, nec non quoddam autographum seu exemplar assertae constitutionis ejusdem Pauli V super definitione praedictae quaestionis de auxiliis ac damnationis sententiae seu sententiarum Ludovici Molinae Soc. Jesu, eadem Sanctitas sua praesenti hoc suo decreto declarat ac decernit, praedictis assertis actis, tam pro sententia FF. ordinis s. Dominici quam Ludovici Molinae aliorumque Soc. Jesu religiosorum et autographo sive exemplari praedictae assertae constitutionis Pauli V nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quaestione praedicta observanda esse decreta Pauli V et Urbani VIII suorum praedecessorum ». His non deterritus jansenista Grégoire in *Histoire des sectes religieuses*, Paris 1828, tom. II, chap. XXI, pag. 304, scribere non erubuit: « Sa condamnation (doctrinae Molinae) était sur le point d'être prononcée par Clément VIII, quand ce pape mourut subitement. Sous Paul V, son successeur, la bulle de condamnation était rédigée; mais les jésuites lui avaient rendu un service important dans des circonstances épineuses, leur crédit en empêcha la publication ». Bene tamen comes De Maistre, *De l'église Gallicane*, édit. de Lyon, tom. I, liv. I, chap. IX, De Molina ejusque systemate haec habet: « Un homme de génie, auteur d'un système, à la fois philosophique et consolant, sur le dogme redoutable qui a tant fatigué l'esprit humain, système qui n'a jamais été condamné et qui ne le sera jamais; car tout système publiquement enseigné dans l'église catholique pendant trois siècles, sans avoir été condamné, ne peut être supposé condamnable; système qui présente après tout le plus heureux effort qui ait été fait par la philosophie chrétienne pour accorder ensemble, suivant les forces de notre faible intelligence *res olim dissociabiles, libertatem et principatum* ». Atque in nota (3) subdit: « On sait que l'esprit de parti, qui ne rougit de rien, est allé jusqu'à fabriquer une bulle qui anathématise ce système. Observons que ces rebelles, qui bravent les décrets du Saint-Siége, les croient cependant d'un tel poids dans leurs consciences, qu'on les verra descendre jusqu'au rôle de faussaire pour se procurer cet avantage contre leurs adversaires. Ainsi bravant l'autorité, ils la confessent ».

incommoda quibus isti contrariam sententiam impetunt; quia, si gratia, quae confertur illi qui convertitur, saltem ratione beneficii major aut uberior sit ea, quae tribuitur illi qui non convertitur, nulla est causa, quare iste objurgari possit, quod se non converterit; aliaque ejusmodi opponunt, quae longum esset recensere (1).

329. Interim ex his nos concludimus, longe praestare quaestionem hanc satis obscuram, quaeque suis difficultatibus in quovis systemate non caret, omnino deserere, cum impossibile videatur posse eidem quaestioni affundi uberiorem lucem post tot disceptationes, quae tanta animorum contentione hinc inde agitatae sunt. Juverit propterea, his dimissis, profiteri cum ecclesia catholica, gratiam efficacem libertati humanae haudquaquam adversari, cum ei semper possit homo resistere, secus ac doceant novatores et jansenistae ab ecclesia idcirco proscripti. Circa rationem autem qua gratiae efficacia et hominis libertas simul amice consistant, nostrum non est curiosius investigare; quae investigatio forte non fieret absque gratiae illius amittendae periculo, pro qua contenditur. Cum vero haec ipsa ecclesia nihil circa hanc rationem definierit, poterit quisque ei sententiae tuto adhaerere, quam viderit melius prodesse ad novatorum et jansenistarum difficultates repellendas (2). Ita fiet ut Catholici omnes arctiori inter sese foedere conjuncti, unius labii ac cordis effecti, consociatis quodammodo viribus et animis felicius praeliari possint praelia Domini adversus tot fidei infensissimos hostes, qui in dies insurgunt ad evertendam, si fieri posset, ecclesiam, quam *Deus acquisivit sanguine suo*.

330. Sane tum thomistae longe absunt ab omni calvinianismi suspicione, tum augustinianenses a jansenianismo, tum denique congruistae a semipelagianismo; alioquin, si ejusmodi labe ipsorum systemata infecta essent, ecclesia profecto non solum eos non commendaret, sed procul a se abjiceret. Porro Romani Pontifices non semel eos, eorumque doctrinam ac labores laudibus extulerunt. Satis sit inter cetera documenta, quae in hujus rei confirmationem adduci possent, afferre verba Constitutionis, quam edidit Clemens XII, die 2. oct. 1733. quibus hactenus dicta mirifice comprobantur. In ea igitur Constitutione, quae incipit: *Apostolicae providentiae*, praemissa mentione Constitutionis *Unigenitus*, ita pergit R. Pontifex: *Nos paterna quoque sollicitudine inhaerentes magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis effusas nondum ex quorumdam mentibus satis esse di-*

(1) Videri possunt apud auctores citatos pro utraque sententia.

(2) Hinc Albertini ord. praed. *De grat.* Acroasi XIV, n. 15 et 16: « Quamquam, *inquit*, infortunatus (fatendum tandem candide) congregationum de auxiliis exitus satis rem conficit, nihil scilicet in acerrimis illis disputationibus de fide, totum de adiaphoris .... Ita me sentire volunt et reverentia erga indemnatos theologos, et pietas adversus ecclesiam, quae singulos dicta sua propugnare libere sinit, et perspicue veritatis amor, qui theologo maxime cordi esse debet, et jansenistarum potissimum mala mens, ut videant, nihil de veteri ecclesiae fide apud nos immutatum, nec apostolicam Sedem semipelagianam haeresim fovere, sed scholasticas opiniones pati, quae, si rite expendantur, omnes ex aequo et gratiae necessitatem ac vim, et arbitrii nostri jura (hoc jansenianis maxime displicet) rite custodiunt et feliciter explicant.

scussas, sed plerosque etiam intolerabili pertinacia contendere, censura laudatae Constitutionis doctrinam ss. Augustini et Thomae de divinae gratiae efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, universis et singulis Christi fidelibus . . . . in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et sub canonicis poenis mandamus, ne disputantes aut docentes, sive in scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter, propositiones defendant aut enuncient, quae antedictas novatorum calumnias firmare, aut promovere possint. Mentem tamen eorumdem praedecessorum perspectam habentes, nolumus aut per nostras aut per ipsorum laudes Thomisticae scholae delatas, quas iterato nostro judicio comprobamus et confirmamus, quidpiam detractum ceteris catholicis scholis, diversa ab eadem in explicanda divinae gratiae efficacia sentientibus, quorum etiam erga hanc Sanctam Sedem praeclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam et libere ubique etiam in hujus almae Urbis luce docuerunt et propugnarunt . . . . Pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus praecipit, inter Catholicae Ecclesiae filios fovere et communire debemus, et curamus, ut, conjunctis diversarum licet scholarum studiis, firmius sit adversus erroris insidias praesidium.

ARTICULUS III.

De gratia sufficienti

551. Gratia sufficiens ex omnium catholicorum sensu ea est, quae homini vires praebet veras ac perfecte completas, et quidem relate ad praesentes ejus circumstantias, ad opus bonum eliciendum. Dispesci solet in proxime ac remote sufficientem. Prior est ea, quae potentiam seu facultatem ad agendum immediate confert; posterior vero, quae nonnisi mediante oratione, eleemosyna, etc. ejusmodi facultatem suppeditat. Juxta notissima s. Augustini verba, a Tridentino concilio usurpata, *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis* (1). Ideo autem sufficiens dicitur, quia ad discrimen efficacis effectum non sortitur, ad quem datur, ex humanae voluntatis resistentia, seu ex hominis culpa. Praeter novatores nullam admittendam esse gratiam sufficientem jansenistae docent, ut superius diximus, etsi verbis ad fallendum compositis utantur. Dum enim gratiam *parvam* commendant, quam sufficientem etiam interdum vocant, non significant nisi gratiam sufficientem, quae talis sit, ut loquuntur, *absolute*, non autem *relative* ad subjecti circumstantias: ac propterea sufficientem nomine admittunt, reipsa tollunt (2). Ad hunc propterea eliminandum errorem, sit:

(1) Sess. VI, cap. II.

(2) Cfr. Dechamps, qui *Haeres. Jans.* lib. I, disp. VIII, *De gratia sufficienti*, cap. I, ostendit, Jansenium omnem gratiam sufficientem rejecisse. Sane Jansenius inscribit cap. 3, libri 3. *De grat. Salvat. Quam monstrosa sit gratia sufficiens*. Cap. 2 ostendit ibid. Dechamps hanc doctrinam Jansenium deprompsisse a recentioribus haereticis. Cap. 3 evincit, argumenta, quibus Jansenius probare nititur, nullam hoc in statu gratiam effectu suo carere, ex haereticis descripta esse. Interdum tamen tam Jansenius quam ejus asseclae gratiam *parvam* ab ipsis admissam non dedignantur vocare *sufficientem*, non quatenus reipsa sufficiat *ad agendum*, sed tantum ad jansenianos tuendos ab armis adversariorum; atque, ut nonnulli inter ipsos loquuntur, quam-

PROPOSITIO

Datur in praesenti statu gratia mere et vere sufficiens quae homini completam et relative ad praesentes ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia

332. Diximus in *praesenti statu*, nempe naturae corruptae, dari gratiam mere ac vere sufficientem; siquidem fatentur jansenistae, tum Angelis tum homini innocenti ejusmodi gratiam collatam fuisse (1). Dum vero de hac gratia loquimur, sub ejus nomine vel proxime vel remote sufficientem significamus. Quod etiam intelligi volumus de iis, de quibus postea disseremus.

333. Haec autem propositio de fide est, prout constat ex contradictoriis propositionibus tamquam haereticis in sensu Jansenii damnatis, quarum prior est: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*. Sed gratia, qua possibilia fiunt divina mandata, nec tamen observantur a justis, est gratia mere et vere sufficiens; ergo de fide est dari in praesenti statu talem gratiam. Altera Jansenii propositio est: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur*. De fide proinde est in praesenti statu dari gratiam cui resistitur; talis est autem gratia mere ac vere sufficiens; ergo.

334. Jure porro meritoque ut haereticas damnatas fuisse duas has Jansenii propositiones, darique propterea in praesenti statu gratias mere ac vere sufficientes, sic in primis ex Scripturis ostendimus. Is. V, ita Deus loquitur: *Judicate inter me et vineam meam: quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Christus, Matth. XXIII, 37, ita Jerusalem increpabat: *Jerusalem, Jerusalem . . . Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*. Stephanus demum Judaeorum incredulitatem et duritiem arguens, Act. VII, 51: *Vos*, inquit, *semper Spiritui Sancto resistitis*. Unde sic ratiocinamur. Ibi gratia vere et pure sufficiens adstruitur, ubi Deus profitetur se ea auxilia contu-

vis per summam injuriam, vocant gratiam *sufficientem in sensu thomistico*. Quapropter quidam professores Duacenses scribebant ad Arnaldum: « Gratia sufficiens thomistarum est veluti nebula, in cujus sinu mysteria gratiae obvolvuntur. Si illa non sufficit ad agendum, sufficit ad nos tuendos ab armis adversariorum ». Et D. de Lygny, *epist.* v Augusti scripta anno 1690: » Necesse est, *inquit*, uti voce gratiae sufficientis in sensu thomistico, ad illius societatis effugiendum impetum, quae nescit parcere ». En ipsius verba: « Je suis persuadé que la grâce suffisante des Thomistes est une sottise; cependant il me semble, comme vous l'enseignez vous même (scilicet Arnaldus ad quem scribit), qu'il est nécessaire de se servir de ce mot de grâce suffisante au sens des Thomistes, pour éviter la persécution de la societé vindicative ». Cfr. *Le véritable esprit des nouveaux disciples de s. Augustin*, Bruxelles 1706, tom. I, IX lettre, pag. 228 et seqq. ubi plura alia documenta ejusmodi inveniuntur. Cfr. etiam *Lettre* VIII *du R. P. Daniël au R. P. Alexandre*.

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti*, etc. part. II, sect. LIII.

lisse, quibus homines recte utentes poterant ac debebant bene ac salutariter agere ac operari, et quae effectu suo non caruerunt nisi ex sola culpa ac resistentia illorum qui ea receperunt, et hac ipsa de causa a Deo graviter arguuntur; atqui . . . ; ergo.

335. Scripturarum auctoritati s. Augustinum adjicimus; ex cujus prope innumeris testimoniis, quae adduci possent, unum aut alterum proferemus. Nam, lib. *LXXXIII Quaestionum*, haec habet: *Ad illam coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate . . . Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus* (1), *non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit* (2). *Lib. de Spir. et litt.* loquens de infidelibus evangelio non credentibus, ait: *Experturi* (sunt) *in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt* (3). Praeterea s. Doctor aperte negat omnem gratiam efficacem esse dicens: *Sed, si vocatio ista ita est effectrix bonae voluntatis ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit: multi vocati, pauci electi* (4)? Et alibi passim constanter id ipsum docet (5).

336. Hanc doctrinam non minus aperte tradit Tridentina synodus, dicens: *Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet): *Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet*, etc. (6). Ergo ex concilio omnes justi habent gratias relative necessarias ad divina mandata servanda. Sed plures justi ea non servant et a justitia excidunt. Ergo non efficaces, sed vere solum et mere sufficientes gratias ad ea servanda, qui delinquunt, consequuntur. Id ipsum jam declaraverat concilium Arausicanum II, can. XXI; cui consonat synodus Tridentina. Demum huc spectant propositiones in Quesnello damnatae; scilicet IX: *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri numquam possumus, et cum qua numquam illum abnegamus;* et X: *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare;* aliaeque ejusmodi, quae eundem sensum prae se ferunt, etsi diversis verbis expressae (7).

337. Ratio vero theologica ineluctа-

(1) Et hic obiter notetur, s. Augustinum non refragari quominus quispiam sibi tribuat consensum, quem gratiae praestitit, nec existimare Apostoli verba: *Quid habes quod non accepisti?* huic libero assensui contraria esse.

(2) Quaest. LXVIII, n. 5.

(3) Cap. 33, n. 58.

(4) *Ad Simplic.* lib. I, quaest. II, n. 13.

(5) Cfr. Tricass. *De indifferenti*, etc. part. 2, sect. LIII, ubi innumeris prope adductis ex s. Doctore testimoniis evidenter ostendit, ipsum locutum esse de gratia interiori ac medicinali, cui saepe resistitur. Id ipsum praestitit P. Dechamps, op. cit. lib. III, disp. VIII, cap. I et seqq. ac omnia Jansenii diverticula luculenter non minus quam solide evertit.

(6) Sess. VI, cap. II.

(7) Cfr. in has propositiones P. Fontaine in cit. opp. *SS. D. N. Clementis Papae*

bilis est. Etenim Deus, ut suo loco ostendimus (1), etiam in praesenti statu vere ac sincere vult omnium hominum salutem ac praeceptorum suorum observationem; ergo omnibus suppeditat media ad utrumque finem assequendum necessaria. Sed iis non obstantibus multi quotidie peccant ac pereunt; ergo non efficacia, sed solum sufficientia ejusmodi subsidia seu gratiae saepe sunt (2); seu, quod eodem recidit, datur in praesenti statu gratia mere et vere sufficiens, etc., prout probandum assumpsimus.

DIFFICULTATES

538. I. Obj. 1. Praeterquamquod nuspiam in Scripturis gratia ista sufficiens commemoratur, 2. aperte ab iis excluditur in omnibus illis locis, quae divinae voluntatis ac omnipotentiae Dei vim extollunt: *Verbum, quod egredietur de ore meo*, ait Dominus apud Isaïam, LV, 11, *non revertetur ad me vacuum; sed faciet, quaecumque volui*. Et Ps. CXIII, 3: *Deus noster in coelo omnia, quaecumque voluit, fecit*. Rom. IX, 19: *Voluntati ejus quis resistit?* inquit Apostolus, qui paulo ante (15 et 16) jam dixerat ex Dei nomine: *Miserebor, cujus misereor; et misericordiam praestabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. 3. Sane, inquit Christus, Joan. VI, 45: *Omnis, qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me*. Quae verba expendens s. Augustinus: *Quid est*, interrogat, *omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me, nisi, nullus est qui audiat a Patre et discat, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit; nam, si audivisset, et didicisset, veniret* (3). Ergo nulla datur gratia mere sufficiens, cum nemo sit, qui verae ac internae vocationi resistat.

539. Resp. ad 1. *D*. Nomen seu vox *gratiae sufficientis* nuspiam in Scripturis commemoratur, prout pariter non occurrit nomen *gratiae efficacis*, *C*. non commemoratur res per nomen significata *N*. Quae attulimus ex Scripturis testimonia id abunde docent.

540. Ad 2. *N*. Etenim superius jam animadvertimus, duo ab adversariis permisceri, quae sunt inter se distinguenda, *omnipotentiae* scilicet ac *voluntatis* divinae vim et efficaciam, ac vim et efficaciam gratiae. Divinae omnipotentiae ac voluntati, quidpiam absolute decernenti, nemo profecto est qui resistat aut resistere possit. Tot enim ac tanta eidem suppetunt adjumenta ad finem obtinendum, quem absolute intendit, ut impossibile sit talem finem Deum non assequi. Ast non idem dici potest de gratia, quam homo semper respuere potest, seu cui potest assensum denegare. Ideo Deus, juxta s. Augustinum, cum quempiam vult absolute convertere, eam gratiam

xi *Constitutio Unigenitus theologice propugnata*, tom. 1, pag. 154 et seqq. ubi copiose eas refellit, ostendendo eas haereticas esse, ac non minus Scripturis, quam patrum, praesertim s. Augustini auctoritati ac conciliorum definitionibus adversari.

(1) Tract. *De Deo*, num. 460 et seqq.

(2) Cfr. auctores citati nec non P. Daniel, *Traité théologique touchant l' efficacité de la grâce*, qui invenitur in op. *Recueil de divers ouvrages philosophiques, théologiques*, etc., par le R. P. Daniël de la comp. de Jésus. Paris 1724, tome second.

(3) Lib. *De praedest. sanct.* cap. VIII, n. 13.

seligit ac confert, cui per scientiam suam praevidet libere quidem, verumtamen certe eum assensurum. Nempe illum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat. Nec aliud evincunt objecta testimonia Scripturarum, quae semper loquuntur de omnipotentia ac voluntate Dei, non autem de adjumentis seu de gratiis, quibus utitur divina omnipotentia aut quod idem est, divina voluntas ad conversionem, quam efficaciter vult, obtinendam. Ut igitur aliquid proficerent adversarii, deberent ostendere Deum semper absolute velle aut conversionem aut mandatorum observantiam. Ast quomodo id poterunt efficere, si in singulis fere sacrarum Scripturarum paginis Deus conqueritur de hominum malitia, resistentia, duritie, ob quas ejus voluntati obsistunt, ita ut flagella ac punitionem aeternam eis minitetur? Quae quidem sunt totidem argumenta ineluctabilia ad evincendum, non semper Deum absolute quidpiam velle, ac propterea gratias hominibus conferre, quibus isti, si velint, obluctentur; alioquin aut Deus fingeret, nec serio haec diceret, aut poenas aeternas intentaret hominibus, qui absque sua culpa deliquissent, quae sunt absurda. Et hinc responsio patet ad singula adducta loca, quibus responderi debet, *D.* Verbum Dei faciet quaecumque Deus vult, aut Dei voluntati nemo resistit, etc. cum Deus quidpiam absolute intendit aut decernit, et quidem per media idonea, *C.* si ea ratione nec intendat nec velit *N.*

341. Ad 3. *D.* Omnis venit, qui audivit *et didicit*, id est, assensum praebuit, *C.* qui solum audivit, at non didicit seu assensum recusavit *N.* Plures enim sunt, qui audiunt, at non discunt, non ex defectu loquentis, sed audientium, qui *nolunt intelligere ut bene agant* (1). Quare Theophylactus illud *didicit* exponit, *credidit*. Eodem sensu loquitur s. Augustinus, nempe de gratia efficaci seu reduplicative sumpta, qui scholarum est sermo. Hinc *negamus conseq.* Si enim verae ac internae vocationi nemo resisteret, non dixisset Deus, Prov. I, 24. *Vocavi, et renuistis;* aut Is. LXV, 12: *Pro eo quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis . . . et quae nolui elegistis.*

342. Inst. 1. S. Augustinus de gratia efficaci exponit verba Christi, Joan. VI: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater . . . traxerit eum* (2). Ergo cum sine gratia efficaci nemo possit venire, patet gratiam sufficientem nullam existere, quae completam conferat agendi potentiam. 2. Etenim, *si Deus misereretur, etiam volumus*, ut idem Sanctus testatur (3). 3. Ideo autem Deus alicujus miseretur impertiendo ei gratiam, quia vult eum salvare; divinae autem voluntati salvandi hominem, juxta eundem numquam resistitur; sic enim loquitur: *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium* (4). Ergo.

343. Resp. ad 1. *Dist. cons.* Nemo potest efficaciter venire, nisi efficaciter trahatur seu ex praeviso hominis consensu, *C.* nemo potest absolute seu simpliciter venire, nisi ita trahatur, *N.* Ac propterea *nego sequelam*. Responsio patet ex superius dictis (5).

344. Ad 2. *D.* Si Deus ita miserea-

(1) Ps. XXXV, 4.

(2) *Tract.* XXVI *in Joan.* num. 2 et seqq.

(3) *Ad Simp.* Lib. 1, q. II, n. 12.

(4) *Lib. de corrept. et grat.* cap. 14, n. 43.

(5) Ut luculentius pateat mens s. Doctoris, satis est afferre ejus verba ex loco nobis

tur, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, *C.* secus *N.*

345. Ad 3. *D.* Divinae voluntati salvandi hominem *absolutae* juxta dicta, *C.* conditionatae *N.* De hac enim conditionata voluntate sic loquitur idem Sanctus: *A quo interitu, hoc est, a poenis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non obsistant misericordiae Creatoris sui* (1).

346. II. Obj. Haec doctrina de gratia sufficienti pro praesenti hominis statu adversatur universae theoriae s. Augustini, quam ipse tradidit praesertim in *Libro de Corrept. et grat.* Etenim s. Doctor. in hoc libro 1. pro certo sumit, dari disparitatem inter gratiam status naturae innocentis et status naturae lapsae; ita ut in statu naturae innocentis Deus contulerit gratiam sufficientem, quam homo respuere posset, prout reipsa eam respuit; in statu autem naturae lapsae conferat gratiam efficacem seu longe validiorem, quam homo respuere nulla ratione valeat. 2. Hinc propterea duplex illud celebre adjutorium distinguit, quod recte vocaveris clavem ad intelligentiam doctrinae s. Augustini aptissimam, imo unicam: « Ipsa adjutoria, *inquit*, distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, SINE QUO aliquid non fit, et aliud est adjutorium, QUO aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen, cum adfuerint alimenta, fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vera beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium et quo fit est, et sine quo non fit . . . Primo itaque homini . . . datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur . . . Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quae sine ullo fuerat constituta peccato, et nihil ex se ipso ab concupiscentiae impetu resistebat . . . Nunc vero, postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas . . . Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut cum divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur » (2). Ergo.

347. Resp. *Neg. antec.* Theoria enim

objecto. Sic porro loquitur, n. 4: « Noli te cogitare invitum trahi; trahitur animus et amore . . . Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui » Et paulo infra; « Da amantem, et sentit quod dico. Da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem aeternae patriae suspirantem, da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quod loquor ». Demum n. 7. concludit: « Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo ».

(1) Lib. *De catechiz. rudib.* cap. 25, n. 56.

(2) Cap. 12, n. 34, 37 et 38. Hic mire exultant Calvinus, Jansenius eorumque asseclae.

s. Augustini est, gratia medicinali Salvatoris hominem lapsum et infirmum fuisse *sanatum* (1), *restitutum ad pristinum statum*, ex quo ceciderat (2), *instauratam imaginem Dei*, in qua conditi eramus (3), ut toties inculcat. Jam vero, adversariis fatentibus, primus homo seu homo innocens praeditus erat libertate indifferentiae, gratiis pollebat indifferentibus; ergo ex s. Augustini doctrina homo lapsus eadem libertate indifferentiae iisdemque gratiis instructus sit necesse est.

548. Cum tamen homo innocens in absoluta naturae integritate existeret, ac plena propterea libertate frueretur ad bonum agendum, ac perseverandum in eo statu, in quo constitutus a Deo fuerat; ideo ipsi opus non erat ad actus salutares eliciendos nisi gratia illustrationis, qua ad hos actus excitaretur. Contra vero homo lapsus, ob amissam per peccatum illam integritatem ac naturae vigorem infirmus effectus est, et gravibus urgetur interioribus ac exterioribus tentationibus, quae maxime sibi sunt impedimento ad bonum cognitum volendum et amplectendum; sola proinde gratia illustrationis non recuperaret amissam illam libertatis plenitudinem, quam habuit homo integer. Ad hanc igitur integritatem recuperandam, restituendam ac restaurandam, seu ad adipiscendam illam plenitudinem libertatis necessaria praeterea eidem est gratia inspirationis seu fortitudinis, vigoris ac roboris, qua possit omnia interna ac externa impedimenta vincere ac superare. Hanc porro homini lapso promeritus est Christus, et hanc gratiam sanitatis seu voluntatis, ut vocant, quae gratia illustrationis longe firmior ac fortior est, vindicat et adstruit s. Augustinus adversus pelagianos in lib. cit. Imo ulterius progreditur; disputans enim adversus monachos Adrumetinos totus in eo est, ut gratiam hanc sanitatis, qua instruitur homo lapsus per Christi merita, efferat et commendet prae illustrationis gratia, qua praeditus erat homo innocens. Inter cetera porro discrimina et hoc recenset, quod gratia illa dederit primo homini solam perseverantiae possibilitatem seu potentiam; cum haec conferat et ipsam perseverantiam, ut patet in praedestinatis, qui eam actu habuerunt; etsi magna intercedat disparitas inter conditionem hominis innocentis et hominis lapsi relate ad facilitatem vel difficultatem perseverandi, ut ipse s. Doctor late prosequitur (4). Perperam tamen quispiam inferret, non dari hominibus lapsis aliam gratiam praeter efficacem, aut perseverantiam ipsam finalem, prout activa et passiva est. Numquam talis mens fuit s. Augustini; ut constat ex omnibus locis, quae ex ipso adduximus, et longe pluribus, quae afferri possent. Si his addatur, quod alias non semel animadvertimus, hanc gratiae efficaciam ex praescientia Dei, quae ipsius omnipotentiam comitetur, repeti a s. Doctore, patet totam male constructam corruere adversariorum machinam (5). His praemissis ad intelligentiam s. Augustini, respondemus ad singula.

549. Ad 1. prob. *D.* Pro certo su-

(1) *De civ. Dei*, lib. XIV, cap. II, n. 2: *Ea*, inquit, *quae vitiata ac depravata fuerat* (natura) *sanata atque correcta*.

(2) *Retract.* lib. I, cap. 9, n. 2.

(3) Lib. *De spir. et litt.* cap. 27, n. 47. Alia vide apud Tricass. op. cit. part. II, sect. XXI.

(4) Num. 38.

(5) Cfr. Tricassin. op. cit. part. II, sect. XXIII; tum in op. cui titulus: *De praedestinatione ad gloriam*, part. I, sect. IV, punto I, ubi plura profert s. Augustini testimonia ad hoc evincendum. Cfr. etiam idem auctor, *De indifferenti*, etc. part. II, sect.

mit s. Augustinus, dari disparitatem inter gratiam hominis innocentis ac lapsi, quod nempe illa fuerit illustrationis et haec praeterea inspirationis, *C.* quod illi resisti potuisset, isti vero non possit *N.*

350. Ad 2. *D.* Ita ut per *adjutorium sine quo* significet s. Doctor gratiam illustrationis et per *adjutorium quo* gratiam inspirationis, quae praedestinatis tribuat ipsam actualem perseverantiam, *C.* gratiam indifferentem et gratiam solum efficacem pro status diversitate *N.* Responsio patet ex dictis (1).

LV. Satis hic sit, luculentissimum testimonium adducere ex s. Doctore, inter innumera quae afferri possent, ut pateat, ipsum plenam ac perfectam agnovisse hominis lapsi electionem sub gratia. Sic enim loquitur, *Enarr. in Ps.* LI, exponens verba illa: « Dilexisti malitiam: Benignitas ante te; iniquitas ante te; compara et elige ». Et infra ibid. loquens de lingua: « Ante te, *inquit*, est aequitas, ante te est iniquitas, unam linguam habes, quo vis eam vertis: quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad aequitatem? . . . Sicut eligis quo vescaris, sic elige, quid loquaris; praeponis iniquitatem aequitati, et praeponis malitiam benignitati, tu quidem praeponis ». Et inferius: « Ecce, quo te teneas, ad id quod manet in aeternum. Nam ad foenum et ad florem foeni si te tenueris, quoniam foenum arescet, et flos decidet, destruet te Deus in finem » (n. 10 et 12.) Ubi evidenter omnimodam liberam electionem boni aut mali s. Doctor commendat, et propriam hominis determinationem ad unum eorum per haec verba: *tu praeponis* et *quo te teneas*. Et rursum in Ps. XCI, n. 3: « Satanas, *inquit*, astutiam suadendi habet. Sed si Satanas loqueretur, et taceret Deus (scilicet non suadens contrarium per gratiam suam), haberes unde te excusares; modo aures tuae positae sunt inter monentem Deum et suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, et hinc avertuntur? Non cessat Satanas suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum; in tua potestate est consentire aut non consentire », etc. Quid clarius pro libera electione sub gratia, quae respui possit?

(1) De hoc celebri Augustini effato, quo tantopere gloriatur Jansenius, quasi primus illud vidisset, ac propterea illud passim appellat clavem, quae aperit intelligentiam controversiae inter pelagianos et s. Augustinum, quaeque patefacit discrimen inter gratiam sanitatis et medicinalem, etc. de celebri, inquam, hoc effato et Jansenii invento cfr. p. Dechamps, op. cit. *De haeresi janseniana*, lib. I, qui est de *Jansenio haereticorum plagiario*, diss. III, cap. 3; ubi ostendit, totum hoc inventum surripuisse Jansenium a Calvino, qui plus quam vicies repetit hoc s. Augustini testimonium desumptum ex lib. *de Corrept. et grat.* et inculcat plusquam tricies hoc discrimen inter gratiam naturae innocentis et lapsae. Nobis satis sit adducere, quod hic haeresiarcha scribit in *Antidoto Conc. Trid.* ad sess. VI, cap. 4, edit. tert. pag. 278: « In eo, *inquit*, hallucinantur (Tridentini Patres), quod motum nobis offerri somniantur, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quod nullum observant inter regenerationis gratiam, quae nunc miseriae nostrae subvenit, et primam, quae Adae data fuerat, discrimen. Quod diligenter Augustinus exponit. Istam, inquit, gratiam non habuit primus homo, qua numquam vellet esse malus. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet, sed potentior est gratia in secundo Adam, qua fit etiam, ut velimus ». Deinde profert Calvinus ibid. aliud argumentum Jansenio familiarissimum: « Dico, *inquit*, aperte pugnare, quod hic pronunciant Tridentini Patres, cum illa Christi sententia: Quisquis audivit a Patre meo, venit ad me. Nam, ut prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullum a Deo audire et discere, quin simul in Christum credat; motumque

351. III. Obj. Pro quanam gratia pugnaverit s. Augustinus melius cognosci nequit quam ex doctrina pelagianorum ac semipelagianorum, adversus quos agebat. Atqui certum est, totam controversiam, quae inter hos et s. Augustinum agitata est, versatam fuisse in eo, quod isti sectarii contenderent talem esse gratiam, quae hominibus in praesenti conditione conceditur, cui humana voluntas resistere posset aut obtemperare; et quod e contra s. Augustinus hanc sententiam velut haereticam insectaretur. 1. Etenim Pelagius admiserat gratiam *possibilitatis*, cum qua scilicet homo possit bene agere; 2. hanc *possibilitatem* vocabat gratiam; ac 3. profitebatur eam a Deo gratuito tribui; 4. adjiciebat praeterea per gratiam a Deo concessam hominem salutariter agere posse, dummodo velit eidem gratiae assentiri. 5. Attamen s. Augustinus ejusmodi gratiam constanter rejecit, eo quod non fateretur Pelagius talem gratiam semper esse cum effectu conjunctam. Verum id luculentius patet ex systemate semipelagianorum. 6. Isti enim agnoscebant necessitatem gratiae interioris ad initium fidei et bonorum operum, cum tamen contenderent, huic gratiae posse hominem libero voluntatis arbitrio resistere aut obtemperare, in eo fuerunt haeretici, eosque s. Augustinus ut tales insectatus est. 7. Nam ex eodem Sancto patet eos fassos fuisse, *ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemque sufficere posse* (1). 8. Cum vero fides sit opus bonum, hoc ipso patet semipelagianos ad ejus pariter initium gratiae necessitatem admisisse. 9. Sane Faustus et Vitalis, qui semipelagiani erant, primas partes tribuebant gratiae in negotio salutis (2). 10. Gennadius et ipse semipelagianus in *Libro de ecclesiasticis dogmatibus* aperte docet: *Initium salutis nostrae Deo miserante nos habere*. In quo igitur erravit? In eo quod subdit: *Ut vero acquiescamus salutiferae inspirationi, nostrae est potestatis*. Cum vero s. Augustinus hanc doctrinam ut haereticam repudiaverit, patet quod propositum est, totam scilicet controversiam in eo stetisse, quod s. Augustinus nullam agnoverit gratiam in praesenti statu quae non sit efficax, secus ac illi contenderent. Ergo.

352. Resp. *Neg. min.* Sed tota controversia in eo fuit, quod, cum pelagiani inficiarentur peccati originalis propagationem, nullam admitterent gratiae medicinalis necessitatem, qua voluntas infirma sanaretur ad bonum agendum et ad superanda salutis impedimenta sive interna sive externa. Hinc prius solam admiserunt gratiam creationis, quam et *possibilitatis* vocarunt, deinde gratiam legis ac doctrinae, tandem, ut nonnullis placet, etiam gratiam interioris illustrationis ad facilius operandum; at gratiam inspirationis seu medicinalem, quae sanaret voluntatem eamque roboraret, numquam admiserunt; et pro hujus necessi-

Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat. Constituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet ». Attamen haec duo sunt praecipua Jansenii argumenta! Sed Calvinus nec ipse inventor est; fatetur enim ingenue se haec hausisse a Luthero. De sensu autem hujus duplicis adjutorii cfr. idem doctissimus auctor, lib. III, disp. III, cap. 13 et seqq. Cfr. praeterea p. Franc. Ant. Zachariae S. J. *De adjutorii* SINE QUO NON *et adjutorii* QUO *vera germanaque notione diatriba*, in ejusdem *Thesauro theol.* tom. V.

(1) Lib. *De praedest. SS.* cap. 1, num. 2.

(2) Apud Jans. *De haeresi pelag.* lib. VII, cap. 3, 4 et 7.

tate pugnavit s. Augustinus. Semipelagiani hujus quidem necessitatem admiserunt ad opera bona, non tamen ad initium fidei ac perseverantiam, ut suo loco docuimus; quare primas partes in negotio salutis sibi tribuebant; et hunc errorem insectatus est s. Augustinus. De gratiae autem efficacia nullam unquam cum illis controversiam habuit. Itaque

353. Ad 1. prob. *D.* Pelagius admiserat gratiam *possibilitatis*, quae nempe in solo consisteret libero arbitrio, *C.* in gratia proprie dicta *N.* Ut superius vidimus.

354. Ad 2. *D.* Vocabat gratiam ad illudendum catholicis atque ad damnationem declinandam, *C.* vere ac proprie *N.*

355. Ad 3. *D.* Profitebatur gratiam gratis concedi a Deo ut auctore naturae *C.* ut auctore gratiae *N.*

356. Ad 4. *D.* Adjecit gratiam *illustrationis, Tr. inspirationis* sanantis voluntatem *N.*

357. Ad 5. *N.* Hoc enim aperte falsum est, et a solis calvinistis et jansenianis excogitatum ad calumniam struendam adversus doctrinam catholicam (1).

358. Ad 6. *N.* Haec siquidem est ipsa propositio Jansenii ut *falsa* et *haeretica* proscripta, prout paulo ante ostendimus.

359. Ad 7. *D.* Dempta fide, quam meritis suis semipelagiani adscribebant, aut saltem desideriis aut naturae conatibus, *C.* etiam ad initium fidei *N.*

360. Ad 8. *D.* Ita tamen ut ejus initium semipelagiani sibi tribuerent, *C.* secus *N.* Aliud enim est loqui de fide formali, aliud vero de vocatione ad hanc fidem, circa quam errabant semipelagiani, ut pariter suo loco ostendimus.

361. Ad 9. *D.* Id est Faustus, *Tr.* Vitalis, *subdist.* primas partes in negotio salutis tribuebat gratiae illustrationis, ut pelagiani, *C.* inspirationis sanantis infirmitatem per peccatum in voluntate contractam *N.* Sic enim semipelagianorum errorem refert s. Prosper, scribens ad s. Augustinum (2). Imo et Augustinus ipse eos impugnans ait: *Haec est illa pelagianorum mala meritoque reprobata . . . sententia, qua dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina* (3).

362. Ad 10. *Neg.* Gennadium inter semipelagianos recensendum esse; quod si interdum ipsis plus quam par esset Gennadius indulsit, ab eorum sententia recessit; nihilque in opere citato occurrit, quod semipelagianismum sapiat. Quare loco cit. catholicam doctrinam expressit (4).

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti*, etc. part. I, sect. V, § 1.

(2) Ea ejus verba, quibus de semipelagianorum errore edocet s. Augustinum: *Propositum autem vocantis gratiae* (quae est ad primam fidem) *in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum* (nempe initium) *omnes homines universaliter sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per Evangelicam praedicationem vocari* (scilicet per solam gratiam illustrationis et quidem extrinsecam seu objectivam), *ut et qui voluerint* (nempe per liberum arbitrium cum sola praedicta gratia illustrationis seu intellectus) *fiant filii Dei, et inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint*, etc. Epist. praemissa lib. s. Aug. *De praedest. SS.* n. 4.

(3) Cfr. plura testimonia apud Tricass. op. cit. part. I, sect. III et seqq.

(4) Cfr. Maffei, *Hist. Theol.* lib. XVI, cap. 10, ubi Gennadium ostendit virum fuisse catholicum. Sane Gennadius scribit: « Manet itaque ad quaerendam salutem arbitrii libertas,

363. IV. Obj. Gratia sufficiens est inutilis, perniciosa, ideoque Deo indigna. Ac 1. quidem inutilis est, cum ad operandum nihil inserviat; caret enim effectu. 2. Sed praeterea est perniciosa, *qua nemo unquam, fatentibus etiam scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est* (1). 3. Sane nisi talis esset, posset peti a Deo; quod tamen nemo dicet. 4. Hinc ecclesia semper petit gratiam efficacem. 5. Quorsum enim Deus eam daret, cum jam praeviderit eam nonnisi in perniciem esse cessuram? Indigna proinde Deo est. Ergo.

364. Resp. *D. Antec.* In sensu jansenianо, *C.* in sensu catholico *N.*

365. Ad 1. prob. *D.* Ad operandum nihil inservit, et caret effectu ex culpa hominis, qui eam respuit, *C.* ex defectu sui *N.* Omnes enim ejusmodi difficultates, et si quae sunt aliae, laborant, ut Logici loquuntur, falso suppo-

sed admonente prius Deo et invitante ad salutem. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire ». Inter op. August. tom. VIII, pag. 78, apud eundem Maff. loc. cit. Ipse Nat. Alex. *Diss.* IV, *in hist. eccl.* saec. V, agens de libro Gennadii, ex quo objectum est testimonium, nempe *De dogmat. ecclesiast.* dicit eum catholicum esse et dogma ab Arausicana Synodo traditum in eo contineri, et a Gennadio jam resipiscente fuisse editum et missum ad pontificem Gelasium. Cfr. Meyer, *Hist. de Aux.* vol. II, pag. 331. Circa Faustum Regiensem, de cujus orthodoxia a Norisio, Tillemontio aliisque dubitatum est, cfr. Stiltingus, tom. VII, mensis Septembris, ad diem XXVIII, ubi § VIII et seqq. pag. 670. et seqq. prolixa dissertatione ipsum defendit ab omni erroris suspicione. Quoniam vero de Gennadio et Fausto agitur, placet afferre judicium, quod Gennadius tulit de libris Fausti ut appareat utriusque orthodoxia: « Edidit quoque (Faustus), *inquit*, opus egregium De gratia Dei, qua salvamur, et libero humanae mentis arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet, gratiam Dei semper et invitare et praecedere et juvare voluntatem nostram; et quidquid ipsa libertas arbitrii pro labore piae mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiae donum ». Ita in *Catalogo illustrium viror.* inter opp. s. Hieronymi, edit. Rom. 1572, tom. IX, pag. 316. Haec erunt animadvertenda ad fraudem praecavendam Jansenii, qui ut facilius, haereticam doctrinam suam tamquam catholicam obtrudat, solet erroris postulare plures antiquos Scriptores catholicos ut evincat errorem semipelagianorum in eo stetisse, quod vellent immunitatem a *necessitate consistere sub gratia*. Quidam minus cauti decepti sunt. Si jansenistas audias, quotquot non admittunt sua paradoxa, totidem pelagiani aut semipelagiani sunt; hinc illae querelae, quod nulla haeresis adeo diffusa sit, nec tamdiu perseveraverit. Ita Grégoire, *Hist. des Sectes*, t. II, *Nouveaux Pélagiens*, p. 295: « Le Pélagianisme est l'erreur la plus répandue ..... l'erreur d'une foule de prétendus chrétiens qui, sans le professer extérieurement, comptent sur leurs forces naturelles pour opérer le bien. A cette erreur se rattachent toutes les défections qui, dans le cours des siécles, ont affligé l'Eglise » (exceptis lutheranismo, calvinismo et jansenismo). Illum tamen recreat et consolatur, quod: « L'Italie eut toujours d'habiles défenseurs de la doctrine de saint Augustin sur les vérités de la grâce. Parmi les écrivains italiens qui, dans ces derniers temps, les ont soutenues se distinguent Tamburini, Natali, Palmieri, . . . l'archiprêtre Guadagnini ».

(1) Ita Jans. *De grat. Salvatoris*, lib. III, cap. 3, ubi scribit: « Jam vero quid monstrosius proferri potest quam quoddam distinctum a ceteris adjutorii genus, quod numquam ab initio lapsus humani generis usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit aut habiturum est »?

sito ; ex eo enim oriuntur , quod ponatur intrinsecum discrimen inter gratiam efficacem et gratiam sufficientem , quod tamen ecclesia non docet . Si igitur gratia sufficiens nil aliud est nisi gratia rejecta , seu gratia quae ex sola hominis malitia effectu suo caret , patet , nullam inde peti amplius posse difficultatem . Nihil enim ejusmodi gratiae deest , quod requiratur ad effectum obtinendum ; sola siquidem perversa hominis voluntas efficit , ut ea non producat effectum , ad quem expeditam ac plenam tribuit facultatem .

366. Ad 2. *N.* Nemo enim catholicorum docet , quod ipsis affingit Jansenius . Hinc jure Alexander VIII. hanc Synnichii propositionem confixit : *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est , sic ut proinde merito possimus petere : a gratia sufficienti libera nos , Domine* (1) .

367. Ad 3. *D.* Posset peti a Deo prout simpliciter gratia est , *C.* prout sufficiens est , seu reduplicative sumpta *N.* Esset enim , juxta dicta , petere a Deo resistentiam gratiae , quam ipse confert .

368. Ad 4. *N.* Sed ecclesia petit ac efflagitat in genere Dei gratiam ad bene agendum .

369. Ad 5. Resp. eadem ratione Deum largiri gratiam , quam praevidet in perniciem cessuram esse ei , qui pervicaciter ipsi resistit , qua tot bona etiam in ordine naturali misericorditer tot hominibus tribuit , etsi praevideat ea in muscipulam fore pedibus insipientium . Cum enim ipse ingenium , opes , valetudinem aliaque ejusmodi hominibus tribuit , profecto patefacit bonitatem suam , etsi praevideat ex recipientium malitia vertenda ea esse in injuriam munifici largitoris et in ruinam atque extremam eorum perniciem , qui illis abusuri sunt . Resolvitur propterea haec quaestio in alteram generalem de permissione mali moralis ; de qua recolantur , quae suo loco disputavimus (2) .

CAPUT V.

DE GRATIAE DISTRIBUTIONE

370. Eodem spectant ea , quae suo loco scripsimus de vera ac sincera voluntate Dei salvandi omnes et singulos homines , ac de morte Christi ex eodem affectu pro omnibus et singulis hominibus , et ea quae nunc in quaestionem veniunt circa gratiae divinae distributionem ; imo posterius hoc argumentum ab illo priori pendet . Nec enim Dei voluntas sterilis est ; et , si ipse ad hominum salutem ipsam decrevit Christi mortem , dubium ne superesse potest , quin ob Christi merita velit omnibus ac singulis hominibus subsidia necessaria conferre , quibus isti salutem sibi comparare valeant ? Hinc jansenistae qui cum novatoribus contendunt , non omnibus gratiam

(1) Cfr. Viva , *Damnatar. Thesium theologica Trutina* , ad prop. VI inter damnatas ab Alex. VIII . Paria huic damnatae propositioni protulit Gerberonius , qui scribere ausus est : « Si diabolus posset gratiam dare , non aliam daret quam sufficientem , quia favet ipsius intentioni homines damnandi . Unde potest appellari gratia damnationis » . De Gerberonio ejusque libris cfr. « Le véritable esprit des nouveaux disciples de s. Augustin , tom. III , Lettre d' un docteur de Sorbonne à un homme de qualité sur le procès fait par Mr. l' archevêque de Malines à Dom. Gabriel Gerberon , moine bénédictin de la Congrég. de s. Maur , pag. 1214 et seqq.

(2) De Deo , n. 138 et seqq. tom. II , pag. 67.

a Deo conferri necessariam ad salutem, hoc ipso negarunt Deum sincere velle omnes omnino homines salvos fieri, et Christum pro omnibus prorsus hominibus mortem obiisse aut sanguinem suum fudisse; adeo arctus est nexus ac dependentia alterius articuli ab altero. Quare, post ea quae fusius in Tractatu de Deo disputavimus (1), supervacaneum videretur, hanc adnectere peculiarem disceptationem; cum tamen suis argumentis et adstruatur ac impugnetur quod de gratiae distributione traditur, cogimur proinde de ea, data opera disserere.

371. Ne autem ab ordine ac perspicuitate digrediamur, dispescere debemus ea, quae de fide sunt, ab iis quae eundem certitudinis gradum minime obtinent. Ex his porro quae dogma non attingunt, alia sunt quae communi fere suffragio catholicis theologis probantur, alia autem quae privati doctores aut inficiantur aut saltem in dubium revocant; secus ac ferat catholicae doctrinae pia sententia, quae non patitur Deum exhiberi gratiarum suarum avarum, qui reipsa avarus non est nisi animarum nostrarum (2). Itaque jansenistae contendunt, vel ipsis justis volentibus ac conantibus interdum deesse Dei gratiam, qua valeant Dei praecepta adimplere; multo magis id affirmant de peccatoribus fidelibus, praesertim vero de impiis illis, qui vulgo *obcoecati* et *indurati* audiunt, ac de infidelibus. Nonnulli theologi cum iis consentiunt circa peccatores obduratos et obcoecatos, maxime vero quoad infideles; etsi cum ceteris teneant, non negari a Deo gratias peccatoribus communibus. Nos igitur totidem propositionibus primo de justis, deinde de peccatoribus, postea de obcoecatis et obduratis, denique de infidelibus disceptabimus.

372. Praemittimus vero, 1. hic non agi de distributione gratiae efficacis, cum nemo sit, qui contendat hanc omnibus dari, sed solum de distributione gratiae proxime aut remote sufficientis, juxta notionem quam de ea praebuimus, quae nempe veram, completam ac relate ad praesentes subjecti circumstantias bene operandi facultatem tribuat; 2. non agi de sola gratiae *oblatione*, ut nonnulli minus accurate loquuntur aut etiam subdole, ut fucum faciant imperitis, sed de reali gratiae *collatione*. Ille enim qui esurienti panem offerret, quem tamen ipse attingere nequiret, ei illuderet; ita enim esuriens fame interiret.

(1) Cfr. n. 460 et seqq.

(2) Ita passim s. Augustinus, qui Deum vocat *avarum salutis nostrae et animarum nostrarum*. Jam vero Deus profecto non esset avarus animarum, si earum aliquas relinqueret sine gratia sufficienti ad opera bona facienda, ad mala vitanda et ad consequendam vitam aeternam, ut per se patet; siquidem proprium avarorum est, nihil praetermittere eorum, quae necessaria sunt ad acquirendam pecuniam. Porro s. Augustinum ita Deum avarum exhibere, constat ex *Serm.* XV apud Sirmundum, apud Maurinos vero *Serm.* CXXV, n. 8: *Parum est*, inquit, *Domino meo, avarus est, sed avaritia Dei salus nostra est. Avarus est, nummos suos quaerit* (bona opera nostra), *imaginem suam colligit* (scilicet animas nostras, quae ad ejus imaginem factae sunt). *Dares, inquit, pecuniam nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem*. Et *Serm.* XXXVII inter Sirmondianos, apud Maur. CCCLIX, n. 2: *Consolatur te non avarus Frater tuus* (Christus) . . . *Dixi eum non avarum, et forte invenio avarum. Avarus est; sed nos vult habere, nos vult acquirere. Pro nobis tantum pretium dedit seipsum; nihil ad hoc pretium addi potest. Enarr. in Ps.* XCIX, n. 10, scribit: *Avarus est Deus salutis nostrae*.

Sic etiam Deus, si solum *offerret* gratiam, quam tamen reipsa non *conferret*, homini illuderet, non autem ipsum adjuvaret quod vel etiam cogitare absurdum est. His positis, sit :

PROPOSITIO I.

Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia praecepta

373. De fide est haec propositio adversus Jansenium, cujus propositio 1. : *Aliqua praecepta*, etc., damnata est ut *haeretica*.

374. Ita porro ex Scripturis catholicam veritatem evincimus : Apostolus, I. Cor. X, 13. de justis scribit : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Atqui vera haec minime essent, nisi Deus justis praesto esset gratia sua, urgente praecepto. Huc pariter referuntur verba Eccli. XV, 16 : *Si volueris mandata servare, conservabunt te*. Imo et Christi ipsius, Matth. XI, 30. dum dixit : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* : I. Joan. V, 3 : *Mandata ejus gravia non sunt*. Haec autem, quibus suavitas ac facilitas mandatorum divinorum commendatur, nisi saltem in justis vera essent, in nullo alio locum haberent. Jam vero juxta ipsos adversarios, gratia non opitulante, praecepta Dei non modo levia non essent, sed prorsus impossibilia evaderent ; cum tamen contrarium de Dei praeceptis in Scripturis prorsus praedicetur, argumento est ineluctabili, saltem justis non deesse gratiam, qua possibilia fiant ac levia.

375. Non minus facile haec eadem veritas ex s. Augustino adstruitur, cujus verba haec sunt : *Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum spiritualiter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur* (1). Et alibi fidenter interrogat : *Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat . . . Dominus curam habet tui, securus esto . . . Nusquam tibi deest ; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse* (2).

376. Quare concilium Arausic. II, can. XXV, sic loquitur : *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere* (3). Ergo fides catholica docet, omnes baptizatos, ac propterea multo magis justos, divina praecepta adimplere posse ; quomodo vero nisi per gratiam ? Clarius adhuc Tridentina synodus catholicam hanc fidem adstruit, sess. VI, can. XVIII : *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit*. Jure proinde Innocentius X

(1) Lib. I, *De nat. et grat.* cap. 2.

(2) *Enarr. in Ps.* XXXIX, n. 27. Plura alia testimonia ejusdem s. Doctoris cfr. apud Dechamps, op. cit. lib. III, disp. VIII, capp. 3, 4 et 5.

(3) Apud Hard. *Act. Conc.* tom. II, col. 1101.

allatam superius Jansenii propositionem jam *anathemate damnatam* declaravit; quamvis janseniani clament, nihil commune esse inter errorem a Tridentino canone in novatoribus proscriptum et Jansenii propositionem (1).

DIFFICULTATES

577. I. Obj. S. Petrus, quamvis justus, caruit gratia, urgente praecepto; sancti enim patres aperte id docent, ut Hilarius qui affirmat, ipsum *non potuisse vitare culpam* (2); ut s. Joan. Chrysost. qui scribit: *Negatio Petri non tam erat socordiae et negligentiae, quam ex eo quod Deus eum deseruerat* (3). Sed prae ceteris, s. Augustinus, cujus verba decretoria sunt: *Quid est homo*, inquit, *sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum* (4)? Quod saepe alias repetit. Ergo.

578. Resp. *D. A.* Et Petrus erat ex justis humilibus volentibus et conantibus, ut supponitur in propositione Jansenii, *N.* erat ex iis qui nimium propriis viribus, constantiae ac firmitati suae confidunt *C.* Talem autem Petrum fuisse, tum ex Scriptura tum ex adductis patrum testimoniis abunde constat. Extra causam igitur s. Petri exemplum affertur. Apposite propterea ajebat de Petro s. Augustinus, cujus auctoritate adeo abutuntur janseniani: *Quis enim dubitaverit, quod . . . Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset* (5)? Nam, dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum propheta dicere: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* (6). Ergo juxta

(1) Nempe Jansenius cum suis contendit, *De grat. Christi*, lib. III, cap. 19, concilium Tridentinum in adductis locis non loqui de gratia actuali, sed de habituali tantum, idque unum sacram synodum decernere: Deum nempe non ante a justis recedere per sanctificantis gratiae subtractionem, quam ipsi per lethale peccatum (ad quod vitandum gratia necessaria actuali destituti sunt, ac propterea vitare non potuerunt) a Deo recesserint. Ideo vero juxta Jansenium usurpat concilium Tridentinum illa verba: *Deus justificatos non deserit*, ut probet adversus novatores, justos non desinere tales esse, quod persaepe in venialia peccata incurrant. Ast miserum hoc effugium evertunt verba ejusdem concilii, sess. XIII, cap. 13, ubi manifestum est concilium locutum fuisse de auxilio actuali, quod numquam justis deest; ait enim de justis: « Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere ». Quis haec verba ad gratiam habitualem detorqueat? Gratia illa, qua Deus, nisi illam abjiciamus, operatur velle et perficere, est gratia operans et cooperans, ideoque actualis, et non habitualis. Cf. Dechamps, op. cit. lib. II, disp. VIII, cap. 3.

(2) Cap. 32 in Matth. n. 4.

(3) *Hom.* XXXI *in Epist. ad Hebr.* num. 3.

(4) *Serm.* CXXIV *De Temp.* n. 1.

(5) Lib. *De unit. Eccles.* cap. 9.

(6) Passim s. Augustinus docet, Petrum de se praesumpsisse, cum profiteretur se paratum ad mortem pro Christo subeundam. Quoniam jansenistae toties obtrudunt exemplum Petri, ut evincant justo volenti et conanti gratiam interdum deesse, juverit nonnulla s. Augustini testimonia hic subjicere, ut pateat eos longe discedere ab Augustini mente, dum talia effutiunt. *Tract.* XXVI *in Joan.* n. 1, sic Christum ad Petrum loquentem inducit: « Quid tantum praesumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Audi quid sis: Amen, amen dico tibi », etc.; ibi, n. 2: « Non tamen pro Domino, ut temere praesumebat, praecessit ». *Tract.* CXIII, n. 6: « Ecce, *inquit*, medici completa est praedictio, aegroti convicta prae-

S. Augustinum derelictus fuit Petrus ob mentis suae tumorem: nec ita derelictus est, ut gratia orationis fuerit destitutus. Addo, ex s. Augustino ab adversariis adductum testimonium apocryphum esse (1). S. Hilarius loquitur de potentia consequenti, ut ajunt, non autem de antecedenti et absoluta; ut patet ex contextu (2). S. Joan. Chrysostomus ideo dicit Deum deseruisse s. Petrum, *quia elato erat animo* et de se praesumpserat (3).

379. II. Obj. 1. S. Augustinus, lib. *De nat. et grat.* ait: *Fideles orantes dicunt: et ne nos inferas in tentationem; sed libera nos a malo. Si adest possibilitas, ad quid orant* (4)? Nec reponere juvat, justis a Deo conferri saltem gratiam orationis, qua bene utentes possint mandata servare; hoc siquidem alienum est a s. Doctoris mente. In hac enim hypothesi ratio pateret quare ex justis alii perseverent, alii tentationi cedant, quod alii nempe oraverint, alii vero orare neglexerint. 2. At s. Pater fatetur, causam hujus discriminis se plane ignorare: *Si*, inquit, *ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo . . . et: Numquid iniquitas apud Deum* (5)? 3. Adde: juxta s. Doctorem justos interdum ipsa orationis gratia destitui: *Nonne*, ait ipse, *aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus . . . Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quaerere et pulsare ille concedit, qui ut haec faciamus jubet* (6)? Ergo.

380. Resp. ad 1. *D.* Si adest possibilitas per naturam in sensu pelagiano, *C.* per gratiam *N.* Ad sensum itaque Pelagii ibi loquitur s. Augustinus: hinc ipsi objicienti: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri*, respondet: *Ideo jubet* (Deus) *aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*. Supponit igitur, omnes justos habere semper saltem gratiam orationis.

381. Ad 2. *D.* Id est, fatetur s. Augustinus se ignorare, cur alteri detur gratia praevisa efficax tum orationis tum alterius cujusque operis salutaris, *C.*

sumptio ». *Serm.* CCXCVII, n. 1: « Praesumptionem ferebat, tumorem suum nesciebat », *Serm.* CCXCVI, n. 3: « Inventum est quomodo praedixerat medicus, non quomodo praesumpserat aegrotus »; et alibi passim.

(1) Cf. in Append. tom. IV, *Serm.* LXXIX, n. 1.

(2) Totus hic est, ut excuset s. Petrum, quoad potest; hinc ait: « Et vere prope jam sine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium prius agnoverat; tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, recolens trepidationis istius culpam, se nec admonitum potuisse vitare ». Hanc eandem interpretationem dederat s. Ambrosius, lib. X in Luc. n. 82. Sed exploditur a s. Hieronymo et Augustino. Cfr. hic nota edit. Maur.

(3) Subdit enim immediate post cit. verba: Erudiens, ut humanam sciret mensuram, et non repugnaret iis, quae dicebantur a magistro, neque magis quam alii altum saperet . . . Nam quoniam erat verisimile eum sibi placere, et elato esse animo », etc. Παιδεύοντος αὐτὸν εἰδέναι τὰ ἀνθρώπινα μέτρα, καὶ μὴ ἀντιλέγειν τοῖς παρὰ τοῦ διδασκάλου λεγομένοις, μηδὲ μείζονα τῶν ἄλλων φρονεῖν . . . ἐπειδὴ γὰρ εἰκὸς ἦν αὐτὸν μέγα φρονεῖν, κ. τ. λ.

(4) Cap. LIII, n. 62.

(5) Lib. *De spir. et litt.* cap. 34.

(6) *Ad Simplic.* lib. I, quaest. II, n. 2.

cur detur gratia sufficiens ad haec praestanda vel non detur *N*. Numquam enim de hoc dubitavit aut haesit s. Doctor cum pro certo habuerit, omnibus hanc gratiam praesto esse; quare semper in hominum culpam (non quidem originalem aut actuales praeteritas, ut autumant jansenistae) refundit, quod non perseveraverint ob suam negligentiam, socordiam, superbiam; qua fit, ut cum *deserunt, deserantur* (1).

382. Ad 3. *D*. Et hic loquitur s. Doctor de effectu ipsius gratiae, *C*. de ipsa gratia seu potentia orandi *N*. Loquitur scilicet de ipsa actuali oratione, *quam*, ut ait, *aliquando ita negligimus, ut vel tepide, vel frigide, vel nullatenus oremus, et de eo non doleamus*. Hi siquidem sunt omnes *effectus* potentiae orandi et non orandi, de quibus solum disserit, non autem de potentia orandi, de qua sola hic agimus. Adde, hic s. Augustinum minime loqui de eo casu, in quo insistet praeceptum aliquod adimplendum, quod ut possibile fiat, necessaria gratia est (2).

383. III. Obj. 1. Si omnibus justis, saltem urgente praecepto, daretur gratia sufficiens, justi omnes etiam non praedestinati perseverare possent. 2. Hoc porro adversatur doctrinae s. Augustini, qui in lib. *De dono perseverantiae*, cap. XXII, docet, a justo non praedestinato Deum subtrahere obediendi vires, ideoque et gratiam relative sufficientem. Etenim prolatam sententiam monachorum Adrumetinorum: *Si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, et obedire cessetis*, ut veram agnoscit, ac solum quoad asperiorem loquendi modum temperat, commutando secundam verbi personam in tertiam scribens: *Non dicatur: Si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi; sed si qui obediunt, et caetera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam*. Ergo.

384. Resp. ad 1. *Conc*. juxta doctrinam concilii Tridentini, dum ait: *Deus semel sua gratia justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur* (3); et juxta doctrinam s. Augustini dicentis: *Homo, in eo, quod audieras et tenueras, perseverares, si velles* (4).

385. Ad 2. *N*. Etenim s. Augustinus praedictam sententiam prout a monachis afferebatur, rejecit ut *abominabilem*, non solum quoad modum, verum etiam quoad rem ipsam. Quod enim *abominabile* est, semper tale est, sive in secunda, sive in tertia persona proferatur. Dum vero eam emendavit, sustulit penitus illam *subtractionem virium*, in qua sita est vis difficultatis, sic enim eandem propositionem emendatam proponit: *Quid sententiae deperit*, inquit, *si dicatur: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam praedestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt*. Tunc enim sensus hic redditur: Si qui obediunt, et non sunt praedestinati, culpa sua a perseverantia excident, atque ex praevisa hac culpa damnabuntur. Ita mentem s. Augustini exponit s. Prosper in *Responsione ad XII objectionem Gallorum*, dicens: *Vires itaque obedientiae non*

(1) Cfr. Tricassin. *De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data*, sect. IV, § IV.

(2) Cfr. Tricass. ibid. et § V. Certe s. Augustinum supponere, omnibus gratiam praesto esse ad mandata servanda, patet ex ejus effato, lib. *De perf. justit.* cap. 105, ubi animae, quae gravia seu difficilia ea sentiat, dicit: *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis*.

(3) Sess. VI, cap. 11.

(4) *De corrept. et grat.* c. 17, n. 11.

ideo cuique subtraxit (Deus), *quia eum non praedestinavit, sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit* (1). Quo sensu propositio vera est, neque aliquid ei *deperit* circa doctrinam de perseverantia in fide, quam s. Doctor propugnabat adversus semipelagianos.

386. IV. Obj. 1. S. Augustinus passim docet, justos interdum volentes et conantes servare praecepta non posse juxta praesentes, quas habent, vires, ut lib. *De grat. et lib. arb.* cap. XVII: *Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit et robustam*. Quod et saepe repetit. 2. Adde, Deum gratiam nulli debere; justis propterea denegare posse. Ergo.

387. Resp. ad 1. *D.* Per gratiam proxime sufficientem, *Tr.* vel *C.* per gratiam remote sufficientem *N.* Et hac ratione tum allatum testimonium tum reliqua his similia exponi debent.

388. Ad 2. *D.* Seclusa gratuita Dei promissione, *C.* hac supposita *N.* et hinc *neg. cons.* quia, etsi ex justitia Deus nemini teneatur gratiam conferre saltem efficacem, tenetur tamen ex fidelitate, quam sibi debet, et ex quadam convenientia sapientiae suae ac bonitatis justis vires ad servanda praecepta concedere.

PROPOSITIO II.

Deus omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum peccata praecavere tum a peccatis resipiscere

389. Spectat haec propositio ad doctrinam catholicam, assertam in concilio Araus. II, can. XXV, superius laudato. Diximus porro in propositionis enunciatione, gratias a Deo tribui *ad praecavenda peccata*, ideoque sub hoc respectu toties dari, quoties praeceptum urget implendum; dum vero diximus, *tum ad resipiscendum a peccatis*, non ita accipienda propositio est, quasi Deus singulis quibusvis momentis gratias conferat; sed pro loco, tempore ceterisve adjunctis, in quibus Deo placuerit illas concedere.

390. Prior autem propositionis pars iisdem adstruitur Scripturarum testimoniis, quibus ostendimus, prop. praecedente, conferri a Deo justis gratias ad divina mandata servanda. Nam et quoad peccatores vera esse debent verba Christi, quibus affirmat: *Jugum meum suave est et onus meum leve*; tum Joannis effatum: *Mandata ejus gravia non sunt*. Jam vero nec suave reddi potest peccatoribus Christi jugum, nec onus mandatorum ejus leve, nisi per gratiam. Ergo.... Quod vero attinet ad alteram propositionis partem, evincitur ejus veritas ex illis Dei verbis apud Ezech. XXXIII, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini domus Israel?* Evincitur etiam ex illa generali Christi invitatione, Matth. XI, 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Unde sic argumentamur: Non potest peccator converti, neque ad Christi sinum iterum se recipere, nisi per gratiam; Deus tamen peccatores omnes, praesertim fideles, ad conversionem invitat; et Christus peccatores omnes ad se vocat; ergo peccatoribus omnibus, saltem fidelibus et non obduratis, Deus adest per gratiam suam.

(1) In Append. ad t. x, opp. s. August.

391. Longum esset velle patrum testimonia recensere, quibus eadem veritas quoad utramque partem ostenditur; unum vel alterum proinde solum laudabimus. Nota sunt verba s. Leonis M. *Juste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio* (1). S. Augustinus vero haec praeclare scribit: *Cum ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentes adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare contemnis* (2). Hinc accedit ejus discipulus s. Prosper, scribens: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat* (3).

392. Demum, ceteris omissis, concilium Tridentinum adversus Lutherum et Calvinum negantes, posse quemlibet poenitentiam agere, haec habet: *Qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint* (4). Pro certo igitur habet concilium, peccatoribus omnibus praesto esse divinae gratiae subsidium, quo ipsi possint a peccato resipiscere.

DIFFICULTATES

393. I. Obj. S. Augustinus ut explo-

ratum assumit, gratiam non omnibus a Deo conferri. 1. Ait enim, *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus, eis, quibus datur, misericordia gratuita dari. Scimus, eis, quibus non datur, justo judicio Dei non dari* (5). 2. Loqui autem s. Doctorem de gratia sufficienti, patet ex iis, quae scribit in lib. *De corrept. et grat.* ubi agens de gratia Adamo collata, ideoque de gratia sufficienti ait: *Nunc quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est* (6). 3. Ergo juxta ipsum culpa originalis et a fortiori culpa personalis ratio est, quare Deus interdum peccatori gratias sufficientes non tribuat. 4. Sane peccatores indigni sunt quavis gratia. Ergo.

394. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. autem probat. *D.* Adstruit s. Augustinus, non omnibus dari gratias in sensu semipelagianorum, quos illic impugnat, *C.* in sensu catholico, *subdist.* non omnibus semper dari gratias efficaces aut etiam gratias proxime sufficientes, *C.* gratias remote sufficientes *N.* Semipelagiani enim contendebant, Deum gratia sua semper omnibus praesto esse, neque expectare nisi naturales conatus nostrae voluntatis ad eam conferendam.

395. Ad 2. *D.* Quibus deest tale auxilium, nempe proxime sufficiens, jam poena peccati est, *C.* remote sufficiens *N.*

396. Ad 3. *Dist. sequel.* In infidelibus ratio hujus subtractionis est utraque culpa, originalis videlicet et actualis, *C.* in fidelibus culpa originalis *N.* Hoc

(1) *Serm.* XVI, *De Pass. Domini*, cap. VI, edit. Baller.

(2) Lib. *De nat. et grat.* cap. 67, n. 80. Quae refert ac repetit ex iis, quae scripserat s. Doctor, *De lib. arbit.* lib. III, cap. 19.

(3) *Resp. ad* XV *Object. Vincent.* In App. ad tom. X opp. s. Aug.

(4) Sess. VI, cap. 14. Qui plura cupit, adeat Tricassin. op. cit. *De necessaria*, etc. sect. V, § 1 et seqq.; nec non Dechamps, op. cit. lib. III, disp. VIII, cap. VI.

(5) *Epist.* CCXVII, *ad Vitalem*, cap. V, n. 4, 5 et 6.

(6) Cap. 11, n. 32.

enim est principium jansenistarum, qui, etsi concilium Tridentinum declaraverit, in renatis nihil esse quod Deus odio habeat, ac nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo Jesu, tamen autumant peccatum originale semper influere in ipsos baptizatos; quod aliud non est nisi doctrinam novatorum profiteri, de qua postea agemus. Itaque in fidelibus sola culpa personalis efficere potest, ut Deus aut gratias efficaces, aut saltem proxime sufficientes interdum subtrahat, non autem gratiam remote sufficientem, quam nemini unquam denegat juxta illa quae diximus.

397. Ad 4. *D.* Si Deus gratiae tribueret juxta dignitatem nostram, *C.* si juxta benignitatem ac misericordiam suam *N.* Nonne Deus *est praestabilis super malitia?* ut loquitur Joel. II, 13. Quid fieret de iis, qui talia obtrudunt, si Deus pro dignitate nostra gratias suas largiretur?

398. II. Obj. Ideo statuitur Deum peccatoribus gratia sufficienti adesse, quoties urget praeceptum, praesertim supernaturale, quia alioquin praecepta forent impossibilia, nec ad culpam imputari posset illorum transgressio; atqui contrarium plane docet s. Augustinus; 1. siquidem in lib. *De perfect. justitiae: Cum videmus*, inquit, *claudum, qui sanari potest, recte utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione, et si debet, potest. Nec tamen cum vult, continuo potest; sed cum fuerit adhibita curatione sanatus, et medicina adjuverit voluntatem* (1); 2. et paulo post: *Peccatum est*, subdit, *cum vel non est charitas, quae esse debet, vel minor est, quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia, si potest, praesens voluntas hoc facit; si autem non potest, praeterita voluntas hoc fecit* (2); ac demum generatim 3. pronunciat, lib. III. *De lib. arb.: Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest* (3). 4. Cum vero ab hac doctrina recesserit Pelagius, ejus articulus damnatus est in concilio Diospolitano: *Oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem* (4). Ergo.

399. Resp. *Neg. min.* Ad 1. prob. *D.* Docet s. Augustinus in adductis verbis, non semper habere peccatores vires ad surgendum a peccatis aut ab iis se abstinendum per gratias immediate et proxime sufficientes, *C.* mediate per orationem *N.*

400. Ad 2. *D.* Peccatum est, cum non est charitas, aut minor est, etc. hypothetice seu dominante cupiditate actuali consequente seu voluntaria, *C.* dominante cupiditate, quae mediante saltem oratione vinci nequeat, aut haberi major charitas non possit *N.*

401. Ad 3. *D.* Ut tamen non imputentur ad culpam, *C.* ut ad culpam imputentur *N.* Loquitur enim s. Pater in adducto textu de motibus inordinatis et involuntariis concupiscentiae, qui eatenus improbantur in se, quatenus et ex peccato sunt et ad peccatum inclinant (5).

402. Ad 4. *D.* Quatenus Pelagius

(1) Cap. 3, n. 5.

(2) Cap. 6, n. 15.

(3) Cap. 18, n. 51.

(4) Apud s. August. lib. *De gestis Pelag.* cap. 18, n. 42.

(5) Id patet ex scopo s. Doctoris atque ex contextu. Scopus enim ejus est, ut ostendat, concupiscentiae rebellionem poenam esse peccati originalis, quod omnes contraximus. Contextus porro hic est: in hoc ipso cap. 18,

affirmabat secundum necessitatem evenire, quae ex oblivione et ignorantia per gratiam vincibili patrantur, *C.* secundum necessitatem absolutam ex oblivione et ignorantia invincibili provenientem *N.* Cum enim ille heresiarcha gratiam proprie dictam ejusque necessitatem inficiaretur, inferebat hominem absque gratiae subsidio totam legem servare posse; quod si in nonnullis casibus id reipsa praestare non posset, potius quam admitteret gratiae necessitatem, sive ad ignorantiae tenebras dispellendas, sive ad robur addendum, negabat hominem in illis peccare. Quid porro hoc commune habeat cum doctrina quam tuemur, non video (1).

PROPOSITIO III.

Deus peccatoribus etiam obduratis et obcoecatis gratias vere sufficientes confert pro loco et tempore, quibus possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere

403. Priusquam propositionem vindicemus, juverit exponere, quinam in numero istorum peccatorum sint ponendi; id vero praestabimus verbis ipsis s. Bernardi, qui sic cor durum describit: *Ipsum est*, inquit, *quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens* (2).

404. Sic porro expositam propositionem ut *certam* propugnamus sacrarum Scripturarum, patrum ac conciliorum auctoritati innixi, et gravissimis rationum momentis ex ratione theologica depromptis.

405. Scriptura in primis obduratos ejusmodi peccatores et obcoecatos arguit ob resistentiam, quam ex propria sua malitia divinae gratiae opponunt; minatur ipsis irae thesauros propter suam impoenitentiam atque duritiem; testatur ita Deum temperare punitionem aut patienter cum ipsis agere, ut possint mutari a propria malitia, et omnes sine exceptione ulla ad poenitentiam reverti. Supponit igitur, non omni eos prorsus gratia destitui.

406. Etenim s. Stephanus, Act. VII, 51. sic obduratos Judaeos alloquitur: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Et Apostolus ejusmodi pariter peccatores arguens, Rom. II, 4. scribit: *An divitias bonitatis ejus et patientiae,*

n. 50, jam dixerat: « Quaecumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur ». Deinde, n. 51, ponit verba nobis objecta, atque immediate prosequitur: « Nam unde sunt illae voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Et illud: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiscit, etc. Sed haec omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium; nam, si non est ista poena hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt . . . Nunc autem quia ita est, non est bonus (homo) nec habet in potestate ut bonus sit . . . poenam istam esse quis dubitet »? Exinde patet mala adversariorum fides, dum talia obtrudunt.

(1) Cfr. Auctores citt. locis citt.

(2) *De consid.* lib. 1, cap. 2, n. 3, edit. Maur.

et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem DURITIEM TUAM *et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei*. Auctor libri Sapientiae praeterquam quod cap. XI generatim dicit, Deum alloquens: *Misereris omnium quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti*: cap. XII, 20. de Chananaeis scelestissimis et obduratis hominibus subdit: *Si inimicos servorum tuorum et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos?* Demum II Pet. III, 9. scribit apostolorum princeps: *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*. Ergo.

407. Eadem ratione loquuntur patres. Nam s. Augustinus, *Enarr. in Ps. VI*, n. 8. explanans verba Apostoli: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum* haec habet: *Ea est coecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.... Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa coecitate?* Ergo nemini omnis prorsus gratia subducitur in hac vita degenti, nec quispiam perfecta et absoluta obduratione ac coecitate punitur. Quod quidem saepius repetit, ut *Tract. XII in Joan.* n. 12. ad illa Christi verba: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ergo*, inquit, *quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis*. Et alibi passim (1).

408. Nec aliud docent concilia. Etenim praeter Arausicanum II, cujus can. XXII, superius retulimus, quique huc etiam refertur, cum ejus verba generalia sint, concil. Valentin. III. declarat, can. II, *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt* (2). Et concilium Lateran. IV, cap. *Firmiter*, nullam exceptionem apponens, definit: *Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari* (3). Ast in adversariorum sententia hoc falsum esset; deficiente enim omni gratia, impossibile est quempiam reparari posse per veram poenitentiam; supponit igitur concilium hanc nunquam homini, quamdiu vivit, penitus deesse.

409. Ratio denique theologica eaque multiplex et gravissima huic doctrinae adstipulatur, imo aperte eam demonstrat. Ex iis enim, quae suo loco ostendimus, Deus sincere vult istorum etiam salutem, et Christus pro istorum salute mortuus est; Deus jubet ipsos sperare, ac ita jubet, ut rei gravissimi delicti efficiantur salutem desperando, urgente praesertim praecepto conversionis in articulo mortis, ut omnes docent. Jam vero quomodo veram poterunt habere spem tamquam *anchoram firmam*, quorum semel imbuerit animum sententia adversariorum, quod nempe ipsi destituti sint omni gratia? Quomodo poterunt sine gratia actum supernaturalem spei

(1) Cfr. apud Tricassin. *De necessaria gratia*, etc. sect. IV; et apud Dechamps op. cit. lib. III, disp. VIII, cap. 15 et seqq.

(2) Apud Arduin. *Acta concil.* tom. V, col. 89.

(3) Ibid. tom. VII, col. 17 et 18.

theologicae elicere? Hoc adeo receptum est in ecclesia ut quoties casus contingat, ut aliquis ex ejusmodi perditis hominibus et effusis in omne vitium, imo et in incredulitatem graviter decumbat, toties accurrant ejus ministri, ut eum hortentur ad resipiscentiam salutarem, ac fideles pro eo preces ad Deum fundant. Ergo pro certo habet ecclesia, neminem, quamdiu in vivis est, omni prorsus gratia destitui; alioquin ridicula et absurda esset ejusmodi sollicitudo. Quod si quovis tempore abjicienda procul fuit dura ejusmodi sentiendi ratio, luctuosa hac nostra aetate cavendum maxime ab ea est, qua tot cernimus in omne malum et incredulitatem prolapsos; siquidem de his omnibus actum esset, omnesque ut reprobi, pro quibus nulla spes superest, relinquendi essent. Quis catholicorum hoc ferat? Talia sensa concipere potuisse jansenistas, qui ut alias animadvertimus, non sunt nisi deistae larvati, mirum non est; verum quod ita sentiant catholici theologi, indignationem et impetum movet, ac incredulis religionem christianam invisam reddit (1).

410. Rursum, quoties homines peccant, libere peccant; ergo numquam omni gratia destituuntur: *Quis enim*, interrogat s. Augustinus, *peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest* (2). Atqui juxta adversarios ipsos caveri non potest peccatum absque gratia. Merito igitur concludit Doctor Angelicus: *Dicere, quod aliquod peccatum est in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est; primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae,*

(1) Apposite Cl. Manzoni, *Sulla morale cattolica*, Roma 1826, cap. 9. *Sul ritardo della conversione*: « Ci s'insegni, *inquit*, questa dottrina *(de impotentia conversionis)* e si dica quali ne saranno le conseguenze applicabili alla condotta morale. L'uomo non può convertirsi a Dio, dunque al peccatore non rimane che la disperazione: stato incompatibile con ogni sentimento pio, umano, dignitoso; stato orribile, in cui l'uomo, se potesse durarvi ed esser tranquillo, non potrebbe farsi altra legge che procurarsi il più di piaceri, fin che può a qualunque costo. L'uomo non può convertirsi a Dio: dunque non più pentimento, non più mutazione di vita, non più preghiera, nè speranza, nè redenzione, nè vangelo; dunque il dire ad un peccatore di diventar buono per motivi soprannaturali, sarebbe fargli una proposizione assurda. L'uomo non è giudicato nello stato in cui si trova all'uscir da questa vita: dunque non v'è stato di giustizia e d'ingiustizia: poichè che sarebbe una giustizia che non rimettesse l'uomo nell'amicizia di Dio? e che sarebbe una amicizia di Dio che lasciasse l'uomo nella pena eterna? Dunque non sarà vero che vi sieno premii e pene per le azioni di questa vita, perchè non si suppone in questa vita uno stato in cui l'uomo possa esser degno degli uni e delle altre: dunque non vi sarà una ragione certa e preponderante di operar bene in tutti i momenti della vita. Queste ed altre simili sarebbero le conseguenze di una tale dottrina . . . Sotto il regime della dottrina cattolica è la passione che conduce l'uomo al traviamento; in questa supposta dottrina più l'uomo sarebbe ragionatore più dovrebbe pervertirsi. Nella dottrina cattolica il mezzo di prevenire le conseguenze immorali è di richiamare gli uomini alla dottrina: qui è nella dottrina che starebbe l'immoralità. Ma una tal dottrina è così contraria alle nozioni della ragione e ad ogni sentimento religioso, che non è stata proposta, nè potrebbe mai essere ricevuta ».

(2) *De lib. arbit.* lib. III, cap. 18.

per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad poenitendum (1).

DIFFICULTATES

411. I. Obj. 1. Deus peccatores excaecat et indurat, ut dicitur Exod. IX, Is. VI, Joan. XII, et alibi passim. Atqui Deus non indurat et excaecat impertiendo malitiam, juxta notum Augustini effatum (2); ergo saltem subtrahendo gratiam. 2. Totalem porro esse ejusmodi subtractionem ex citatis locis facile evincitur; nam Joan. XII, 39. legitur: *Propterea non poterant credere, quia Isaïas dixit: excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. His cohaerent, quae leguntur Ecclesiast. VII, 14: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*. Hinc, Isaïae V, Deus patefacto Judaeorum ad collata ipsis beneficia ingrato animo, sub vineae figura sic vv. 5 et 6 concludit: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinae; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*. Quae quidem verba de spirituali derelictione patres intellexerunt. Etenim s. Hieronymus: *Tollitur*, inquit, *Dei auxilium ab his, qui indigni sunt ut, quia non senserant Deum per beneficia, sentiant per supplicia* (3). S. Cyrillus Alex. scribit: *Dimittam vineam meam, non putabitur, non fodietur* (4). Id est, nulla ei cura impendetur, quae eam possit corrigere et in melius reducere. Demum s. Thomas: *Auferam sepem ejus, id est, auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur..... Non putabitur admonitionis aut correptionis vomere, quando peccat*, etc. (5). Ergo.

412. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Deus negative peccatores excaecat et indurat, caecitate ac induratione omnimoda ac perfecta, seu omnem eis penitus denegando gratiam, *N.* imperfecta, uberiora subtrahendo auxilia *C.* Responsio patet ex s. Augustini textu superius citato; alioquin, si penitus essent extra Deum, invenirentur in caecitate summa, quae propria tantum est damnatorum, eorum scilicet qui *viatores* esse desierunt. Quamdiu autem homines viatores sunt, possunt finem seu metam attingere; non possent autem sine omni prorsus gratia; ergo aliquam semper habeant necesse est, per quam possint converti.

413. Ad 2. *Neg.* Ad primam autem prob. seu ad textum Joan. XII, *D.* Non poterant credere impossibilitate consequenti ac voluntaria, *C.* antecedenti ac necessaria *N.* Apposite idem s. Augustinus in haec verba: *Non poterant*, inquit, *credere, quia hoc Isaïas propheta praedixit; hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit; quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem*

(1) Part. III, q. 86, a. 1; cfr. s. Joan. Damasc. *De fide*, lib. II, cap. 29; vid. etiam *Commentarius historicus* cit. Caroli du Plessis d'Argentré, cap. 3, assert. XII.

(2) Ita passim s. August. lib. II. *Quaest. in Exodum*, praesertim quaest. XXIII et seqq. Expresse vero cap. 194, n. 14, ubi scribit: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*.

(3) *In Isaï.* lib. II, in v. 5 et 6 capitis V, edit. Vall.

(4) Ὅτι ἀνήσω τὸν ἀμπελῶνά μου, καὶ οὐ μὴ τμηθῇ, οὐδ' οὐ μὴ σκαφῇ. *Comm. in Is.* lib. I, Orat. III, pag. 84 ed. cit.

(5) *Expos. in Isaïam*, cap. V, opp. edit. cit. Rom. 1570, t. XIII, fol. 8. a tergo.

praevidit Deus, et per prophetam praenunciavit (1).

414. Ad alteram autem probat. deductam ex Ecclesiast. *D.* Quem Deus despexerit despectione perfecta et absoluta, cademque despectione manente, *C.* imperfecta *subdist.* difficilius prae ceteris corrigi potest, *C.* nullo modo *N.* Eodem enim sensu id affirmavit Ecclesiastes, ac dixerat superius, cap. I, 15: *Perversi difficile corriguntur*.

415. Isaïas vero de punitione temporali judaicae reipublicae loquitur, *C.* de spirituali derelictione *N.* prout contextus ostendit, in quo praedicitur Judaeae vastatio et futura captivitas. Quod si patres etiam sensu spirituali et mystico citata verba intellexerunt, exponi debent de derelictione imperfecta; loquuntur enim de gratia conversionis, nempe efficaci, aut de gratia proxime sufficienti, qua interdum peccatores destitui possunt, quod et nos fatemur; non autem de privatione orationis, qua ceteras gratias obtinere valeant (2).

416. Inst. Frustra saltem obdurati ad Deum oratione confugiunt, a quo exaudiendi non sunt, ut videre est in Antiocho, de quo II, Machab. IX, 13. dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*. Ergo.

417. Resp. *D. A.* Si, non ut par est, confugiant, *C.* si debita ratione *N.* Ad exemplum porro Antiochi reponimus, ipsum oravisse quidem ad impetrandam salutem corporis, non autem animae. Extra rem propterea tum istud tum similia ejusmodi exempla proferuntur.

418. II. Obj. 1. S. Augustinus, *Lib. V. cont. Julianum: Caecitas cordis*, inquit, *quam solum removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum mali aliquid caeci cordis errore committitur* (3). 2. Et, *Exposit. in Ps. CLXVII: Ecce* (Deus) *deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam* (4). 3. Denique lib. *De nat. et grat.* ait: *Nec cogi-*

(1) *Tract.* LIII *in Joan. n.* 6. Mens s. Doctoris melius cognoscitur ex toto contextu; numero siquidem 4. jam dixerat: *Fecerunt ergo peccatum Judaei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse praedixit, quem nihil latet. Et ideo, si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur:* Deinde n. 5 subdit: *Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere? Si autem non credendo peccaverunt potuerunt ergo credere, et non fecerunt.* Demum solvit quaestionem, n. 6, verbis a nobis relatis.

(2) Cfr. Sanctius in h. l. n. 23 et 24. Quod suadet integrum istius capitis argumentum et nexus. Primum enim Israëliticus populus sistitur sub imagine vineae a vinitore in fertili solo plantatae et cultae, providaque et liberali cura educatae, sed in edendis fructibus Domini sui expectationem deludentis, eamque ob causam omni influxu coelesti et cura atque custodia vinitoris privandae ac penitus diruendae (a v. 1 ad 6.). Deinde Propheta, v. 7. hujus parabolae significationem exponit. Tum singula populi scelera perstringit, nempe avaritiam et rapacitatem (a v. 8 ad 10), intemperantiam, luxuriam, temeritatem et inconsiderationem (a v. 11 ad 14), ratiocinia improba, quae suadent peccandi licentiam (v. 18 et 19), eversionem omnium veri et justi legum, etc. Denique horum scelerum et criminum poenas denunciat (a v. 24 ad finem), nempe direptionem Judaeae a longinquis populis. Cfr. etiam Rosenmüller in hoc caput.

(3) Cap. 3, n. 8.

(4) N. 26.

tat praevaricatorem legis, quam digne lux deserat veritatis, qua desertus utique fit caecus, et plus necesse est ut offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat (1). 4. Et alibi passim inculcat: *Desertum omni lumine veritatis velle non posse* (2); 5. tum: *Cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse, qua tamen excaecatione non potuerunt credere* (3). Exploratum est igitur ex toto Augustini systemate, omni prorsus gratia induratos peccatores destitui et omni lumine, in eoque statu constitutos surgere non posse, sed necessario in graviora impingere.

419. Resp. *Neg. cons.* Sed potius nihil magis inde exploratum esse colligitur, quam abusum perpetuum doctrinae s. Augustini ex parte adversariorum, quos impugnamus, quique non verentur contra apertam ejus mentem ejusmodi urgere testimonia.

420. Quandoquidem in istis textibus s. Augustinus vel loquitur hypothetice, ostendendo quid foret de homine omni prorsus gratia destituto, caeco et obdurato, ut evincat ejusdem gratiae necessitatem adversus pelagianos; vel agit de eo, quod contingit illi, qui destitutus est gratia efficaci aut proxime sufficienti in poenam superbiae ac jactantiae. Ast nunquam asserit, dari hominem omni prorsus gratia a Deo privatum, imo contrarium semper docuit.

421. Igitur ad 1. *D.* Si daretur ejusmodi caecitas, illa sequerentur quae enumerat s. Doctor, *C.* reipsa datur ex mente s. Augustini *N.* Disputans enim adversus Julianum pelagianum, qui gratiae necessitatem negabat, s. Augustinus patefacit, quid esset homo sine gratia, aut illam respuens, ut patet ex verbis illis: *Caecitas cordis, quam solum removet illuminator Deus*. Nusquam vero asserit, Deum illam caecitatem non removere; quod tamen deberent ostendere adversarii, ut aliquid proficerent.

422. Ad 2. *D.* Explicans effectus desertionis, si daretur, *C.* quae tamen revera detur *N.* Imo prosequitur s. Augustinus, ibid.: *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit? et quis liberat? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum*. Deinde hujus gratiae effectus commendans erga vel durissimos peccatores, subdit, quod, etsi *congelaverint et crystallum facti fuerint, non erunt duri misericordiae Dei, emittet verbum suum et tabefaciet ea*, etc. (4); et addit: *Duri sunt enim per superbiam*, quae scilicet contemnit omnem gratiam.

423. Ad 3. *D.* Qui superbia intumescens gratiam respuit aut ei resistit, *C.* qui gratiae, quam ei Deus largitur, obsequitur *N.* Responsio patet ex dictis et ex contextu. Subdit enim s. Doctor, cap. seq.: *Deserti luce justitiae et per hoc contenebrati, quid pariant aliud quam haec omnia, quae commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: Surge, qui dormis*, etc. (5).

424. Ad 4. *N.* Sed solum dicit, eum, qui desertus esset omni lumine veritatis, praecepta servare non posse; quod quidem verissimum est, ast longe alienum ab adversariorum assertione, qui ea objiciunt tamquam absolute dicta ab Augustino.

425. Ad 5. *D.* Non potuerunt impotentia culpabili et voluntaria, *C.* abso-

(1) Cap. 22.
(2) Lib. *De perfect. just.* c. 19, n. 41.
(3) Lib. *Septemdecim Quaest. in Matth.* quaest. XIV, n. 3.
(4) Loc. cit.
(5) Cap. 23, n. 25.

luta *N.* Adjicit enim s. Pater post adducta verba, istos sic fuisse excaecatos, ut tamen illa excaecatio eis *ad humilem confessionem, et sollicitam inquisitionem, et obedientem conversionem, et ferventem dilectionem valeret* (1).

426. III. Obj. 1. Si obdurati acciperent gratias sufficientes ad salutem, nullum jam intercederet discrimen inter ipsos et peccatores reliquos, quod tamen admitti nequit. 2. Deinde quis nesciat determinatum esse peccatorum numerum, ultra quem Deus nullum aliud dimittere decrevit, juxta illud Amos, I, 3 et seqq.: *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum?* 3. Hinc fit, ut obdurati et obcaecati interdum repentina morte abripiantur, aut in subitam incidant amentiam post peccatum admissum. His profecto nulla suppetit gratia ad salutem. 4. Accedit doctrinam ejusmodi theologorum, qui liberaliter ac indiscriminatim omnibus gratias diffundunt, perniciosam in praxi esse: etenim hac doctrina semel constituta, virtus non amplius esset regula constans ac norma totius vitae, sed potius ei substitueretur ratio componendi pessimam vitam cum optima morte (2). Ergo.

427. Resp. Ad 1. *N.* Nam peccatores reliqui uberiores et frequentiores gratias consequuntur prae obduratis et obcaecatis.

428. Ad 2. *D.* Determinatus est peccatorum numerus quoad eos, qui post patratum aliquod peccatum aut moriuntur aut in amentiam perpetuam incidunt, *C.* quoad eos, qui in vivis supersunt et mentis compotes in ordine ad gratias efficaces, *Tr.* in ordine ad gratias proxime aut remote sufficientes, quibus semper resipiscere valeant *N.* Eo ipso enim quod peccatores semper teneantur praecepto conversionis et spei, nunquam omni gratia, quamdiu vivunt, privantur juxta illa quae dicta sunt. Testimonium vero Amos est tantum de poena temporali nec proinde ad rem praesentem facit (3).

(1) Cfr. ibid. s. Doctor. Vid. Tricassin. op. cit. *De necessaria ad salutem gratia*, sect. IV, § 1 et seqq. ubi perquam luculenter patefacit malam adversariorum fidem in his testimoniis aliisque similibus afferendis. Cfr. etiam Deschamps, *Haeres. Jansen.* lib. III, disp. XV et seq. Mirum propterea est, nonnullos theologos ausos esse haec ipsa s. Augustini testimonia proferre, quae Calvinus et Jansenius urgent, ut evincant Deum excaecatis et obduratis nullam gratiam tribuere.

(2) Ita Sismondi, *Hist. des Répub. Ital.* tom. XVI, pag. 415 et 416; ubi scribit: « La vertu, au lieu d'être la tâche constante de toute la vie, ne fut plus qu'un compte à régler à l'article de la mort. Il n'y eut plus aucun pécheur si aveuglé par ses passions qu'il ne projetât de donner, avant de mourir, quelques jours au soin de son salut; et dans cette confiance il abandonnait la bride à ses penchants déréglés. Les casuistes avaient dépassé leur but en nourrissant une telle confiance; ce fut en vain qu'ils prêchèrent alors contre le retard de la conversion; ils étaient eux-mêmes les créateurs de ce déréglement d'esprit, inconnu aux anciens moralistes; l'habitude était prise de ne considérer que la mort du pécheur, et non sa vie, et elle devint universelle ». Magis mirari subest, hunc auctorem potuisse exprobrare catholicis morum corruptionem provenientem ex principio de possibilitate conversionis, qui sectam profitetur, in qua praedicatur inutilitas bonorum operum ad salutem, quique praeterea idololatriae apologiam texuit.

(3) Cfr. Sanctius in hunc loc. qui in primis adnotat, ibi ternarium numerum pro indefinita multitudine scelerum a Propheta usurpari; deinde illam conversionem longe verisimilius vim habere sensus negativi, ita ut haec sententia

429. Ad 3. Qui tamen usque ad id temporis gratias necessarias ad salutem obtinuerint, *C.* secus *N.* Justo proinde Dei judicio plectuntur post tot gratiarum abusum. Addo ejusmodi difficultatem perinde ac praecedentem aeque premere eos, qui saltem peccatoribus communibus gratias dari contendunt.

430. Ad 4. *N.* Imo opposita doctrina, quae omnem spem adimit conversionis in extrema vitae periodo constitutis, viam facilem aperit ad quaevis scelera; cum nullo froeno coerceantur illi, quorum animos haec sententia imbuerit. Quo enim se vertent, quorum desperata salus declaratur? Qui autem abuntur catholica doctrina, quae docet spem semper superesse salutis, sibi ipsis perniciem consciscunt. Spes enim eo difficilior evadit, quo major praecessit gratiarum abusus. Committunt ipsi negotium omnium maximum incerto eventui, cujus omnia adjuncta prorsus ignorant. Itaque deterrendi sunt peccatores, quamdiu vivunt; sed non deneganda ipsis consolationis ac spei jucunditas est, dum in extremis versantur, cum scilicet nullum aliud remedium praeteritis malis amplius suppetit, nullusque illinc datur regressus (1).

ex Dei nomine exurgat: Si populus illum solum communem peccatorum multitudinem admisisset, non converterem illum, seu ei non parcerem ac punirem, nunc multo minus parcam, postquam quarto peccato seu novo scelerum genere cumulum ceteris peccatis addidit? Demum ostendit agi de supplicio temporali, quod vv. seqq. Prophela designat; siquidem nihil aliud praeter bellum, fugam et incendium comminatur, quae omnia longe absunt a spirituali supplicio.

(1) Praestat huc quoque afferre, quae in hanc rem scribit cit. Manzoni: « Ma se la Chiesa, *ait ipse*, ha tanto poca fiducia nelle conversioni della morte, perchè si mostra così sollecita nell' assistere il peccatore moribondo? Appunto perchè la sua fiducia è poca, ella riunisce tutti i suoi sforzi; appunto perchè l'impresa è difficile, ella impiega tutta la carità del suo cuore e delle sue parole. Un filo di speranza di salvare un suo figlio basta alla Chiesa per non abbandonarlo: ma con questo insegna ella forse agli uomini a ridursi ad un filo di speranza? Quegli uomini benemeriti che amministrano i soccorsi a colui che è tratto da un fiume con poca o nessuna apparenza di vita, ponno forse essere tacciati di incoraggiar gli uomini ad affogarsi?

Si osservi a questo proposito che la Chiesa sembra avere due linguaggi su questa materia; essa cerca d' ispirare terrore ai peccatori che nel vigore della salute veggono e si promettono confusamente nell' avvenire il tempo di peccare e di convertirsi; e cerca d' ispirare fiducia ai moribondi. Nel che non v' è contradizione ma prudenza e verità. I peccatori nell' uno e nell' altro stato non sono disposti che a guardare fissamente una parte della questione; la Chiesa fa loro presente la parte che essi dimenticano.

I primi sono pieni dell' idea della possibilità, ed è utile rappresentar loro la difficoltà; gli altri sono portati a veder questa sola così vivamente, che per essi uno dei più grandi ostacoli al convertirsi è appunto il diffidare della misericordia di Dio ».

Respondens demum expostulationi, quam Sismondi proponit his verbis: « Aucun incendiaire (en Italie), aucun brigand, aucun empoisonneur ne monte sur l' échafaud sans avoir fait, avec une componction profonde, une bonne confession, une bonne communion, sans faire ensuite une bonne mort; son confesseur déclare sa ferme confiance que l'âme du pénitent à déjà pris son chemin vers le ciel », etc. . . . haec subdit: « Essa (la Chiesa) accoglie, è vero, il reo cacciato dalla società e dalla vita, il suo ministro si pone fra il giudice ed il carnefice, sì, fra il giudice ed il carnefice, perchè ogni posto dove si possa sa-

PROPOSITIO IV.

Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem

451. Infideles *negativi* illi nuncupantur, qui nihil unquam de fide audierunt. *Positivi*, qui cum fidei notitiam habuerint eam amplecti noluerunt, aut eam respuerunt. De istis nulla quaestio esse potest. De primis proinde fere tota lis est. Omni penitus gratia sive proxime sive remote sufficienti ad salutem eos destitutos esse, contendunt non solum jansenistae omnes, sed nonnulli etiam theologi catholici, adversus quos enunciatam propositionem tamquam *certam* pariter propugnamus.

452. Sane ab Alexandro VIII proscripta est haec propositio, quae est num. IV: *Pagani, Judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti* (1). Proscriptae pariter sunt a Clemente XI sequentes Quesnelli propositiones, nempe XXVI: *Nullae dantur gratiae nisi per fidem;* XXVII: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum;* XIX: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Doctrina igitur catholica docet, paganis, judaeis, etc. dari gratiam sufficientem, dari gratias ante fidem, ideoque et iis, qui sive ejus notitiam habuerint sive non. Quod argumentum eo magis urget, quod damnatae fuerint hae propositiones Quesnelli in sensu auctoris (2).

453. Inniti autem hanc doctrinam Scripturarum auctoritati, patet ex testimonio Apostoli, I Timoth. II, 1 et seqq. qui vult a fidelibus orationes fieri *pro omnibus hominibus . . . Hoc enim bonum est*, ait, *et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. *Unus enim Deus, et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Jam vero, nisi Deus gratias saltem sufficientes ad salutem tribueret infidelibus, dici non posset eum habere sinceram voluntatem ipsos salvandi, aut Christum pro iis mortuum

tificare un' anima e consolarla, dove vi sia una ripugnanza da sormontare, una serie di sentimenti penosi che non termini ad una ricompensa temporale, ivi è per un ministro della Chiesa il posto d' onore . . . . Chi può dire quale sia l' angoscia d' un uomo che ha il patibolo dinanzi agli occhi, e rifuggendosi alla sua coscienza vi trova la memoria del delitto? Di colui che aspetta la morte non per una causa santa, ma per le sue passioni? E la Chiesa trascurerebbe di render utile un tanto dolore all' infelice, che è costretto a gustarlo! E vi sarebbe un caso in cui essa non avesse misericordia da promettere! In cui essa pure abbandonasse un uomo! Essa gli apre le braccia, non dimentica che il Sangue di Gesù Cristo è stato versato anche per lui, e si adopera perchè non sia stato per lui versato invano. Ma la certezza non la dà, nè a lui nè agli altri, e chi la piglia, va direttamente contro il suo insegnamento ».

(1) Cfr. Viva, op. cit. in Prop. IV et V damnatas ab Alex. VIII, n. 5.

(2) Cfr. Fontaine in *Constitut.* UNIGENITUS *theologice propugnata* ad has propositiones, quarum verum sensum prius aperit, quod nempe actus fidei theologicae sit prima gratia; deinde late tum ex Scriptura, tum ex patribus, conciliis ac theologis confutat.

esse; nam ut, optime loquens de hac Dei voluntate, Angelicus Doctor ait: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturae in finem salutis, et praeoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia quam gratuita* (1).

454. Rursum Joan. I. de Verbo divino dicitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quae quidem verba expendens s. Joan. Chrysostomus, quaerit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto homines sine lumine permanent?* Respondet autem: *Quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est . . . Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem imputent oportet* (2). Eidem reliqui patres Graeci omnino consentiunt.

455. Graecis patribus Latini item consonant. S. Ambrosius, *In Psalm. CXVIII: Mysticus sol ille justitiae,* inquit, *omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit . . . Si quis autem non credit in Christum generali beneficio ipse se fraudat* (3). S. Augustinus, *In Ps. XVIII: Et non est, qui se abscondat a calore ejus. Cum autem Verbum,* inquit, *etiam caro factum est et habitavit in nobis . . . non permisit* ULLUM MORTALIUM *excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor* (4). Antiquus Auctor librorum *De vocatione gentium*, lib. II, cap. XXVI, inter cetera scribit: *Opitulatio* (divina) *per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae*. Et cap. XXXI. concludit: *Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura, quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est,* (*ut Apostolus ait*) *Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (5).

456. Constat igitur tum ex Scriptura tum ex patrum Graecorum et Latinorum unanimi consensu, qui innititur et voluntati Dei sincerae salvandi omnes homines et Christi morti pro omnibus, nemini prorsus a Deo negari auxilia necessaria, quibus ad salutem pervenire quilibet possit; ideoque et infidelibus tum positivis tum negativis gratias sufficientes a Deo concedi.

457. Ne tamen videamur ludere in ambiguo, ad praecavendas difficultates animadvertendum est, si proprie sit sermo de infidelibus negativis, non eo sensu a nobis affirmari ipsis gratias suffi-

(1) *In I. Sent.* dist. XLVI, quaest. I, art. I.

(2) Τό γε εἰς αὐτὸν ἧκον. Εἰ δὲ τινες ἐκόντες τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς μύσαντες, μὴ βούλοιντο παραδέξασθαι τοῦ φωτὸς τούτου τὰς ἀκτῖνας, οὐ παρὰ τὴν τοῦ φωτὸς φύσιν ἡ σκότωσις ἐκείνοις, ἀλλὰ παρὰ τὴν κακουργίαν τῶν ἑκοντὶ ἀποστερούντων ἑαυτοὺς τῆς δωρεᾶς· Ἡ μὲν γὰρ χάρις εἰς πάντας ἐκτέχυται . . . . Οἱ δὲ οὐκ ἐθέλοντες ἀπολαῦσαι τῆς δωρεᾶς ταύτης, ἑαυτοῖς δίκαιοι ταύτην ἂν εἶεν λογίσασθαι τὴν πήρωσιν. *Hom.* VIII, al. VII, *In Joan.* tom. VIII op. p. 48.

(3) *Serm.* VIII, n. 57, edit. Maur.

(4) *Enarr. I*, n. 7.

(5) Inter opp. s. Leonis, edit. Baller. tom. II.

cientes praesto esse, quasi illae supernaturales sint tum ratione substantiae tum ratione finis. Exploratum enim est, ut superius adnotavimus, nullas dari gratias supernaturales proprie dictas, seu etiam *ratione finis* ante vocationem ad fidem, undecumque haec ad fidem vocatio proveniat, sive ex medio externo praedicationis, sive ex medio interno illustrationis supernaturalis. Quare gratiae de quibus agimus, et quas ostendimus dari infidelibus, sunt gratiae medicinales, quibus adjuti infideles possunt adimplere legem naturalem ac vincere difficultates, quae ejusdem observantiae adversantur; opera autem horum adjumentorum ope parta intra ordinem moralis honestatis continentur. His autem gratiis si infideles obsequantur, majora eis subsidia adjiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernaturalem per initium fidei sive per homines ad hoc missos, sive per Angelum, sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum fuerit. Quo spectant verba, quae superius retulimus ex s. Thoma, *Quaest. XIV. De verit.* art. XI, ad 1: *Si aliquis taliter nutritus*, etc. (1). Atque hinc rectius intelligitur verus sensus effati theologici, de quo superius egimus: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*.

DIFFICULTATES

438. I. Obj. 1. Apostolus, Act. XIV, 15: *Deus*, inquit, *in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas;* et XVII, 30: *Tempora hujus ignorantiae despiciens Deus*. Gentes igitur omni penitus gratia caruerunt. 2.

(1) Eadem habet, *Contra Gent.* lib. III, cap. 159, ubi scribit: « Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat . . . Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinae gratiae receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum praestat gratiae receptioni ». Jam vero qua ratione posset homo nisi gratia medicinali adjutus haec impedimenta tollere? Similia habet, *In* II *Sent.*, dist. XXVIII, art. 4; neque unquam contrarium docuit, ut nonnulli autumant, eo quod I, 2, q. 109, a 6, ad 2, ejusmodi effatum theologicum exponat, de faciente quod in se est ex viribus gratiae: « Et ideo cum dicitur, *inquit*, homo facere quod in se est, dicitur, hoc est in potestate hominis secundum quod est motus a Deo »; ibi enim loquitur s. Doctor de praeparatione ad gratiam sanctificantem seu ad justificationem. En statum quaestionis, quem ipse declarat in corpore articuli: « Duplex est, *inquit*, praeparatio voluntatis humanae ad bonum. Una quidem ad bene operandum et ad Deo fruendum; et tamen praeparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiae dono, quod sit principium operis meritorii; alio modo potest intelligi praeparatio voluntatis humanae ad consequendum ipsum gratiae habitualis donum; ad hoc autem, quod praeparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet praesupponere aliquid aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet praesuppoui aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio Dei ». Haec interpretatio communis fere est pluribus antiquis scholasticis illius aetatis. Cfr. apud Du Plessis d'Argentré, op. cit. *De multiplici genere divinae gratiae*, etc. Imo addo hoc effatum, quod vix in terminis non habetur apud Isidorum Pelus. lib. V, ep. 459, scholasticos juxta sensum a nobis expositum hausisse ex antiquis patribus, ut ostendit Cl. Isaacus Habert, op. cit. *Theol. Graec. Patrum*, lib. I, cap. XXIV, §§ praesertim 3 et 4.

Quaenam enim fuerit istarum gentium conditio, declarat idem Apostolus, ad Ephesios (II, 12) scribens: *Eratis illo in tempore sine Christo . . . promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo*. 3. Tantum vero abest ut Deus velit omnes gentes ad fidem vocare, ut Paulus et Barnabas, prout legitur Act. XVI. 6. vetiti fuerint *a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*. Ergo.

439. Resp. ad 1. *D.* Dimisit Deus gentes ingredi vias suas, ac illa ignorantiae tempora despexit, non eis tribuendo immediate gratiam fidei, prout tribuerat Judaeis, *C.* omnem absolute gratiam denegando, qua potuissent ad fidem ac salutem pervenire *N.* In utroque enim loco testatur Apostolus, non sine testimonio Deum se reliquisse, quo gentes potuissent ipsum quaerere et invenire; quod sine gratia saltem sufficienti fieri nequit.

440. Ad 2. *D.* Respectu Judaeorum in quorum comparatione Apostolus Ephesios olim gentiles alloquitur, *C.* in se et absolute *N.* ut patet ex contextu; dicit enim eos alienatos fuisse a conversatione Israël et hospites testamentorum.

441. Ad 3. *D.* Id est dilata est in aliud tempus praedicatio Evangelii in Asia, *C.* negata est in perpetuum *N.* Non multo enim post iidem apostoli Evangelium ibidem annunciarunt, ut referunt ipsa Acta Apostolica. Interim non omni gratia destituti Asiatici fuerunt, ut ex dictis colligitur.

442. II. Obj. Fides ex concilio Trid. sess. VI, cap. VIII, *est initium et radix omnis justificationis*. Fides igitur in Christum est prima gratia; quod plane cohaeret cum doctrina s. Augustini, qui lib. *De praedest. SS.* cap. VII. loquens de fide, 2. ait: *Ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*; et lib. *De grat. et lib. arb.* cap. XIII: *Gratia*, inquit, *per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides*; et *Tract. III. in Joan.* n. 8. sciscitatur: *Quam gratiam primo accepimus? Fidem*, respondet, *quia*, ut ibidem subdit num. 9, *ipsa fides gratia est*; quam doctrinam iterum inculcans s. Doctor in lib. *De gestis Pelagii*, cap. XIV, n. 34: *ipsa* (fides), scribit, *initium est unde bona opera incipiunt*. Constat proinde fidem omnium gratiarum primam omnino esse; cum vero eadem fide careant infideles negativi, plane consequitur nullam ipsis gratiam tribui.

443. Resp. ad 1. *D.* Fides est prima gratia proxime influens in dispositiones ad justificationem, *C.* est prima gratia, quae infidelibus conferatur *N.* Multi enim vocantur ad fidem per gratias remote sufficientes quibus si bene utantur, Deus gratuito et ex sua liberalitate, ut diximus, eis tribuit fidei donum, ut ex facto Cornelii patet, aliisque passim.

444. Ad 2. *D.* Est prima gratia Salvatoris, proxime disponens ad justificationem, *C.* simpliciter et absolute, *N.* ut contextus ipse ostendit, disserit enim s. Doctor de operibus salutaribus, ad quae requiritur gratia supernaturalis ac proprie dicta. Atque ita responsio extenditur ad reliquos textus, qui eundem sensum prae se ferunt; nec aliud evincunt, nisi vocationem ad fidem esse primam gratiam supernaturalem proprie dictam, quae proxime disponit ad justificationem per opera salutaria.

445. III. Obj. Si gratiae saltem remote sufficientes ad salutem darentur infidelibus omnibus etiam negativis, quibus ipsi instructi per mandatorum observantiam possent pervenire ad fidem, plura consequerentur absurda non minus a s. Augustini quam a totius ecclesiae doctrina prorsus aliena. Ac 1. sequeretur opera naturaliter honesta homines disponere ad fidem; 2. vocationem ad fidem non amplius esse gratuitam, sed dari juxta merita naturalia;

3. gratiam esse omnibus communem; 4. qui sunt totidem errores pelagianorum et semipelagianorum; atque ut postremo huic errori insistamus, 5. praeterquam quod gratia communis omnibus non esset amplius gratia, et 6. quemadmodum loquitur s. Thomas : *Si* (gratia) *omnibus datur, non videtur aliud esse quam aliquod naturale donum ; nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire nisi in aliquo naturali* (1), 7. s. Augustinus expresse pronunciat de gratia : *Scimus non omnibus hominibus dari* (2); et s. Prosper fidentes lacessit semipelagianos in *Carmine de ingratis*, cap. XI, v. 273 et seqq. :

. . . . *Dic, unde probes, quod gratia Christi*
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,
Praetereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit (3) ?

Ergo.

446. Resp. *Neg. ant.* Ad primam prob. *D.* Sequeretur ejusmodi opera disponere homines ad fidem negative, *C.* positive *N.* ut patet ex iis, quae disseruimus agentes de gratiae necessitate et gratuitate ; fidelis enim mandatorum observantia, quae per auxilium divinae gratiae obtinetur, removet tantum obstacula ad ulteriora et uberiora auxilia excipienda (4), ac minus indignos homines efficit divina et gratuita vocatione. Si sermo vero sit de iis, qui in Deum creatorem et remuneratorem credunt, dici possent hi non omni penitus fide destitui supernaturali, quamvis ea sit adhuc imperfecta, et quodammodo inchoata per supernaturale aliquod lumen ipsis a Deo inditum, cujusmodi fuit in Cornelio, de quo scribit s. Augustinus : *Non sine aliqua fide donabat et orabat* (5); et qua per gradus usque ad perfectam perveniri potest mediante cooperatione ad ulteriores gratias. *Fiunt ergo*, inquit idem s. Doctor, *inchoationes quaedam conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam* (6).

447. Ad 2. *N.* juxta modo dicta; his enim dispositionibus non obstantibus posset Deus vocationis gratiam non concedere.

448. Ad 3. *D.* Qualem adstruimus, *C.* gratiam supernaturalem proprie dictam tum ratione sui, tum ratione finis nempe fidei, *N. Non enim omnium est fides*, inquit Apostolus, II. Thess. III, 2.

449. Ad 4. *N.* Siquidem error pelagianorum in eo erat, quod inficiarentur gratiae necessitatem, cum sine illa, ex istorum systemate, homines propriis viribus possint totam legem servare, tum gratiam promereri. Error vero semipelagianorum versabatur pariter circa gratuitatem gratiae ; cui aliud adnectebant veluti corollarium, gratiam nempe aequali ratione omnibus propositam esse, neque expectare ad sese communicandam nisi praevium liberae voluntatis motum, ut suo loco exposuimus. Nihil porro commune habet cum his erroribus doctrina catholica, quae tradit ex sola Dei liberalitate dari hominibus infidelibus gratias sufficientes, quibus sanetur infirmitas per peccatum originale contracta ad legem servandam.

(1) *Quaest.* XXIV *de verit.* a 15.

(2) *Epist.* CCXVII *ad Vital.* n. 16.

(3) Opp. s. Prosperi, edit. D. Joan. Salinas, Romae 1732.

(4) S. Thom. vocat *Removens prohibens*.

(5) *De praedest. Sanct.* cap. 7.

(6) Lib. I *Ad Simplic.* quaest. II, num. 2. In hoc ipso numero scribit : « Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem ».

450. Ad 5. *N.* Ut enim aliquid gratia dicatur et sit, satis est ut non sit debitum; jam vero Deus ex sola misericordia sua ac intuitu meritorum Christi gratiam confert. Sane creatio omnibus rebus existentibus communis est, num propterea non erit amplius gratuita? Nonne gratia omnibus Angelis communis fuit, fatentibus jansenianis, et communis fuisset omnibus hominibus, si Adam non peccasset?

451. Ad 6. *D.* Et loquitur s. Thomas de gratia sanctificante in praesenti statu, *C.* loquitur de gratia actuali *N.* Quid enim senserit de istius distributione, patet tum ex iis, quae paulo ante ex ipso retulimus, tum ex iis, quae lib. III, *Contra gentes*, cap. CLIX, scribit: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire . . . sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant; sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniente.*

452. Ad 7. *D.* Et s. Augustinus, s. Prosper aliique, quorum similia testimonia adduci possent, negant gratiam fidei omnibus dari, praesertim in sensu semipelagianorum, adversus quos agebant, *C.* sensu catholico a nobis exposito, *N.* gratia actualis fidei perfectae et justificationis profecto non omnibus datur, et hoc sensu recte illi patres id inficiati sunt adversus semipelagianos, contendentes hanc pariter omnibus dari, praesertim si per conatus, per desiderium, per naturalem humanam voluntatem, aut merita naturalia sibi comparata propria virtute eam promeruerint. Mentem semipelagianorum exponit idem s. Prosper, *Carm.* cit. cap. I, v. 29. et seqq.

NULLUM *autem* EX CUNCTIS *exortem muneris hujus*
Judicio genitum esse Dei; sed QUEMQUE MERERI
LIBERTATE SUA, *ut capiat promissa vocantis,*
Quae sint aversis indebita, DEBITA RECTIS.

Nos vero adstruimus, nemini deesse gratiam sufficientem ad servanda divina mandata.

453. IV. Obj. 1. Si infidelibus tribuerentur gratiae sufficientes ad servandam legem naturalem, possent in illo statu diligere Deum super omnia; quod tamen dici nequit, alioquin possent justificari et salvari sine fide in Christum. 2. Praeterea, si infideles iisdem gratiis bene utentes possent ad fidem pervenire, nulla amplius in ipsis daretur ignorantia invincibilis et inculpabilis mysteriorum fidei; atqui haec propositio in Bajo damnata est. Veram porro foro hanc Baji propositionem in hypothesi quod omnibus darentur gratiae sufficientes, ita conficitur: Illud saltem indirecte vincibile et culpabile censendum est, quod est voluntarium in causa; atqui illa mysteriorum fidei ignorantia esset voluntaria in causa, ob voluntariam nempe legis naturalis transgressionem. 3. Quamquam ex facto ipso ejusmodi hypothesis destruitur; si enim gratia fidei iis concederetur, qui gratiis saltem remote sufficientibus bene obsequerentur, debuisset profecto dari Tyriis et Sidoniis, qui crediturі fuissent in Christum, visis ejus miraculis, quae patravit apud Corozaitas et Bethzaiditas, quae tamen iis data non fuit. Patet proinde, nullam infidelibus gratiam conferri, quae non nisi noxia ipsis foret; imputarentur enim ad culpam propter hanc gratiam eorum transgressiones legis naturalis, quae sine illa, utpote involuntarie seu

necessario factae, non imputarentur, saltem in doctrina catholicorum. Ergo.

454. Resp. ad 1. *Neg. min.* nempe dici non posse cum hujusmodi gratiis infideles Deum diligere super omnia cum nihil obstet. Nec tamen inde inferri potest eos justificari; cum ejusmodi amor non esset nisi naturalis ordinis, sine fide autem; ac propterea sine actu supernaturali nemo potest justificationem adipisci, cujus illa radix, initium et fundamentum est (1).

455. Ad 2. *Neg.* Ad prob. *Neg.* iterum. Ad hoc enim ut aliquid voluntarium in causa censeri debeat, duo requiruntur, tum nempe ut effectus ex ea necessario profluat, tum ut, saltem in confuso, ut ajunt, idem effectus secuturus praevideatur. Cum autem infideles nullam, ne levem quidem notitiam aut suspicionem habeant mysteriorum fidei, nulla ratione, dum naturalem legem transgrediuntur, illorum ignorantiam aut volunt aut intendunt. Falso praeterea, qui haec opponunt, pro certo sumunt, his operibus deberi gratiam fidei. Hoc porro sublato fundamento, corruit difficultas.

456. Ad 3. *N.* Ad prob. *D.* Tyriis et Sidoniis collata gratia fidei fuisset, si haec pro meritis vel ex praeviso bono ipsius usu conferretur, *C.* si gratuito ac independenter ab ejusmodi praevisione *N.* Deus enim dominus est donorum suorum, nec quidpiam alicui debet.

457. Ad 4. *N.* Ut ex dictis constat. Negamus praeterea, ejusmodi gratias, quae conferuntur infidelibus negativis ad mandatorum observantiam, ipsis noxias fore. Cum enim facultatem expeditam tribuant ad praecepta implenda, si infideles iis resistant vel non obsequantur, sibi debent imputare, si ea non impleant, maxime quod, iis etiam gratiis absentibus, legis naturalis transgressiones ipsis imputari deberent ad culpam, cum physica saltem potentia polleant ad eam servandam; necessitas proinde, in qua versarentur sine gratia, non esset nisi moralis, minime vero absoluta.

PROPOSITIO V.

Deus, quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus absque baptismo praeparavit, quibus ad salutem pervenire possent

458. Tota quaestio in eo versatur, utrum Deus, quantum ex se est, sufficienter providerit media salutis obtinendae infantibus, qui ex solo naturali rerum seu naturae cursu ex vita excidunt, quin ulla ratione potuerit ipsis baptismi remedium applicari. Alii negant, alii

(1) Nonnulli theologi contendunt in infidelibus negativis ad hoc, ut actum supernaturalem cum gratia eliciant, sufficere fidem implicitam in Christum. Quo referunt verba Apostoli, Hebr. XI, 6: « Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit ». Hanc sententiam tenuerunt Scotus, Soto, Suarez aliique non pauci. Card. Gotti, *Theol. Scholastico-Dogmatica*, tom. X, seu I, in 2, 2, s. Thomae, *Tract. de fide*, quaest. II, dub. IV, § I, de hac sententia scribit: « Sententia negans, fidem explicitam Christi et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo justificari aut salvari queat, valde probabilis est. Eam enim videtur docere s. Thomas tum hac 2, 2, q. 10, a. 4, ad 3, tum p. 3, q. 69, a. 4, ad 2, ubi de Cornelio Centurione ait: Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per Fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicite ». Cardinalis tamen adhaeret sententiae affirmanti tamquam *probabiliori* et *tutiori*.

affirmant. Nos his subscribimus sequentibus rationum momentis ducti.

459. *Primo*. Deus sincere vult etiam istorum parvulorum salutem; ergo, quantum ex se est, debuit ipsis salutis media sufficienter providere, quibus ad eam pervenire possint.

460. *Secundo*. Christus pro his quoque infantibus mortuus est, et sanguinem suum fudit ex vero ac sincero desiderio eos salvandi; ergo iis etiam media vere sufficientia, quibus aeternam vitam consequi possint, meritus est ac praeparavit.

461. Haec autem nonnullis exemplis confirmari ac declarari possunt. Eadem ratione ac censerentur vere ac sufficienter medicus vel dominus providisse saluti infirmi aut libertati captivi, qui remedium vel summam pecuniariam ad eos per famulum miserint, etsi hic famulus vel subita morte correptus vel alio modo detentus fuerit, vel ex propria oscitantia alio divertens pharmacum aut pecuniam non attulerit; sic Deus censendus est, quantum est ex se, sufficienter istorum infantium saluti prospexisse per baptismi sacramentum, licet administrari illud ipsis minime potuerit ex aliquo impedimento, vel a naturali naturae cursu exorto, vel ex negligentia aut culpa hominum.

DIFFICULTATES

462. Obj. 1. Deus sufficienter iis remedium salutare non providit, si *ipso nolente* nullo pacto remedium istud applicari potest; id porro saepe testatur s. Augustinus, qui praesertim in lib. *De dono persev.* cap. XII, et *Epist. CXCIV*, aperte docet, plerumque parvulo non conferri baptisma *Deo nolente*. 2. Loquens praeterea loc. cit. *De dono persev.* de infantibus, quorum aliqui baptizantur, alii vero baptizari non possunt: *Quare*, interrogat, *illos potius quam illos liberat?* Respondet autem: *O homo, quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia Dei*. Pro certo igitur sumit ex sola Dei voluntate fieri, ut alius baptizetur, alius vero baptizari nequiverit; non igitur ex naturae cursu aut alia causa id repeti debet. 3. Sane qui eum naturae ordinem instituit, in quo praevidit futurum, ut infans prius moriatur, quam ei baptisma administrari possit, non censetur istius saluti sufficienter prospexisse: *Insanum omnino et contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri*, ut recte arguebat adversus semipelagianos s. Prosper (1). Ex Dei autem voluntate hic naturae ordo constitutus est, et cum tali praevisione. 4. Accedit, quod omnis provisor teneatur malum avertere ab eo, cui providet, ut vere dici possit sufficienter ejus bono prospicere. Cum igitur Deus ab infantibus ejusmodi impedimentum non averterit, evidens est remedium salutare iis minime providisse. Ergo.

463. Resp. ad 1. *D.* Si administrari non possit baptisma Deo nolente *positive*, *C.* Deo nolente *negative* seu permissive, ut aiunt, *Subd.* Antecedenter ad praevisionem causarum impedientium, *C.* consequenter tantum *N.* Voluntas enim Dei antecedens salvandi homines semper conditionata est, dummodo nempe nihil obstet vel ex mala hominis voluntate, si sermo sit de adultis, vel ex generali naturae cursu, si sermo sit de infantibus. *Non est ex defectu divinae misericordiae*, inquit s. Thomas, *quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii . . . Quia non pos-*

(1) In *Resp. ad* VI *Objct. Vincentian.* In App. ad tom. X, opp. s. Aug.

sunt subjici operationi ministrorum Ecclesiae (1). Nec alio sensu intelligi debet s. Augustinus, qui pluries ostendit adversus Julianum, etiam pro his infantibus Christum mortuum esse (2).

464. Ad 2. *D.* Interrogat Augustinus quare unus infans prae altero in talibus adjunctis constituatur, ut baptizari possit, alter vero non possit, seu *comparative*, *C.* absolute *N.* Talem vero esse mentem s. Augustini, ostendunt quae ipsemet scribit, *Epist. CXCIV*, n. 32 et seqq. in qua quaerit: *Cur providentia Dei non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit filiis impiorum;* et exclamandum docet cum Apostolo: *O altitudo!* Quandoquidem ab inscrutabilibus Dei judiciis pendet, cur alter in ea rerum dispositione collocetur, in qua vivat et sanctum lavacrum percipiat, alter vero non item.

465. Ad 3. *D.* Si ille, qui talem naturae ordinem instituit, directe et in eum finem eum instituisset, ut non posset applicari remedium salutis ejusmodi infanti, *C.* si hunc finem non intendat *N.* Natura enim in praesenti casu est subjectum gratiae, cui scilicet gratia supervenit, quae proinde per accidens omnibus vicissitudinibus subjacet, cui subjacet ipsa natura, quam gratia, ut ita loquar, complet et informat. Cum propterea Deus prius sit auctor naturae quam gratiae (logice saltem, seu ratione et ordine), hinc voluit hanc naturae vicissitudines sequi, quas ut provisor universalis nullo modo impedire aut evertere tenetur, etsi aliquis per accidens pereat.

466. Constat itaque s. Prosperi effatum accipiendum esse, cum cetera paria sunt, minime vero cum agitur de collisione duorum ordinum, quorum alter ab altero pendet, eique subordinatus est, nec est nisi conditionatus.

467. Ad 4. *D.* Si sermo sit de provisore particulari, *C.* si de universali *N.* Etenim *provisor universalis*, ut bene animadvertit s. Thomas, *permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturae universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi* (3).

(1) *In* IV *sent.* dist. VI, q. I, a. I, ad 1.

(2) Sic *Cont. Jul.* lib. VI, cap. IV. Cum Julianus negaret parvulos mortuos esse per peccatum, s. Augustinus ostendit illos reipsa per peccatum mortuos esse, *quia Christus mortuus est pro illis* perinde ac pro ceteris; ait enim: « Si abs te quaeram: si non sunt inter peccatores, quomodo pro eis (parvulis) mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est »? Eadem habet s. Doctor *Op. imperf.* lib. II, cap. 134, et alibi passim. Cf. Tricassin. *De necessaria ad salutem gratia*, sect. V.

(3) Part. I, q. 22, a. 2, ad 2. Cfr. Suarez, *In* III *part. s. Thom.* tom. III, q. LXIX, art. VII, disp. XXVII, sect. III, circa finem. Cfr. praeterea quae de hoc ipso argumento scripsimus in Tract. *De Deo*, num. 544 et seqq.

PARS SECUNDA

DE GRATIA SANCTIFICANTE

CAPUT I.

PRAENOTIONES

468. Gratia sanctificans, quae et habitualis nuncupari solet, vulgo definitur *supernaturale Dei donum permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus redditur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, ejusdemque haeres.*

469. Ex hac definitione totum catholicae doctrinae systema colligitur circa hujus gratiae naturam, ejusque effectus; ac 1. eam esse animae nostrae intrinsecam seu et intime inhaerentem; 2. illam esse, quae animam a sordibus abluit, ac divino quodam decore fulgentem efficit; 3. inseparabilem propterea esse hanc sanctificantem gratiam a justificatione, quae ab illa pendet, cum uno eodemque actu peccator, justus sanctusque efficiatur; 4. eam donum Dei esse, ob quod homo actuali Dei auxilio praeventus, se quidem disponere, nunquam tamen illud proprie mereri potest, neque fide neque aliis operibus, cum a Deo gratis communicetur, praeviis tamen necessariis dispositionibus in iis, qui ad eas sunt idonei, ita ut in hoc dono recipiendo activus simul et passivus homo sit; 5. non ea tamen ratione inhaerentem esse ejusmodi gratiam homini, ut ipse eam amittere amplius non possit; sed sicut libere per gratiam actualem se disposuit ad eam recipiendam, ita libere rursum eandem per peccatum amittere potest; 6. quod consequens est, cum nunquam sciat homo certitudine fidei, num omnes dispositiones attulerit, quae ad formalem sanctitatem seu justificationem adipiscendam praerequiruntur, patet neminem credere posse, multo minus debere, fide divina se gratiam justificantem esse consecutum; 7. pariter colligitur, quod si reipsa quispiam justificatus sit per ejusmodi donum ac sanctificatus, nihil in eo esse, quod Deo displiceat, cum peccatum, quod separat a Dei amicitia, sit prorsus ab eo depulsum, neque ei amplius noceat concupiscentia, quae justo relinquitur ad agonem, qui dum pro viribus ei resistit, meritorum fit ipsi uberrima seges, suppeditando jugem humilitatis ac vigilantiae materiem. 8. Demum infertur, opera meritoria esse fructum gratiae sanctificantis, quae per

haec ipsa opera augeri potest; et, si quis in ea perseveret usque in finem, ipsum haeredem fieri vitae aeternae, cujus gloria major aut minor erit pro meritis, quae sibi comparaverit.

470. Talis est doctrina catholica circa gratiam sanctificantem, justificationem ac meritum, quam Tridentina synodus totidem canonibus definivit, quos inferius dabimus. Interea, ut pateat nexus hujus doctrinae cum reliquis veritatibus et cum toto systemate, animadvertendum est, catholicam hanc gratiae sanctificantis doctrinam profluere et necessario conjungi cum ecclesiae doctrina circa statum primi hominis ejusque lapsum.

471. Etenim, cum gratia originalis, prout toties inculcavimus, gratuitum donum fuerit, quo Deus in primo parente naturam humanam cumulavit, et quod ipsi addidit, spectari debet ea gratia velut *accidentalis* respectu ejusdem naturae. Hinc, tali gratia per peccatum amissa, humana natura expoliata pariter fuit omnibus donis gratuitis, quae gratiam seu justitiam originalem comitabantur. Attamen haec ipsa natura, etiam post lapsum, ob amissionem hujus doni accidentalis, cujusmodi justitiam originalem esse diximus, nihil amisit de suis essentialibus. Cum igitur intelligendi ac libere eligendi facultates ad naturae humanae essentiam spectent, patet hasce facultates activitate ipsis propria pollere, quamvis attenuatae et infirmae evaserint post lapsum, relate ad integritatem primaevae conditionis a Deo elevatae ac tot donis auctae. Reparata propterea per Christum humana natura, atque in pristinam dignitatem restituta, per gratias medicinales valida efficitur ad vincendam concupiscentiam obluctantem atque ad praecepta servanda; per gratias praeterea supernaturales illuminatur intellectus et excitatur hominis voluntas ad detestanda peccata, atque ad se disponendum ad justificationem et gratiam sanctificantem adipiscendam. Posita autem ultima seu proxima dispositione, Deus gratiam sanctificantem in animam infundit, qua prorsus ab ea omne peccatum expellitur et destruitur, fitque propterea homo Deo gratus et amicus, ac jus acquirit ad aeternam beatitudinem ob adoptionem, quam recipit, in filium Dei. Exinde homo gratia adjutus elicit opera meritoria, aliaque praestat superius commemorata. Talis est nexus harum veritatum in doctrina catholica.

472. Longe diversum, imo vero contrarium est systema novatorum saec. XVI. Nam ipsi, uti saepius pariter exposuimus, ex falso principio, quod gratia sive justitia originalis fuerit pars *essentialis* humanae naturae, ex lapsu hominis paradisiaci intulerunt ipsam humanam naturam fuisse *essentialiter* ac *substantialiter* labefactatam atque corruptam. Peccatum originale in horum doctrina est *qualitas positiva*, imo *substantia* quaedam *mala*, quae homini lapso necessario inhaeret (1). Per hoc

(1) Lutherus in *Ps. L*: « Lutum illud, *inquit*, ex quo vasculum hoc fingi coepit, damnabile est . . . Foetus in utero, antequam nascimur et homines esse incipimus, peccatum est ». Sic etiam Melanch. *Loc. Theol.* pag. 19: « Sicut in igne est genuina vis, qua sursum fertur, sicut in magnete est genuina vis, qua ad se ferrum trahit, ita est in homine nativa vis ad peccandum ». Ex Luthero paradoxum suum hausit Matthias Flaccius Illyricus, quod peccatum originale sit *Substantia*. Cfr. Bellarm. *De statu peccati*, lib. v, cap. i et cap. xv. Cfr. etiam Moehler, *Symbolique*, tom. i, pag. 56 et seqq.

peccatum intelligentia et voluntas, etiam prout facultates naturales sunt, omnem suam activitatem amiserunt, nec inserviunt nisi ad peccandum (1). Peccata actualia non sunt nisi totidem manifestationes peccati originalis perpetuo subsistentis (2). Fieri proinde non potest in hoc systemate ut homo se disponat ad justificationem, quam novatores sejungunt a gratia sanctificante seu a sanctificatione (3); cum juxta ipsos non justificatio a sanctificatione, sed sanctitas a justificatione pendeat. Impossibilia sunt in ejusmodi systemate propterea opera bona ante justificationem, quae formaliter ex fide producitur, independenter a quavis hominis cooperatione. Haec porro justificatio, imo et sanctitas tota exterior est in horum hypothesi, et tota consistit in remissione seu absolutione poenae peccatis debitae, prout contingit in justificatione forensi; culpa autem sive originalis sive actualis remanet, etiam post baptismum et justificationem. Etenim, si peccatum originale constituit partem *essentialem* ipsius naturae corruptae, si peccata actualia non sunt nisi manifestationes peccati originalis, evidens est nec illud nec ista tolli posse per justificationem aut gratiam sanctificantem, quae juxta novatores exterior est, et solum efficit, ut Deus has culpas non consideret, perinde ac si tectae essent oculis suis, quas propterea non imputat. Haec sanctitas et justitia non est hominis justificati *propria*, sed est ipsa sanctitas et justitia formalis Christi ab homine apprehensa, et ea est, quae bona opera profert tamquam fructus vel signa apprehensae hujus Dei vel Christi sanctitatis et justitiae, eodem tempore ac natura humana manifestat per actualia

(1) *Solid. declar.* I, § 10, pag. 614: « Praeterea affirmatur, quod peccatum originale in humana natura non tantummodo sit talis, qualem diximus, horribilis defectus OMNIUM BONARUM VIRIUM in rebus spiritualibus ad Deum pertinentibus; sed quod etiam in locum imaginis Dei amissae successerit intima, pessima, profundissima (instar cujusdam abyssi), inscrutabilis et ineffabilis corruptio TOTIUS NATURAE ET OMNIUM VIRIUM, imprimis vero superiorum et principalium animae facultatum, quae infixa sit penitus intellectui, cordi et voluntati hominis. Itaque jam post lapsum homo haereditario a parentibus accipit congenitam pravam vim, immunditiam cordis, pravas concupiscentias et pravas inclinationes » . . . Hinc passim primi novatores adversus συνεργειαν, *synergismum*, seu *cooperationem* insurrexerunt, eamque penitus rejecerunt, ut ἀδυναμίαν, seu absolutam *impotentiam* statuerent. Postea vero aliquantulum ab hac doctrina deflexerunt. Ita Wegscheider, § 149, in not.

(2) Melancht. *Loc. Theol.* pag. 19: « Scriptura, *inquit*, non vocat hoc originale, illud actuale peccatum; est enim et originale peccatum plane actualis quaedam prava cupiditas ». Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. I, p. 62, ubi scribit: « Après celà, nous devons comprendre le dogme selon lequel tous les péchés délibérés, c' est-à-dire, tous les péchés actuels ne sont qu' autant de manifestations, de formes particulières du péché originel, que les branches, les fleurs et les fruits de cet arbre mauvais ». Atque in nota (3): *Luther dit (Luth. Werk.* Wittemb. 1551. II part. pag. 335.): « On peut fort bien l' appeler un péché père (Ertzsunde); car il n' est point un péché que l' on commette comme les autres; mais il est le péché unique qui fait et produit tout péché, et tous les autres ne sont rien que les fruits de ce péché père » . .

(3) Cfr. Moehler, op. cit. pag. 104 et seqq. qui plura tum antiqua tum recentia documenta affert hujus novatorum doctrinae.

peccata jugem subsistentis peccati originalis existentiam (1). Ejusmodi est monstrosum systema protestantismi circa justificationem, sanctitatem, opera bona; quod per partes explanabimus in hujus tractatus decursu.

473. Et hae sunt, quae inter se pugnant, doctrinae, et de quibus viget controversia inter catholicos et protestantes. Reliqua libere in scholis agitantur. Disceptant enim theologi catholici inter se: 1. Utrum gratia sanctificans sit qualitas physica vel moralis, creata vel increata, et an sit ipsa Spiritus Sancti persona, quae substantialiter animae justi communicetur eamque vivificet (2). 2. Utrum gratia per modum habitus inhaereat animae justi, an potius sit ipsa gratia actualis, quae jugiter influat in animam justi eamque fecundam efficiat (3)? 3. Utrum gratia haec sanctificans a virtute charitatis realiter di-

(1) Suis locis apposita documenta afferemus.

(2) Cfr. Petav. *De Trinit.* lib. VIII, cap. IV et seqq. cui praeiverat Magister Sent. lib. I, dist. I, dist. 17.

(3) Cfr. Joan. Morinus in *Commentario historico de disciplina in administratione Sacr. Poenitentiae*, lib. VIII, cap. 2 et seqq. Antwerp. 1682, praesertim cap. VIII, ubi plurimos et celeberrimos refert scholasticos, qui affirmant, per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in ecclesia latuisse. Profert praeterea patres, qui ante illud tempus Sacramentorum effectum, hominis impii justificationem, fidei operumque nostrorum meritum sine gratiae habitualis mentione explicarunt, nec commemorarunt nisi actualia auxilia gratiae et opera hinc profecta. Ostendit nondum esse definitum, gratiam habitualem ad hos effectus esse necessariam; et nonnullos doctores etiam nunc istos effectus sine ea explicare. Unius nobis satis sit ex tot Scholasticis quos Morinus adducit, verba proferre, nempe Barthol. Medinae Ord. Praed. qui in I, 2, q. 110, a. 2, de tota doctrina ista sic scribit: « Secunda conclusio. Non est certum secundum doctrinam fidei, quod gratia sit habitus infusus in anima inhaerens. Nam hoc non colligitur ex Sacris Litteris, neque ex traditione ecclesiastica, neque ex definitionibus Conciliorum. Et Concilium Trident. locis supra commemoratis, ut recte admonet doctissimus Pater Soto, lib. 2, De nat. et grat. cap. 18, consulto abstinuit a nomine habitus, sed tantum definivit hominem justificari per justitiam diffusam in cordibus nostris, quae illi inhaereat ». Et paulo post in solutione objectionis: « Illud etiam advertendum, quod illa justitia interior et inhaerens, et illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, potest fieri duobus modis. Uno modo per infusionem alicujus qualitatis supernaturalis in animam; alio modo potest fieri a Deo sine infusione alicujus qualitatis permanentis, sed per solam actualem motionem divini auxilii, quod auxilium sua efficacia convertit animum hominis a pravitate ad rectitudinem. Utrum vero Deus efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem et infusam, vel potius per solam motionem actualis auxilii divini, Concilium Tridentinum non definit. Non enim illa quaestio pertinebat ad id, quod erat propositum in Concilio ». Cfr. etiam Vasquez, *In* 1, 2, dist. 187, cap. 2, tota et longa disput. 203; disp. 210, cap. 8; disp. 196, cap. 3, num. 11 seqq. n. 15; disp. 211, cap. 3, num. 17; disp. 218, cap. 3, n. 15; disp. 219, cap. 1, n. 3, 4; *In tert. part.* art. 2, dub. 3, n. 17. Haec adnotare volui, ne minus periti in rebus theologicis decipiantur, permiscentes cum articulis fidei quaestiones mere scholasticas, atque ita traducant tamquam haereticam aut erroneam eorum doctrinam, qui nullam agnoscunt distinctionem inter gratiam habitualem et actualem. Quod sane de fide non est. Ceterum cum doctrina, quae ponit distinctionem inter utramque gratiam, communis sit ac

stinguatur, nec ne? 4. Utrum praeter virtutes theologicas infundatur praeterea una cum gratia sanctificante etiam virtutum moralium habitus, qui in facilitate quadam et propensione ad recte operandum consistunt (1)? Hoc verisimilius esse censuit concilium Viennense, ut patet ex Clementina, *De summa Trin.* ubi legitur: *Opinionem, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam* (2). 5. Utrum dispositiones, quae in adultis ad gratiam sanctificantem assequendam requiruntur, veram meriti, saltem *de congruo*, rationem habeant, eoque nomine designari possint, nec ne? 6. Utrum ad actum salutarem *constituendum* et eliciendum, praeter gratiam sanctificantem, etiam in facilioribus, opus sit gratia actuali, ut supernaturalis dici possit?

474. Has vero aliasque non paucas quaestiones, si primam excipias, de qua quid nobis verisimilius videatur aperiemus, utpote minus necessarias praetermittimus, ut dogmatibus catholicis tuendis insistamus. Cum proinde, ut diximus, gratia sanctificans illa sit, qua homo justificatur et capax efficitur eliciendi opera meritoria vitae aeternae, prius de justificatione agemus, acturi in tertia hujus tractatus parte de merito.

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE IMPII

475. Quaecumque ad impii justificationem spectant, revocari possunt vel ad ejusdem justificationis naturam, vel ad dispositiones, quae ad eam adipiscendam requiruntur, vel demum ad ejus proprietates. Per partes rem totam expendemus.

ARTICULUS I.

De justificationis essentia seu natura

476. Justificatio, quae a *justitia* seu *justum faciendo* dicitur, si nomen spectes, quatuor modis in Scripturis usur-

ab omnibus nunc recepta, nos ab ea non discedimus; imo certa nobis videtur ac magis conformis Scripturis et sensui ecclesiae, ut postea ostendemus. Cfr. Suarez, lib. VI, *De essentia gratiae seu justitiae habitualis*, capp. VIII et IX. Quamvis ipse ulterius progredi videatur, dum censet, de fide esse infundi habitus virtutum theologicarum per baptismum, et verba concilii Viennensis exponit de habitibus virtutum moralium. Ceterum et ipse Bellarminus, *De Justif.* lib. II, cap. 15, utrum justitia inhaerens, per quam formaliter justi sumus, sit justitia habitualis, an actualis, an utraque, inter disputationes catholicorum Theologorum censet.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit.

(2) Cfr. *Act. Concil.* Harduini, tom. VII, col. 1359. Placet integrum decretum referre, ut melius pateat Concilii mens. Exposita doctrina de necessitate Baptismi ad salutem, ita pergit: « Verum quantum ad effectum (Baptismi) cum Theologi varias opiniones habeant: videlicet dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed GRATIAM NON CONFERRI; aliis e contra assserentibus, quod et culpa eisdem in Baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum, nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, OPINIONEM SECUNDAM, quae dicit, etc. ». Ex quibus patet, minus conformem videri menti concilii interpretationem modo allatam a Suarezio.

patur; interdum enim pro lege sumitur, ut Ps. CXVIII, passim legitur: *Justificationes tuas custodiam; Doce me facere justificationes tuas;* interdum vero pro acquisitione justitiae, ut I. Cor. VI, 11: *Haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis;* aliquando pro incremento justitiae, in Apocal. XXII, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc;* demum pro declaratione externa justitiae modo forensi, cum judex, ex. gr. quempiam justum declarat ac insontem illius criminis, de quo accusatus fuerat, quo sensu, Prov. XVII, 15, dicitur: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum* (1).

477. Jam vero Lutherus et Calvinus cum suis asseclis contendunt, hunc postremum tantum sensum hujus vocis esse, cum sermo est in Scripturis de justificatione peccatoris, juxta eorum systema nuper expositum; ex quo inferunt: 1. per justificationem vere peccata non remitti, sed tantum non imputari; 2. nullam fieri in justificatione interiorem renovationem per gratiam animae inhaerentem, sed solam externam imputationem justitiae Christi, vel etiam, ut autumavit Osiander, per inhabitationem in nobis essentialis justitiae Dei, qua nempe Deus essentialiter justus est (2). Alii autem alia ratione eandem doctrinam exponunt; verum in eo omnes conveniunt, quod velint justitiam seu causam formalem justificationis esse nobis extrinsecam, non autem animae inhaerentem, qua homo vere intrinsece justus sit (3).

478. In sententia catholicorum justificatio definitur *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum.* Ex qua definitione, quae est ipsius concilii Tridentini (4), patet justificationem in sensu catholico consistere in interiori animae renovatione, per inhaerentem ipsi gratiam, ob Christi Salvatoris nostri merita. Exponens propterea concilium causam formalem nostrae justificationis, pergit: *Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus* (5). Et iterum paulo post: *Id*, inquit, *in hac impii justificatione fit, dum ejusdem* (Christi) *sanctissimae passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem* (6). Quibus verbis tum vera doctrina de justitia intrinseca et inhaerente adstruitur, tum rejicitur error fundamentalis adversa-

(1) Cfr. Bellarm. *De justificat.* lib. I, cap. I.

(2) Osiander, in sua *Harmonia Evangelica*, autumavit gratiam sanctificantem esse *substantiam*, quia, inquit, gratia nil aliud est quam justitia et sanctitas ipsius Dei constituens hominem justum et sanctum, sicut lux solaris nihil est aliud quam praesentia solis super totum hemisphaerium. Cfr. Gotti, tom. III, in 1, 2, q. III, dub. II.

(3) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. I.

(4) Sess. VI, cap. 4.

(5) Ibid. cap. 7.

(6) Ibid.

riorum de justitia extrinseca, ex quo ceteri errores dimanant de ipsa formali justitia Dei in nobis habitante, aut de justitia Christi nobis imputata, aut de sola remissione peccatorum quoad poenam modo forensi, aliique ejusmodi (1).

479. Cum igitur totius quaestionis nodus in eo sit, quod juxta haereticos maneat culpa originalis in homine ejusque propagine, colluvies scilicet peccatorum actualium, quae sunt ejus manifestatio, et quorum poena tantum remittitur ac culpa tegitur, ex quo sequitur justitiam seu causam formalem justificationis esse extrinsecam; juxta catholicos vero, quod tum peccatum originale tum peccata actualia, quae ex libera hominis voluntate unice prodeunt, vere dimittantur, non solum quoad poenam, verum etiam quoad culpam, per interiorem hominis renovationem, quam efficit gratia sanctificans homini infusa; plane consequitur duo a nobis praestanda: ostendendum scilicet in primis est peccata vere remitti deinde gratiam, qua justificamur, intrinsecam prorsus ac nobis inhaerentem esse. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur

480. Propositio haec de fide est, can. V, sess. VI. Tridentini his verbis sancita: *Si quis per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Quod vero hic dicitur de peccato originali, id ipsum dicendum de peccatis actualibus, cum eadem sit ratio; solum vero memorat Tridentina synodus peccatum originale ad mentem novatorum.

481. Sic autem veritas propositionis ex Scripturis ostenditur: Scriptura docet Deum ita peccata remittere, ut ea tollantur, auferantur, deleantur, et homines ab iis prorsus mundentur; atque ea ratione tolli, auferri, deleri, hominesque a peccatis mundari, ut non amplius ea remaneant, et justificati dicantur abluti, mundi, purgati, ac veluti ipsa lux effecti, non habentes maculam. Ergo juxta Scripturam, non solum quoad reatum poenae peccata remittuntur, verum etiam quoad reatum culpae, ita ut haec penitus evanescat. Etenim, Joan. I, 29. de Christo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui* TOLLIT *peccatum mundi;* Act. III, 19: *Convertimini, ut* DELEANTUR *peccata vestra;* II. Reg. XII, 13: *Dominus* TRANSTULIT *peccatum tuum.* Rursum Is. XLIV, 22: DELEVI UT NUBEM *iniquitates tuas, et* QUASI NEBULAM *peccata tua;* hinc David, Ps. L: *Lavabis me, et super nivem* DEALBABOR . . . *Cor* MUNDUM *crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis;* I. Cor. VI, 11: ABLUTI ESTIS, *sanctificati estis, justificati estis;* Hebr. I, 3. de Christo scribit idem Apostolus: PURGATIONEM *peccatorum faciens;* ibid. IX, 28: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* ad Ephes. V, 8: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem* LUX *in Domino;* ac ibid. 26. et seq. testatur, Christum passum esse ut ecclesiam MUNDANS *sanctificaret lavacro aquae . . . ut exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam,* NON HABENTEM MACULAM, *aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Aptioribus

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. 2.

profecto verbis significari non poterat perfecta culpae ablatio, ac mundities et puritas inde secuta (1).

482. Non minus aperte haec eadem veritas ex sensu traditionali evincitur. Ex innumeris porro patrum testimoniis, quae adduci possent, ut brevitati consulamus, unum vel alterum seligimus. S. Joan. Chrysostomus : *Corporis lepram*, inquit, *purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Judaeorum Sacerdotibus licebat . . . . his vero* (nostris) *non corporis lepram, sed animae sordes, non dico purgatas probare, sed* PURGARE PRORSUS *concessum est* (2). S. Augustinus : *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et* AUFERRE CRIMINA, *non radere* (3). Quod saepius alias repetit.

483. Ratio denique theologica id ipsum ostendit. Si enim peccata post justificationem adhuc existerent nulla facta hominis renovatione, de peccatoribus dici non posset, eos per gratiam translatos esse de morte ad vitam, aut resurrexisse cum Christo, aliaque ejusmodi. Atqui talia affirmant s. Joannes, I. Epist. III, 14. et apostolus Paulus, Rom. VI, 1. Ergo.

484. Haec adeo luculenta sunt, ut sequiores sectarii conati fuerint sic magistrorum suorum sententias temperare et emollire, perinde ac si nihil aliud sibi voluerint significare, quam peccata remanere adhuc *materialiter*, quatenus semper verum sit, talem hominem legem aliquando violasse, non autem *formaliter* quantum ad culpae aut poenae reatum (4). Verum enim vero, qui sic exponunt veterum novatorum sententiam, totum eorum systema ejusque nexum aut assecuti non sunt, aut se non assequi finxerunt.

DIFFICULTATES

485. I. Obj. 1. Peccata in justificatione impii teguntur tantummodo, seu ad poenam non imputantur. 2. Etenim, Psal. XXXI. dicitur : *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui*

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 7, ubi n. 6, praeclare observat: « Scriptura utitur omni genere vocabulorum, quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declaret, peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit ».

(2) Λέπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μᾶλλον δὲ ἀπαλλαττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον εἶχον ἐξουσίαν οἱ τῶν Ἰουδαίων ἱερεῖς . . . Οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν. *De sacerdot.* lib. III, n. 6.

(3) *Ad Bonifac.* lib. I. cap. 13, n. 26.

(4) Ita rem explicat Abbas Molanus in *Cogitationibus privatis*, apud Bossuetum, tom. premier des *Oeuvres posthum.* édit. de Liége 1767, pag. 56 et seq., ubi exposita distinctione inter actum materialem, qui praeteriit, et id quod dicitur *formale* peccati, concludit : « Statuimus peccata tam actualia quam habitualia, quoad formale, sive reatum culpae et poenae, tolli in justificatione vere et totaliter per remissionem, condonationem, non imputationem . . . Quod autem NONNULLI protestantium theologorum dixerunt, peccatum in justificatione non tolli, sed manere, id intelligunt de peccato originis, et specialiter de prava concupiscentia, quam in renatis manere contendunt, non quoad formale, sed quoad materiale, nempe quoad habitualem in malum propensionem, absque tamen dominio ». At haec non est doctrina protestantium, ut patet ex adductis aliisque non paucis, quae afferri possent.

non imputavit Dominus peccatum. Perinde igitur est, iniquitates remitti et tegi, ac non imputari. 3. Prout etiam, Prov. X, 12. legitur: *Universa delicta operit charitas*. 4. Quae confirmantur ab Apostolo, qui non modo, Rom. IV, 7. refert verba Ps. XXXI, nuper adducta, sed praeterea exponit, II. Cor. V, 19. qua ratione Deus peccata dimittat, dicens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, NON REPUTANS *illis delicta ipsorum*. Ergo non *delendo*, sed *non reputando*, Deus peccata dimittit. 5. Sane hanc esse Apostoli mentem magis constat ex iis, quae scribit, Rom. VII, 17: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Ergo adhuc in justificatis peccatum permanet, ac propterea non deletur.

486. Resp. ad 1. *D.* Teguntur a Deo peccata ita, ut non amplius subsistant, *C.* ut permaneant *N.* Sic etiam: Non imputantur per condonationem, *C.* per non imputationem *N.* Figuratae enim ejusmodi locutiones cum ad Deum referuntur, non alium sensum habere possunt; quia, si peccata quoad culpae reatum reipsa in peccatoris anima permanerent, nec tegi coram Deo, neque non imputari dici possent.

487. Ad 2. seu ad 1. probat. *N.* Sic enim eum textum exponit s. Augustinus: *Cooperta sunt peccata, abolita sunt, tecta sunt . . . Non sic intelligatis, quod dixit: cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant* (1). Ejusmodi porro esse sensum germanum horum verborum, tum contextus declarat, tum evincunt testimonia cetera a nobis prolata, imo postulat ipsa natura rei de qua agitur; si enim adhuc peccata reipsa subsisterent, quomodo tegerentur coram Deo, cui *omnia nuda sunt et aperta oculis ejus* (2)?

488. Ad 3. seu 2. probat. *D.* charitas *operit*, id est, *extinguit* universa delicta, ut rursum interpretatur hunc Proverbiorum locum s. Augustinus, *C.* operit tamquam velum ac tegumentum *N.* (3).

489. Ad 4. *N.* Etenim ad Rom. loc. cit. Apostolus in eum tantum finem adducit verba Psalmi XXXI, ut ostendat, gratuitam prorsus esse justificationem, non vero ut absolutam sive adaequatam justificationis notionem exhibeat, multo minus ut doceat, prout autumant adversarii, remissionem peccatorum in non imputatione consistere, non autem in vera ablatione. Haec siquidem nihil ad ejus scopum conferebant, et praeterea ejus doctrinae alibi traditae adversantur.

490. Sensus verborum, quae ex Epist. ad Corinth. adducta sunt, juxta s. Joan. Chrysostomum aliosque graecos patres et interpretem syrum, hic

(1) *Enarr.* II, *in Ps.* XXXI, n. 9.

(2) Cfr. Bellarm. *De just.* lib. II, cap. 9. Vix quisquam superest inter protestantes, qui adhuc contendat, alium esse sensum verborum, quae nobis objiciuntur. Satis sit adducere interpretationem Georgii Rosenmülleri, qui in cap. IV, Epist. ad Rom. v. 6, haec scribit: Δικαιοσύνην λογίζεσθαι τινι *est nova loquendi formula, quae posita esse videtur pro* δικαιοῦν τινὰ *absolvere aliquem; nam in Psal.* (XXXI) *de remissione peccatorum sermo est.* Et in v. 7, prosequitur: *Felices eos* (inquit David), *quorum scelera condonata, quorum peccata deleta sunt, proprie tecta, id est, omnino remissa, et oblivioni tradita. Indicatur totalis* ἀμνηστεία ἁμαρτιῶν, *Hebr.* VIII, 12; X, 17. *Sic apud Ciceronem pro Coelio, cap.* 18, *vitia multis virtutibus objecta commemorantur.*

(3) *Tract.* I *in Ep.* I *Joan.* n. 6.

est : Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, gratis remittens et condonans delicta ipsorum per Christi merita, seu intuitu ejus passionis. Nec alia est expositio patrum latinorum (1).

491. Ad 5. *D.* Peccatum improprie dictum seu concupiscentia, *C.* formale ac proprie dictum *N.* Ideo autem concupiscentiam vocavit Apostolus peccatum, quia, ut declarat concilium Tridentinum, *a peccato est et ad peccatum inclinat ;* alioquin non dixisset paulo post idem Apostolus: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

492. II. Obj. 1. Verbum *justificare* in sacris Litteris modo forensi accipitur, ita ut idem significet ac *justum pronunciare*, minime vero *justum efficere ;* 2. Sic Rom. VIII, 33: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat, quis est qui condemnet?* et alibi passim, 3. Quod et ex usu profanorum scriptorum confirmari posset, qui nunquam nisi hac significatione vocem justificandi usurparunt (2). Verum necesse non est, ut voci insistamus, cum rem ipsam Scripturae exhibeant ; 4. ad plenum siquidem justificationis opus significandum Scripturae non adhibent nisi voces ex formis judiciariis depromptas ; ita videmus, *judicium*, Ps. CXLV, 7 ; *judices*, Joan. V, 17; *tribunal*, Rom. XIV, 10 ; *accusatum*, Rom. III, 19 ; *accusatorem*, Joan. V, 45; *testes*, Rom. II, 15 ; *acta processus*, Col. II, 14 ; *advocatum*, I. Joan. II, 1 ; *sententiam*, Ps. XXXII, 1 ; *executionem*, Luc. XVI, 22, etc. Cum igitur omnes occurrant formae forenses seu legales in toto justificationis negotio, quidni etiam in justificatione ipsa? 5. Nil mirum propterea, si inveniamus, Rom. V, 13: *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur ;* 6. Sap. XI, 24 : *Misereris omnium . . . et dissimulas peccata hominum:* 7. Nil mirum, si de hominibus etiam justificatis Scriptura pronunciet, neminem *arbitrari* posse se esse justum, ex. gr. Ps. CXLII, 2: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ;* Job. IX, 2: *Vere scio . . . quod non justificetur homo compositus Deo ;* et Matth. VI, 12. omnes peccatores et justi indiscriminatim jubeantur dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, et alibi passim. Quae quidem omnia in systemate protestantium de peccatis perseverantibus etiam post justificationem optime intelliguntur, ast componi nulla ratione possunt in systemate catholico cum absoluta peccatorum abolitione. Ergo.

493. Resp. ad 1. *D.* Verbum *justificare* accipitur interdum in sacris Litteris modo forensi, *C.* semper et praecise in casu nostro *N.* Testimonia enim, quae in probationibus adduximus, contrarium prorsus evincunt. Quod si interdum vox *justificare* etiam in subjecta materia, de qua agimus, in sensu *declarationis* usurpatur, tropice intelligenda est, quatenus per eam significetur, Deum reipsa efficere interius, quod exterius in foro judiciali fit. Nam cum judices reum praesumptum absolvunt, declarant hoc ipso eum immunem esse iis delictis, quae ipsi affingebantur, cum non aliud praestare possint ; Deus vero, qui praeterea potest reum justum efficere, dum eum justum declarat, hoc ipso per interiorem immutationem talem constituit ut veritas interna cum externa declaratione simul cohaereant. Quod evidentius fiet ex dicendis.

494. Ad 2. *D. Deus qui justificat*, et interiori peccatorum abolitione, et exte-

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. et Bernard. a Piconio in hunc locum.

(2) Ita Kemnitius apud Bellarm. loc. cit.

riori declaratione, *C.* Sola exteriori declaratione *N.*

495. Ad 3. Resp. nil mirum esse, si scriptores profani non alio sensu vocem hanc aliasve ejusmodi usurpaverint, quia inter homines nulla alia datur justificatio praeter declaratoriam sive forensem, ac omni prorsus idea sublimioris ac interioris justificationis destituti fuerunt. Ast insolens non est, in Scripturis easdem voces longe excellentiori adhiberi significatione ac diversa ab ea, qua iis utuntur scriptores profani, ob rationem quam attulimus (1).

496. Ad 4. *D.* Non adhibent Scripturae nisi voces ex formis judiciariis depromptas ad plenum justificationis opus significandum, ut symbolorum et emblematum exteriorum ope quodammodo referant, quod invisibiliter ac spiritualiter Deus in anima operatur, *C.* ut consistant in symbolorum et emblematum cortice *N.* Cum enim mundus spiritualis et invisibilis in lucem prodire nequeat, nisi quodam, ut ita dicam, exteriori ac sensibili indumento vestiatur, hinc fit, ut quoties invisibilis et spiritualis aliqua veritas aut operatio hominibus proponitur, toties ad horum captum per sensibilem aliquam formam significetur. Quod pluribus exemplis ostendi facile potest: ex. gr. aeterna beatitudo sub symbolis domus, civitatis, convivii, esus et potus, aliisque similibus exhibetur in sacris Litteris; status corporum gloriosus sub emblemate aquilae, vituli subsilientis, etc. Frustra autem, imo et absurde quispiam contenderet, et contra omnes sacrae exegeseos leges, non in alio consistere aeternam beatitudinem, quam in domo, convivio, etc.; id ipsum de conditione corporum gloriosorum dicatur. Jam vero idem contingit circa justificationem, ad quam adumbrandam et ob oculos nostros quodammodo subjiciendam Scriptura figuras et symbola petit ex iis, quae in humanis judiciis in usu sunt, nec propterea aliquis inferre potest, Deum exterius homines justificare, ut humani judices solent. Haec magis confirmantur ex indole orientalis philologiae, quae passim symbolicis ac figuratis locutionibus redundat (2). Ergo quo plures ejusmodi phrases con-

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. 9, n. 18 et seq. cum *Vindiciis Viti Erbermanni*.

(2) Cfr. Glassii *Philologia sacra*, ex edit. Dathii et Baveri, Lips. 1797, tom. II, part. post. partis primae, cap. 3, § 49 et seqq. et lib. II, tract. I, cap. 7, pag. 957 et seqq. Ceterum Winer in suo *Lexico manuali Hebraico*, ad vocem צֶדֶק, fatetur apud veteres Hebraeos vocem *justificare* usurpatam passim fuisse de justitia interna, quod adductis exemplis ostendit. Winero praeiverant Grotius, in *Prolegom. ad epist. ad Roman.* Geor. Bullus, in *Harmonia Apostolica*, diss. I, cap. I, § I, ubi solum contendit, verbi δικαιοῦν significationem *forensem* non perpetuam prorsus, sed tantummodo *maxime obviam et familiarem* esse. Ernestus Grabe, in *Annotatis* ad cap. I, et praecise ad § 2 dissertationis Bulli colligit praeterea non pauca loca ex V. T. in quibus ipsi rigidiores protestantes vocem *justificandi* in sensu *justum faciendi* usurpari agnoverunt, ut Dan. XII, 3; Eccl. XVIII, 22; Ps. LXXII, 13; tum Isa. LIII, 11. Ex N. autem T. praeter Apoc. XXII, 11, ostendit idem auctor eandem vocem usurpari praeterea Rom. VI, 7, in eadem significatione. Demum Rom. item IV, 25, verba illa: *Resurrexit propter justificationem nostram*, δικαίωσιν ἡμῶν, infusionem justitiae nobis inhaerentis significare, ex protestantibus docuerunt Martinus Borracus, in Genes. XV, pag. 161, Petrus Martyr, in Ep. ad Rom. IV, ac Martinus Bucerus ad eundem locum. His locis addere potuisset Grabe, quod

gerunt adversarii, eo melius evincunt nonnisi figurate ea accipienda esse, quae de justificatione ex sacris Litteris ipsi exhibent. Ceterum eaedem sacrae Litterae omnem ambiguitatem circa hujus vocis vim amovent, cum tradunt Deum peccata *delere*, *abluere*, *auferre*, *tollere*, etc. ut superius ostendimus (1).

497. Ad 5. *D.* Peccatum non imputabatur ad legis scriptae normam definitis seu statutis poenis, *C.* non imputabatur omnino *N.* Contrarium ostendit ipsa Genesis, in qua transgressores legis naturalis gravissimis poenis multati exhibentur, uti ex. gr. cum homines universi praeter Noë familiam, aquis diluvii, Sodomitae autem igne consumpti sunt, etc.

498. Ad. 6. *D. Dissimulat* dilatione punitionis promeritae, ut sontes resipiscant, *C.* dissimulat non imputatione *N.* Sensus obvius est.

499. Ad 7. *D.* Nisi Deus gratuita miseratione culpis hominum ignoscat eas remittendo, *C.* si remiserit *N.* In his porro aliisque similibus textibus hoc solum Scriptura significat, neminem posse de propria justitia gloriari, sive quia homines, si quam habent interiorem justitiam et sanctitatem, a Deo habent; sive quia plerumque in ipsis pietatis operibus ac recte factis aliquid admiscent imperfectionis ex propria infirmitate, socordia, aut malitia; sive quia peccatis saltem levibus se commaculant, propter quae divinam clementiam exorare debent; sive demum per comparationem ad justitiam Dei incommutabilem atque essentialem, in cujus conspectu quaevis justitia nostra penitus evanescit, ut lux lucernae ad solis adventum. Qua ratione exponi pariter debent nonnulla patrum dicta, quin diutius in iis singillatim expendendis tempus teramus; adeo enim constat de ipsorum mente, ut adversarii ultro non semel id fassi sint, atque ab iis se recedere palam profiteantur (2).

500. Ex dictis patet quid sentiendum sit de adversariorum conclusione, utrum nempe Scripturarum effata melius concilientur cum doctrina catholica an cum systemate novatorum. Nulla enim difficultas ex doctrina catholica oritur; contra vero in systemate novatorum, praeter quam quod ex falso principio haec doctrina dimanat, Deus declararet justum esse eum, qui actu impius est, non cerneret peccata in eo, qui illis est undique pollutus; nec posset omnipotenti virtute sua ea radicitus extirpare; aliaque ejusmodi proflluerent non minus a sana fide quam a recta ratione abhorrentia (3).

PROPOSITIO II.

Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione, sed justificantur per gratiam et charitatem, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhaeret, neque gratia, qua justificamur est tantum favor Dei

501. Propositio haec de fide est; totidem enim verbis concilium Tridentinum eam definivit, sess. VI, can. X: *Si*

legitur Rom. v, 17, ubi vocem δικαιοσύνης *justitiae*, poni in sensu morali ipse contextus manifeste ostendit; instituit enim ibi Apostolus comparationem inter injustitiam, quam per Adae inobedientiam contraximus, et justitiam, quam per obedientiam Christi consecuti sumus; ut de reliquis taceam.

(1) Cfr. etiam Moehler, *Symbolique*, tom. I, pag. 124 et seqq.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(3) Cfr. Moehler loc. cit.

quis dixerit, homines per eam ipsam (justitiam Christi) *formaliter justos esse, anathema sit*. Can. XI: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit*.

502. Hanc porro fidei veritatem adversus recensitos novatorum errores ita in primis adstruimus. Justificatio juxta Scripturas non in sola peccatorum remissione forensi consistit, vel externa justitiae Christi imputatione, sed in interiori renovatione, si ipsae conceptis verbis testentur, in justificatione charitatem seu gratiam diffundi in cordibus nostris, ac ita diffundi, ut abundantiam ipsius gratiae in nobis accipientes regeneremur et renovemur, ac Deus in nobis mansionem per gratiam suam faciat. Jam vero haec omnia luculentissime sacrae Litterae affirmant. Etenim, Rom. V, 5. scribit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* et v. 17. de justis prosequitur: *Abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum*. Rursum in Epist. ad Tit. III, 5, *Salvos*, inquit, *nos fecit per lavacrum* REGENERATIONIS *et* RENOVATIONIS *Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae*. Christus ipse jam dixerat, Joan. III, 5: *Nisi quis* RENATUS *fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; quod* NATUM EST EX SPIRITU, *Spiritus est*. Et ibid. XIV, 23. de homine justo affirmaverat: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*, utique per gratiam saltem inhaerentem. Ergo.

503. Ex patribus unum appellamus Augustinum, qui in lib. *De spir. et litt.* cap. IX. loquens de justificatione, quam adipiscimur per fidem, qua creditur in Christum, ait: *Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus; utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur*. Et cap. XXXII, n. 56: *Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus, qua nos salvos facit, et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit*. Haec ipsa vero adeo frequenter inculcat s. Doctor, ut Calvinus plane fateatur se ab Augustino discedere, quia: *Gratiam*, inquit, *ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per Spiritum regeneramur* (1).

504. Hanc demum theologicam rationem ex intima rei, de qua agimus, natura petitam urget Angelicus Doctor: In praesenti statu nullum datur medium inter dilectionem Dei et ejus odium, quod generat peccatum impediendo effectum dilectionis divinae; hinc, sublato peccato, necessario reviviscit effectus

(1) Lib. III *Institut.* cap. II, § 15. Chemnitius pariter fatetur, Patres saltem ratione loquendi cum catholicis consentire; nam in *Examine Conc. Trid.* part. I, scribit: *Non movemus litem, quo modo justificationem accipiant Patres*. Et paulo post: *Non ignoro*, inquit, *aliter loqui Patres: sed de proprietate linguarum quaestio est*.

istius dilectionis, quae dilectio seu amor Dei non supponit bonitatem in objecto, quod diligit, sed efficit et producit; non potest proinde concipi remissio peccati, quin concipiatur infusio gratiae, per quam homo interius renovetur, et ex objecto odii fiat objectum amoris et dilectionis (1). Hinc non solum constanter docet, justificationem esse quemdam motum et transitum de statu in statum; sed praeterea docet, qua ratione id fiat, scribens: *Justificatio impii non est successiva, sed ordine naturae unum eorum est prius altero, et inter ea naturali ordine primum est gratiae infusio, secundum motus liberi arbitrii in Deum, tertium est motus liberii arbitrii in peccatum, quartum est remissio culpae* (2).

505. Et haec circa dogma. Si quis vero quaerat, cujusmodi sit gratia haec inhaerens, qua formaliter justificamur, utrum habitualis, ut vocant, an vero actualis? Reponimus cum communi theologorum doctrina, nos pro certo habere, eam habitualem esse, non autem actualem. His porro rationum momentis cum Suarezio ducimur ad hanc sententiam tenendam. Tunc homo efficitur formaliter justus, quando ex Deo nascitur et filius Dei constituitur; ergo per eandem gratiam justificatur, per quam ex Deo generatur et constituitur filius Dei. Jam vero gratia, per quam homo ex Deo generatur, est habitualis et permanens. Etenim I. Joan. III, 9 dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit quoniam* SEMEN IPSIUS IN EO MANET. Ac iterum, Joan. XIV, 23: *Ad eum veniemus* (per gratiam), *et mansionem apud eum faciemus*. Haec praeterea doctrina confirmatur ex conc. Viennensi, cujus verba superius retulimus, atque ex conc. Tridentino, quod, sess. VI, utitur passim voce *inhaeret*, loquendo de gratia sanctificante, qua justificamur, et praeterea, cap. VII, docet justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; cap. XI, addit, gratiam justificationis non amitti per venialia peccata, et cap. XVI, acceptam gratiam aliquos justificatos perpetuo conservare; sensit igitur, gratiam justificantem esse aliquid permanens. Sane parvuli et perpetuo amentes, dum baptizantur, accipiunt gratiam et virtutes; atqui eam non recipiunt per modum motionis ad operationem cujus incapaces sunt; ergo per modum habitus. Quae quidem postrema ratio ineluctabilis prorsus est (3).

(1) 1, 2, q. 113, art. 2.

(2) Ibid. art. 8.

(3) Cfr. Suarez loc. cit. Ad ea vero, quae profert Morinus ex patribus, reponimus, utique patres non meminisse gratiae *habitualis* vel etiam *sanctificantis*, cum haec nomina serius inducta sint; damus praeterea ipsi, patres minime locutos fuisse de infusione habituum, aut de qualitatibus, cum hae pariter loquendi formae nonnisi sequiori aevo obtinuerint in scholis postquam scilicet Aristotelis philosophia invalescere coepit. Verum aliud est de vocibus ac nominibus, aut etiam de ratione exponendi aliquam doctrinam disserere, aliud vero de ipsa re. Porro falsum est, patres non agnovisse statum permanentis justitiae et sanctificationis in hominibus justis. Satis sit oculos conjicere in innumera pene patrum testimonia, quae refert ac illustrat Petavius, *De Trinit.* lib. VIII, capp. 4, 5, 6, 7, ex quibus apertissime constat, patres sensisse, Deum *inhabitare* in anima justi, eam *implere*, *efficere divinae naturae participem*, in ea *perpetuo manere*, etc., animam justi eum *percipere*, fieri templum Spiritus Sancti, etc., imo nec a voce *qualitatis* patres abhorrent. Id enim aperte constat ex verbis s. Cyrilli Alex. lib. IX, *in Joan.* ubi ait: Πῶς δὲ θείας φύσεως

DIFFICULTATES

506. I. Obj. 1. Scriptura saepe testatur, nos justos esse ex sola justitia Christi. 2. Nam Apostolus, Philipp. III, 9: *Et inveniar*, inquit, *in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu; quae ex Deo est justitia in fide*. 3. Et, I. Cor. I, 30, de Christo scribit: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio*. Loqui porro Apostolum de justitia extrinseca Christi nobis imputata, patet 4. ex antithesi, quam II. Cor. V, 21 instituit dum de Christo ait: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Atqui nonnisi extrinsece peccatum factus est Christus; ergo pariter nonnisi extrinsece nos efficimur justitia Dei in Christo.

507. Resp. ad 1. *D. A.* Tamquam causa *meritoria*, *C.* tanquam causa *formali N.* Quae ut intelligantur, juverit afferre doctrinam concilii Tridentini circa causas justificationis, quae ita se habet: *Hujus sanctificationis causae sunt: finalis quidem gloria Dei et Christi et vita aeterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans, et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae; meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus D. N. J. C. qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Patri satisfecit; instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contigit justificatio. Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo instructi renovamur spiritu mentis nostrae*, etc. (1). Sublata

κοινωνοὶ, κατὰ τὰς τῶν ἁγίων φωνὰς, οἱ πνεύματος μέτοχοι, εἰ γεννητοῖς εναρίθμιον ἐστι, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐξ αὐτῆς ἡμῖν τῆς θείας φύσεως πρόεισιν, οὗ διϊκνούμενον δὶ αὐτῆς εἰς ἡμᾶς ὡς ἀλλότριον· ἀλλ', ἵν' οὕτως εἴπω, ποιότης ὥσπερ τις τῆς Θεότητος ἐν ἡμῖν γινόμενον, καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικοῦν, καὶ ἀπομένον διὰ παντὸς, εἰ τῆς ἑαυτῶν διανοίας τὸν οφθαλμὸν διὰ πάσης ἐπιεικείας αποκαθαίροντες, καὶ διὰ τῆς εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀνενδοτου σπουδῆς συντηροῖεν ἑαυτοῖς τὴν χάριν; Id est, *Quomodo*, inquit, *divinae naturae participes, secundum dicta sanctorum, erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit, non ita, ut per ipsam in nos tamquam alienus transeat, sed, ut ita dicam, qualitas veluti quaedam divinitatis in nobis insit, et in Sanctis habitet, ac perpetuo maneat; si mentis suae oculum omni probitate purgantes, et virtutum omnium indefesso studio gratiam sibi conservent?* Sed consulatur cit. eruditissimus vir. Abjectis igitur, si placet, vocibus *habitualis*, *habituum*, *qualitatis* in sensu peripateticorum, sine insignis temeritatis nota vix fieri posse existimo, ut doctrinam de permanente jugiter in hominibus justis gratia sanctificante in dubium revocetur. Stultum porro est de vocibus litem serere, quum de re ipsa constat. Quando scholastici, quos refert Morinus, incognitam exhibent antiquitati doctrinam de gratia *habituali*, loquuntur relate ad doctrinam de *infusione habituum*, non autem de permanentia gratiae sanctificantis in homine justificato. Cfr. etiam Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. 15 et seq.

(1) Sess. VI, cap. 7.

ta hoc modo omni ambiguitate, pronum erit, objecta Scripturarum testimonia aliaque ejusmodi explanare, eorumque veram ac germanam significationem assequi.

508. Ad 2. seu 1. probat. *D.* Ut inveniar in illo non habens *meam* justitiam, id est, *propriam* independenter a meritis Christi, *C.* propriam, id est, intrinsecam seu inhaerentem per Christi merita ejusque gratiam *N.* Ut patet ex contextu, in quo Apostolus opponit justitiam legalem, propriis meritis partam, justitiae, quam per fidem in Christum consequimur ob ejus merita.

509. Ad 3. *D.* Christus factus est nobis justificatio *efficienter* et *meritorie*, *C. formaliter*, *N.* Metonymice hic siquidem, ut alibi passim, effectus pro causa ponitur; ut, Ps. XXVI, 1, inquit David: *Dominus illuminatio mea et salus mea*, id est, causa illuminationis et salutis.

510. Ad 4. *D.* Id est, Pater fecit Christum peccatum improprie, nempe eum fecit hostiam pro peccato, *C.* peccatum sensu proprio et formali *N.* Hoc enim absurdum est. Hinc negamus Christum sensu exposito nonnisi extrinsece peccatum factum esse; nam vere hostia pro peccato factus est Christus. Constat propterea, sensum antithesis in eo esse, ut, quemadmodum causa meritoria mortis Christi fuere peccata nostra, ita causa meritoria justificationis nostrae fuerint Christi cruciatus.

511. II. Obj. 1. Pluries Scriptura docet, justos nos *reputari*, *constitui*, *denominari*. 2. Sic, Rom. IV, 5: *Credenti in eum, qui justificat impium,* REPUTATUR *fides ejus ad justitiam;* et alibi passim. 3. Rursum idem Apostolus, ibid. V, 19, scribit: *Per unius obeditionem justi* CONSTITUENTUR *multi*. 4. Item, Jacobus in Epistola sua II, 23, cum retulisset verba Geneseos: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, subdidit: *Et amicus Dei appellatus est*. Ergo non per inhaerentem justitiam homines justi sunt; sed tales reputantur per externam imputationem ac denominationem.

512. Resp. ad 1. *D.* Scriptura pluries docet, justos nos *reputari*, etc. quia tales reipsa efficimur ob inhaerentem justitiam, *C.* sine rei veritate, et per solam extrinsecam imputationem *N.*

513. Ad 2. *D. Fides* reputatur ad justitiam, *C. justitia Christi* nobis reputatur ad justitiam *N.* Haec enim duo permisceri non debent; cum aliud prorsus sit, fidem reputari ad justitiam, id est, Deum gratuito acceptare et reputare tamquam dispositionem actualem ad justitiam conferendam (1); aliud vero justitiam Christi nobis formaliter impu-

(1) Sic enarrat verba Apostoli Bernardinus a Piconio in *Paraphrasi*, ac sensum totius orationis exponit. V. 3. « Declarat Scriptura, Genes. 15, *Credidit Abraham Deo;* et haec Abrahae fides a Deo fuit illi imputata ad justitiam. V. 4. Juxta quae verba sic ratiocinor: homini, qui opus exercet, merces rependitur, non gratis, sed ex justitia, et tamquam quid ei debitum. V. 5. E contra vero homini, qui nullum exercet opus, sed qui tantum credit in eum, qui peccatores justificat, huic, inquam, homini, si justitia detur, datur non quasi merces debita, sed gratis et ex gratuito Dei proposito, cui placet hujus hominis fidem acceptare ad justitiam; atqui constat ex jam citata Scriptura, quod justitia Abrahae fuit data ex solo Dei reputantis nutu; hoc enim significat: *et reputatum est;* ergo gratis data est, ergo non ex operibus, sed ob fidem; ergo et nos pariter gratis per fidem sine operibus justificamur. Deinde ostendit, ibi agi non de prima justificatione, sed de ejusdem justificationis augmento. Nam, cum illa verba adducta ex Genesi prolata sunt, Abra-

tari ad justitiam. Primum affirmat Apostolus; alterum de suo addunt seu obtrudunt novatores.

514. Ad 3. *D.* Per unius obeditionem justi constituentur multi *meritorie, C. formaliter N.* Opponit enim Apostolus effectus inobedientiae Adam effectibus obedientiae Christi.

515. Ad 4. *D.* Amicus Dei appellatus est eo quod talis vere factus esset, *C.* per solam denominationem *N.* Judith enim VIII, 22, dicitur: *Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Quo autem sensu dicatur in libro Geneseos: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, patet ex responsione ad 2.

516. III. Obj. Saepe monemur induere justitiam, seu gratiam, qua justi efficimur, ut Ephes. IV, 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* et Ps. CXXXI, 9: *Sacerdotes tui induantur justitiam;* et iterum Apostolus, Rom. XIII, 14, scribebat: *Induimini Dominum Nostrum Jesum Christum;* et ad Galatas III, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Porro indumentum est quid extrinsecum. Ergo.

517. Resp. *Dist. min.* Indumentum materiale extrinsecum est, *C.* spirituale *N.* Eadem quippe ratione, qua excitamur ad *induendum novum*, provocamur pariter ad *deponendum* seu exuendum *veterem hominem*, id est, ad interiores peccati maculas eluendas, malasque consuetudines abjiciendas. Ideo autem juxta s. Augustinum David et Apostolus indumenti similitudine utuntur, ut innuant, justitiam nostram non ex nobis esse, sed ex Dei dono. *Justitia sit*, scribit, *sed ex gratia sit: a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes tui, inquit, induantur justitiam; vestis accipitur, non cum capillis nascitur; pecora de suo vestiuntur* (1). Revocari praeterea in mentem debent, quae de orientali philologiae indole superius adnotavimus. Nec obest, quod haec justitia, quam induere dicimur, vocetur *justitia Dei;* Dei siquidem justitia nuncupatur ratione causae efficientis, minime vero ratione causae formalis.

518. IV. Obj. Saltem in sola peccatorum remissione collocanda est formalis causa justificationis, 1. juxta id quod Apostolus docet, Rom. IV, 25, scribens de Christo: *Qui traditus est propter delicta nostra.* Ideoque ad solam peccatorum remissionem obtinendam. Et confirmatur ex I. Joan. III, 8, ubi dicitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Non alia porro diaboli opera sunt nisi peccata. Hinc II. Cor. V, 19, Deus dicitur in Christo reconcilians mundum sibi: *Non reputans illis delicta ipsorum*, nempe dimittendo peccata. In Actibus vero Apost. XIII, 38, sic Apostolus Judaeos alloquebatur: *Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari.* Sane non aliud petentem praeter remissionem peccatorum Publicanum inducit Christus, Luc. XVIII, illis verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

ham jam justus erat. Conciliat denique hunc textum Apostoli Pauli cum textu Jac. II, 21, ex eo quod Paulus loquatur de fide per charitatem operante ac viva; s. Jacobus de bonis operibus, quae profluant ex fide; cum fides bonorum operum sit principium, mater et altrix.

(1) Serm. XV, *De verb. Apost.* in ord. Maur. CLXIX, cap. 9.

Sola proinde peccatorum remissione justificatus exhibetur prae Pharisaeo justitiam suam jactante. 2. Concludendum igitur, doctrinam de justitia inhaerente et justificante esse Christo injuriosam, et humilitati adversantem.

519. Resp. *N. A.* Ad 1. probat. *D.* Ad peccatorum remissionem obtinendam per culpae abolitionem ac mediante interiori gratia sanctificante, *C.* ad gratiae sanctificantis exclusionem *N.* Eadem porro ratione cetera, quae adducuntur, testimonia explicanda sunt, quae semper supponunt dari remissionem peccatorum juxta modum, quo Deus eam conferre statuit et quem Scripturae alibi tradunt. Ceteris enim omissis, exponens Apostolus, ad Coloss. II, 13, quomodo Deus peccata remittat, scribit: *Et vos cum mortui essetis in delictis*: CONVIVIFICAVIT *cum illo, donans vobis omnia delicta*; et alibi passim. Ideoque ex eo quod non semper expresse tradat Scriptura totam justificationis seriem, concludi nequit, sacras Litteras gratiam interiorem et inhaerentem non complecti, multo minus excludere. Et sic responsio patet ad id, quod subditur de Publicano, quem praeterea docet Christus fuisse justificatum ob suam humilitatem, rejectum vero pharisaeum ob superbiae tumorem (1).

520. Ad 2. *N.* Cum potius major gloria Christo proveniat ex eo, quod magis in hac doctrina patefiat efficacia meritorum suorum, quibus factum est, ut non solum poenae absolutionem forensem, uti adversarii autumant, sed totalem culpae destructionem obtinuerit, nos vivificando ac renovando gratiae suae dono. Magna e contra Christus injuria afficitur in novatorum hypothesi, juxta quam ejus meritorum efficacia seu virtus adeo extenuatur, quasi non potuerit reipsa diaboli opera dissolvere per culpae destructionem ac plenam hominis interioris renovationem. Falsa praeterea est illa humilitas, quae mendacio nititur; cum humilitas non aliud sit, ut ita loquar, quam *expressio veritatis* (2).

ARTICULUS II.

De dispositionibus ad justificationem

521. In novatorum systemate justificationis processus est hujusmodi. Homo, qui essentialiter peccator est, omnique activitate destitutus, in peccatis jacet, donec perterrefactus per legis praedicationem, quae ei praebet cognitionem peccatorum, ab Evangelio, quod ei praesto est, subveniatur, ne in desperationem incidat; ejus cor terrore perculsum apprehendit per fidem, quae sola justificat, merita Salvatoris. Propter haec merita Deus hunc fidelem declarat justum, etsi in se minime justus reipsa sit. Quamvis porro hac ratione innocens reputetur et immunis a poena peccatis debita, peccatum originale cum suis manifestationibus jugiter perseverat in homine sic extrinsece justificato. Etsi vero fides sola justificet, sola tamen non permanet; sed justificationi accedit sanctificatio, ac fides se manifestat per bona opera, quae fidei fructus sunt. Confundi tamen simul in hoc systemate nequeunt justificatio et sanctificatio; alioquin non posset ulla amplius haberi certitudo sive obtentae remissionis peccatorum sive salutis aeternae, quae tamen certitudo est proprietas essentialis fidei christianae, id est, *fiduciae*. Hinc opus

(1) Cfr. S. Thom. 1. 2, q. 113, a. 6.

(2) Cfr. Bellarm. *De justific.* lib. II, cap. 12 et seqq.

regenerationis ad Deum solum spectat; homo nullam activam partem in ea habet; quia solus Spiritus Sanctus, qui producit actum hominis, est exclusive activus. Hac ratione tota gloria in Deum unice redundat, quin ullam ejus particulam in justificationis opere homo sibi arrogare possit. Ita lutherani (1). Calvinistae quoad rei substantiam cum illis conveniunt, nec differunt nisi in accidentalibus, in eo, ex. gr. quod Calvinus contendat non sola fide hominem expergefieri a peccatis suis, sed quod hunc effectum tribuat praeterea Evangelio; quod ex fide ingenerari censeat poenitentiam ac deinceps sanctificationem; justificationem demum velit esse propriam tantummodo electorum; aliaque ejusmodi propria habeat quae deinceps exponemus (2).

522. In doctrina catholica aliter omnino ex contrariis principiis instituitur justificationis processus, quem sic exponit synodus Tridentina: *Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens,* QUIPPE QUI ILLAM ET ABIICERE POTEST, *neque tamen sine gratia Dei*

(1) Ita ipsi in *Solid. declar.* v, *De Lege et Evangel.* § 6, p. 678: « Peccatorum cognitio ex lege est. Ad salutarem vero conversionem illa poenitentia, quae tantum contritionem habet, non sufficit; sed necesse est, ut fides in Christum accedat, cujus meritum, per dulcissimam et consolationis plenam Evangelii doctrinam, omnibus resipiscentibus peccatoribus offertur, qui per legis doctrinam perterriti et prostrati sunt. Evangelium enim remissionem peccatorum non securis mentibus, sed perturbatis et vere poenitentibus annunciat. Et, ne contritio et terrores legis in desperationem vertantur, opus est praedicatione Evangelii, ut sit poenitentia ad salutem ». Et iterum, *Apolog.* vi. § 45, pag. 87: « Fides illa, de qua loquimur, existit in poenitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientiae, quae sentit iram Dei adversus peccata, et quaerit remissionem peccatorum et liberari a peccato ». *Apolog.* iv, *de justit.* § 26, pag. 76: « Igitur sola fide justificamur, intelligendo justificationem ex injusto justum effici seu regenerari ». § 19, pag. 72: « Nec possunt acquiescere perterrefacta corda, si sentire debent, se propter opera propria, aut propriam dilectionem, aut legis impletionem placere, quia haeret in carne peccatum, quod semper accusat nos ... » § 25, pag. 75: « Dilectio etiam et opera sequi fidem debent, quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in justificatione excluditur ». Cfr. Moeheler, op. cit. pag. 96 et seqq.

(2) Ita Calvinus, *Instit.* lib. III, cap. 3, § 1, pag. 152, edit. cit.: « Proximus autem a fide ad poenitentiam nobis erit transitus; quia, hoc capite probe cognito, melius patebit, quomodo sola fide et mera venia justificetur homo, neque tamen a gratuita justitiae imputatione separetur realis, ut ita loquar, vitae sanctitas. Poenitentiam vero non modo fidem continuo subsequi, sed ex ea nasci, extra controversiam esse debet ... Quibus autem videtur fidem potius praecedere poenitentia, quam ab ipsa manare vel proferri, tamquam fructus ab arbore, nunquam vis ejus fuit cognita, et nimium levi argumento ad id sentiendum moventur ».

movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit (1) . . . *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem* (2) . . . . *Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae*, etc. (3).

523. Ex quibus intelligimus, haec intercedere discrimina inter novatorum doctrinam et doctrinam catholicam in quaestione, de qua agimus : 1. Quod novatores, nullam admittentes activitatem in homine ante justificationem et regenerationem, inferant nullam requiri dispositionem ad eam consequendam; catholici ex adverso, libero arbitrio praeditum agnoscentes hominem lapsum, inferant aliquas dispositiones praerequiri, ut se Dei gratia praeventum disponat ad justificationem; 2. Quod in systemate novatorum fides sola sit, quae justificat, sive instrumentum sit, quo homo apprehendit merita vel justitiam Christi (4); in doctrina catholica praeter

(1) Sess. VI, cap. V.

(2) Ibid. cap. VI.

(3) Ibid. cap. VII.

(4) In *Apolog.* III, II, 70, dicitur : « Fides non ideo justificat aut salvat, quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam ». Et in *Form. Conc. solid. decl.* 684 et seqq. et 688 et seqq. : « Ad justificationem . . . . necessaria sunt : gratia Dei, meritum Christi, et fides, quae haec ipsa Dei beneficia in promissione Evangelii amplectitur; qua ratione nobis Christi justitia imputatur; unde remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios Dei, et haereditatem vitae aeternae consequimur ». Ceterum optime cl. Moehler, op. cit., exponit nexum doctrinae novatorum de justificatione cum eorundem doctrina circa peccatum originale. Sic enim scribit, tom. I, pag. 102 : « Il n' est pas moins clair, que les Luthériens ne peuvent admettre la libre coopération; car, selon leur doctrine, le péché originel consiste dans la destruction de l'image de Dieu, c' est-à-dire, dans l' extinction des facultés qui seules peuvent agir avec l' Esprit-Saint. Aussi enseignent-ils, que la régénération est exclusivement l' ouvrage de Dieu, que l' homme n' y a pas la moindre part. Déjà dans la célèbre dispute de Leipsick Luther soutint cette erreur contre le docteur Eck; il compara l' homme à une scie qui, purement passive sous la main de l' ouvrier, se laisse mouvoir dans toutes les directions. Plus tard il se plut à l' assimiler à un tronc, à une pierre, à une statue, qui n'a ni cœur, ni yeux, ni oreille ». Sane Lutherus, *in Genes.* cap. 19 : « In spiritualibus, *inquit*, et divinis rebus, quae ad animae salutem spectant, homo est instar statuae salis, in quam uxor Patriarchae Loth est conversa, imo est similis trunco et lapidi, statuae vita carenti, quae neque oculorum, oris, aut ullorum sensuum, cordisque usum habet ».

fidem requirantur aliae dispositiones cujusmodi sunt spes, contritio, poenitentia, etc. 3. Quod fides, quae in hypothesi adversariorum justificat, sit *fiducia* illa, qua quis pro certo habet, sibi imputari justitiam Christi, dimitti peccata, id est, peccatorum poenam, et se in Christo ut innocentem et sanctum spectari a Deo, etsi peccata omnia intus quoad culpam permaneant; in doctrina vero catholica fides, quae est initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sit firmus assensus ad ea omnia, quae divinitus revelata sunt. Nostrum igitur est, tres enumeratas veritates adstruere, ac refellere totidem eisdem adversantes errores.

PROPOSITIO I.

In adultis ad justificationem consequendam aliquae praeter fidem dispositiones praerequiruntur, seu sola fides non justificat

524. Est de fide haec propositio, quam concilium Trid. definivit, sess. VI, can. IX, his verbis: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, anathema sit.* Duo, ut patet, hoc canone Concilium definivit; primo scilicet, nonnullas dispositiones in homine requiri, ut perveniat ad justificationem; secundo, fidem non esse solam dispositionem, sed praeter fidem alias insuper necessarias esse. Duo haec propterea ostendenda assumpsimus in hac propositione, quae duas has veritates simul complectitur.

525. Verum, antequam haec ostendamus, praemittendum est ad majorem rei, de qua agimus, perspicuitatem. 1. has dispositiones exposci ad impedimentum gratiae seu justificationis removendum, non autem quod illae habeant rationem meriti *proprie dicti;* siquidem gratis a Deo gratia sanctificans infunditur intuitu meritorum Christi; ac proinde illae dispositiones sunt tamquam conditio, *sine qua non* infunditur gratia, aut solum habent rationem meriti, ut vocant, *de congruo* seu *impetrationis*. Praenotamus 2. has dispositiones praeter fidem, quae omnium consensu ad justificationem requiritur, esse timorem, spem, charitatem saltem inchoatam, poenitentiam et propositum servandi in posterum divina mandata, ut exponit Tridentina synodus loc. cit.

526. His positis, sic accedimus ad priorem propositionis partem ostendendam: Scripturae exigunt ad justificationem assequendam ab hominibus adultis conversionem et poenitentiam; ergo aliquas dispositiones velut necessariam conditionem ad eandem assequendam requirunt. Nam, Ezech. XVIII, 21, dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur.* Zach. I, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Absoluta autem necessitate talem poenitentiam requiri, constat ex Christi verbis, Luc. XIII, 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quare apostolus Petrus, Act. II, 38, sic Judaeos compunctos ad ejus praedicationem alloquebatur: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Luculenter igitur ex Scripturis evincitur, dispositiones aliquas requiri, ut quispiam justificationem consequatur.

527. Frustra post haec adeo luculenta Scripturarum oracula patrum testimonia congereremus ad hanc veritatem,

unanimi illorum consensu firmatam, adstruendam. Sed unus prae ceteris audiatur Augustinus, cujus notum effatum est ex *Serm. XV, de verbis Apostoli: Qui fecit te sine te, non te justificat sine te . . . Fecit nescientem, justificat volentem* (1). Quibus verbis complexus est s. Doctor rationem, quae ex intima rei natura exurgit. Quemadmodum nempe impius voluntarie peccando recessit a Deo, ejusque obsistit gratiae; sic congruum est, ut non accipiat reconciliationem, nisi per suam voluntariam conversionem ad Deum.

528. Ad alteram autem propositionis partem quod attinet, eam pariter sacris Litteris inniti, sic demonstramus: sacrae Litterae praeter fidem ad justificationem requirunt opera. Ergo . . . Jacobus enim, Epist. II, 24: *Ex operibus*, inquit, *justificatur homo, et non ex fide tantum*. Et suae assertionis hanc rationem affert (v. 26). Quia nempe *fides sine operibus mortua est*. Et apostolus Paulus, Rom. II, 13: *Non enim*, scribit, *auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur*. Ac iterum, I Cor. XIII, 2: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Demum, Galat. V, 6, exponens, cujusmodi debeat esse fides, quae ad justificationem requiritur, haec habet: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur* (2). Ergo ex Apostolo non sola fides, quae sterilis sit ac sejuncta a charitate et operibus, confert ad justificationem, sed quae cum ipsa charitate et per ipsam operetur seu vivificetur. Proinde non solam Jacobi Epistolam veluti *stramineam* (3) rejicere debuisset Lutherus ad portentosum dogma suum stabi-

(1) Cap. XI, n. 13.

(2) Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία· ἀλλὰ πίστις δι ἀγάπης ἐνεργουμένη. Ubi notanda est vis hujus vocis ἐνεργουμένη, *operatur*, in sensu passivo, non autem activo usurpatae; quae tantumdem valet ac *mota* atque *acta* charitate. Cfr. Bellarm. *De justif.* cap. IV, n. 11.

(3) Ita Lutherus in *Praef.* antiquissima edita Wittembergae ante annum 1525; quamquam in recentioribus editionibus opp. Lutheri omissa sunt verba, quibus ille hanc Jacobi Epistolam vocabat stramineam, si comparetur cum Epistolis Petri et Pauli, atque indignam esse affirmabat indole Evangelica. Quare Whitakerus aliique judices, qui Edmundum Campianum S. J. tamquam calumniatorem traduxerunt, quod illa Luthero affinxerit, ea dein in antiquioribus editionibus repererunt. Rem totam fuse refert Bayle in suo *Diction. critico*, art. *Luther*, Rem. O. P. Lutherum secuti sunt A. Althamerus et Centuriatores Magdeburgenses. Wetstenius cum retulisset haec verba Lutheri: « Meam sententiam nemini obtrudam; tantum dicam, me Epistolam Jacobi non existimare esse scriptum Apostolicum, ob hanc rationem, primo quia directe contra Paulum et omnem Scripturam operibus justificationem tribuit; denique Jacobus iste ita confundit omnia ac permiscet, ut mihi vir bonus aliquis ac simplex fuisse videatur, qui, arreptis quibusdam dictis discipulorum Apostolicorum, ea in chartam conjecerit », etc. His, inquam, adductis, sic scribit: « Si enim Jacobus Paulo contradiceret, utique non Jacobus, qui id aperte docet, quod lex naturae, quod Scriptura ubique, quod Paulus alibi inculcat, sed illae Pauli Epistolae, in quibus dogma a reliquis dissidens contineretur, fuissent abjiciendae. At, si rem recte consideremus, nulla inter Jacobum et Paulum est pugna; quum Jacobus loquatur de lege naturae et de lege Christi, Paulus vero de lege et oeconomia Mosis ». Cfr. Rosenmüll. *Schol. in Epist. Jacobi*. Cfr. etiam J. D. Michaelis, *Introd. au Nouveau Testam.* Genève 1822, tom.

liendum de sola fide justificante, sed praeterea omnes Paulinas Epistolas, quae ejusmodi errorem pariter evertunt.

529. Rursum, quemadmodum alicubi Scriptura justificationem fidei tribuit, ita alibi aliis eam tribuit dispositionibus. Si dicitur, Rom. III, 28: *Arbitramur hominem justificari per fidem;* etiam, Eccli. I, 28, legitur: *Qui sine timore est, non poterit justificari;* et Prov. XXVIII, 25: *Qui sperat in Domino, sanabitur;* ac I. Joan. III, 14: *Qui non diligit, manet in morte;* ut alia praeteream paulo ante commemorata loca, in quibus eadem justificatio poenitentiae adscribitur. Ergo sicut non excluditur fides in iis Scripturae testimoniis, in quibus solius timoris, spei, charitatis, poenitentiae, etc. fit mentio, cum sermo occurrit de justificatione, ita neque excluduntur timor, spes, etc. ubi solius fidei mentio fit.

530. Sancti ecclesiae patres videntur data opera scripsisse ad hos novatores refellendos; nam s. Joan. Chrysostomus, *Hom. LXIV in Matth.* ait: *Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus poenas* (1). Et s. Augustinus, *Serm. XVI*, cap. VI, *de verbis Apostoli: A fide,* inquit, *incipit homo; sed et daemones credunt et contremiscunt . . . Adde ergo fidei spem . . . speique ipsi adde charitatem* (2). Et *Serm. XXVII*, cap. I: *Domus Dei*, scribit, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

531. Denique novatorum systema falsitatis arguitur 1. in eo quod perperam supponat fidem, quae velut organum et instrumentum spectatur ad apprehendendam justitiam Christi, non aliud esse nisi *fiduciam;* quod tamen mox ostendemus falsum esse (3). 2. In eo, quod assumant adversarii, fidem hanc justificantem toto coelo esse distinctam a virtute qualibet, et praesertim a charitate; quod pariter falsum est; cum ex ea ceterae virtutes profluant, praesertim charitas, quae ex fide germinat, ut perveniatur ad justificationem. In quo praeterea adversarii sibi non cohaerent, qui deinceps fatentur, ut mox videbimus, charitatem ex fide gigni, evolvi et crescere veluti plantam ex germine (4). 3. Denique, ceteris omissis, ex eo falsum ejusmodi systema deprehenditur, quod praecidat omnia virtutum germina, omniumque operum bonorum necessitatem excludat, hominem velut truncum spectet omni libero motu et activitate carentem ante justificationem et sub gratiae vel concupiscentiae motione; quae exitiosa sunt omnia et absurda, ut tum ex iis, quae superius diximus, tum ex inferius dicendis planum fit.

IV, chap. 25, sect. II et sect. VI. Frustra proinde nonnulli rationalistae autumant, Jacobo hoc propositum fuisse, ut Pauli sententiam refutaret.

(1) N. 4. Ἂν μὴ καὶ βίον προσθῶμεν τῆς πίστεως ἄξιον, τὴν ἐσχάτην δώσομεν δίκην. Tom. VII, op. p. 640.

(2) Totum hoc caput est de hoc argumento, ut evincat, juxta Apostolum vivam fidem, quae discernitur a fide daemonum, esse fidem, quae per dilectionem operatur. Eadem fere habet, *Serm.* LIII, cap. 10, n. 11. Ubi inter cetera scribit s. Doctor: « Discernenda est fides nostra a fide daemonum. Fides enim nostra mundat cor; fides autem illorum reos facit . . . Non est talis fides, quae mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorum. Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus, ubi ait: Fides, quae per dilectionem operatur » ?

(3) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. I, cap. 18.

(4) Cfr. Moehler, op. cit. tom. I, pag. 178 et seqq. tum pag. 184.

DIFFICULTATES

532. I. Obj. Scriptura constanter fidei tribuit justificationem, ac ita fidei soli tribuit, ut quaelibet opera excludat. Nam, Rom. III, 28. scribit Apostolus: *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis;* et ib. IV. 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ex quo concludit, ib. v. 5: *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei;* et cap. V, 1: *Justificati ergo ex fide.* Haec eadem repetit, Galat. II, 16: *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis;* et Ephes. II, 8: *Gratia estis salvati per fidem;* et alibi passim eadem inculcat. Imo recte dixeris, hanc esse thesim, quam ostendendam assumpsit Apostolus in Epistola ad Romanos, quamque statuit cap. III, v. 24. illis verbis: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu,* et quam evolvit sequentibus capitibus. Ergo.

533. Resp. *D. A.* Scriptura constanter tribuit justificationem fidei vivae, quae scilicet per charitatem operatur, *C.* fidei mortuae ac sine operibus *N.* Sic etiam responderi posset: Fidei soli tribuit ad exclusionem eorum operum, quae praecedunt fidem seu vocationem ad fidem, *C.* quae fidem sequuntur et in fide fundantur, imo et ex ea oriuntur *N.* Scopus enim Apostoli in adductis locis est ostendere, justificationem esse donum Dei gratuitum, quod per opera solum naturaliter honesta, qualia Gentes jactabant, aut per opera ex sola legis cognitione sine gratia ac fide in Christum facta, in quibus gloriam suam, imo et justitiam collocabant Judaei, promereri nullatenus potuerit. Ex quo infert Apostolus, tam Judaeos quam Gentiles non fuisse consecutos vocationem et justificationem nisi per solam fidem in Christum ipsis gratuito concessam; quia, si quispiam potuisset justificari ex operibus sine gratia factis, ac propterea sine fide in Christum, Christus gratis mortuus esset (1). Opera autem, quae fidem consequuntur et ex ipsa proveniunt, non rejecisse Apostolum, omnes ejus Epistolae testantur, in quibus exhortatur fideles, ut eis strenue sese dedant.

534. II. Obj. Scriptura solius fidei meminit, quoties loquitur de justificatione et remissione peccatorum. Sic Matth. IX, 22. et Luc. VII, 50: *Fides tua te salvam fecit;* ac iterum Luc. VIII, 50: *Crede tantum, et salva erit;* Joan. I, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus;* et ibid. III, 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Quare Philippus, Act. VIII, 37. ab Eunucho baptismum petente solam fidem petiit: *Si credis ex toto corde, licet.* Ergo.

535. Resp. 1. *N. A.* Quia, etsi *interdum* Scriptura solius fidei mentionem injiciat, cum loquitur de justificatione, saepe tamen etiam alias virtutes aut sacramenta commemorat, disserens de eadem justificatione. Ut Luc. VII, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* Tob. XII, 9: *Eleemosyna a morte liberat;* Rom. VIII, 24: *Spe salvi facti sumus;* Eccl. I, 27: *Timor Domini expellit peccatum;* Tit. III, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* Ephes. V, 26. loquens de ecclesia, ait: *Mundans* (eam) *lavacro aquae in verbo vitae* (2); nec

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. I, cap. 19

(2) Καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. In textu graeco deest *vitae*.

tamen quispiam jure aut soli dilectioni, aut soli spei, timori etc. justificationem adscribere potest. Cum igitur plures causae ad eundem effectum producendum concurrunt, consuevit Scriptura modo uni, modo alterì causae illum tribuere, quin ceteras excluderet. Hinc, cum ejusmodi causae ordine quodam inter se conjunctae sint, ac fides reliquas omnes praecedat ac producat, restat ut concludamus, Scripturam reliquas includere, dum solius fidei meminit, seu loqui de fide viva, activa et operatrice, dum ei tribuit justificationem.

536. Resp. 2. Ad primos duos textus. *D.* Et in his sermo est de miraculo seu sanatione corporali, *C.* de justificatione *N.*

537. Quoad reliqua testimonia, *D.* Loquuntur de fide tamquam de prima dispositione, ex qua ceterae profluunt, ut dictum est, *C.* tamquam de dispositione unica et adaequata *N.* Hinc optime s. Augustinus ad factum Philippi, quod opponitur: *Scriptura*, inquit, *tacuit, atque intelligenda dimisit cetera, quae cum illo spadone baptizando Philippus egit; atque in eo, quod ait: baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quae licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda* (1).

538. Inst. Atqui Scripturae loquuntur de fide sola tamquam unica et adaequata causa justificationis; ac praeterea de ea loquuntur tamquam *instrumento et organo* ejusdem justificationis, non autem tamquam de *dispositione*, quae ceteras includat. Atque ad primum quod attinet, 1. nota sunt Apostoli verba, Rom. I, 16: *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem;* ergo non ex *fide in opera*, quae nempe fides inchoet. 2. Eodem sensu dicitur, Habacuc II, 4: *Justus ex fide vivit;* ergo fides, et quidem sola vitam, quam inchoavit, continuat. 3. Sane Abraham, cum dictum est de eo, Gen. XV, 6: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, novitius non erat, sed sanctitatis omniumque virtutum exemplar; ergo non ei adytum ad justitiam patefecit fides, ut aliunde postea justificatio compleretur. 4. Quin potius opera, quae fidei superveniunt, a justificatione exclusit Apostolus, qui, loquens de Abraham jam credente, Rom. IV, 2. ait: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Sed, ubi analysis justificationis instituatur, id magis patefiet. 5. Siquidem prius est in nobis justificatio, quam charitas, quae est bonorum operum initium, dicente Joanne, I. Epist. IV, 10: *Non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Porro Deus nos diligendo justificat. Ad alterum vero quod spectat, facile evincitur, quia, si fides ac virtutes reliquae tamquam dispositiones in homine requirerentur ad justificationem, 6. his dispositionibus tribuenda esset justificatio; attamen concilium Arausicanum definivit: *Ut a peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat* (2). 7. Plures reipsa quotidie justificantur absque ulla suae voluntatis cooperatione, ut amentes, lethali morbo correpti omnique rationis usu destituti, quibus Sacramenta administrantur. Ergo.

539. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Revelatur justitia Dei ex fide inchoata et imperfecta in fidem perfectam et charitate formatam, *C.* ex fide in fidem sine charitate ac bonis operibus *N.* Hic

(1) Lib. *De fide et oper.* cap. 9.

(2) Cap. IV.

enim posterior sensus excluditur per ea omnia, quae superius adduximus (1).

540. Ad 2. *D.* Justus ex fide vivit, ex fide viva quae per charitatem operatur, *C.* ex fide mortua, nempe sine operibus *N.* Fides enim, quae sit sine operibus, mortua est ut declarat apostolus Jacobus loc. cit. Quod autem mortuum est, alteri vitam praebere non potest. Hinc bene intelligitur, quare dixerit apostolus Paulus justitiam Dei esse de fide in fidem, quia scriptum est: *Justus ex fide vivit;* quatenus justitia Dei quae ex fide imperfecta inchoatur, in fidem perfectam, hoc est vivam, desinit sive adducit.

541. Ad 3. *D.* Ideoque novum accepit justificatio Abrahae incrementum, quia ex fide in fidem progressus est juxta dicta, *C.* secus *N.* Hinc Jacobus quoque hoc retulit Geneseos testimonium ad ostendendum, fidem sine operibus non justificare; et, quoniam fides per opera justificat, ideo per opera ex fide peracta in dies augetur et crescit haec ipsa justificatio, robustior ac fecundior fit, juxta illud Prov. IV, 18: *Justorum semita quasi lux splendens, quae procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

542. Ad 4. *D.* Secrevit Apostolus a justificatione opera, in quae fides vim suam non indiderit, *C.* opera ex fide elicita *N.* Placuit igitur Deo patriarcha Abraham et per primam fidem, qua justificatus est, ac deinceps semper magis placuit, quatenus hac fide instructus nova semper opera edidit, quae meritum suum ex fide influente in ea, consequebantur (2).

543. Ad 5. *D.* Prius est justificatio quam charitas habitualis, quam Deus nos diligendo per Spiritum Sanctum diffundit in cordibus nostris, *C.* prius

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. I, cap. 20. Postremis hisce temporibus protestantes passim accesserunt ad catholicam explicationem fidei vivae seu formatae, ut conferat ad justificationem, atque ita recesserunt a primis protestantium placitis. Sane Knappius in Commentatione XIII, quae est *De dispari formula docendi, qua Christus, Paulus atque Jacobus de fide et factis disserentes usi sunt, item de discrimine* ἔργων νόμου et ἔργων ἀγάθων, effata s. Pauli et s. Jacobi exponit de fide, quae sit principium bonorum operum: « Ipsius Christi auctoritate, *inquit*, dici sine ulla haesitatione potest, etiam factis (ἐξ ἔργων) homines impunitatem et salutem consequi. At qualibus? Num iis, quae a fide sejuncta sunt, aut fidem excludunt? Minime vero. Sed his, quae a fide, Deo et Jesu Christo habita nascuntur, velut e bona arbore boni fructus; ut, si quis professus fuerit, salutem se ob pie facta (ἐξ ἔργων ἀγάθων) sperare, perinde id habendum sit, ac si dixisset: e fidei effectis et documentis. Nam omnes sacri scriptores, inde usque a Mose, in hoc una mente consentiunt, omnium recte factorum, quae quidem Deo probentur, principia a fide duci; summaque eorum, quae illi praeceperunt, haec est: χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαριστῆσαι τῷ Θεῷ; sine fide impossibile est placere Deo; item τὸ τέλος τῆς πίστεως σωτηρία ψυχῶν »: *Finis fidei, salus animarum*, Heb. XI, 6, I Petr. I, 9, cfr. vss. 5 et 21. Quae deinde late prosequitur. Cfr. *G. Christiani Knappii scripta varii argumenti*. Halis Saxonum, 1823, tom. II, pag. 419 et seqq. Hac ratione recentiores protestantes apologiam texunt illius catholicae doctrinae, cujus causa eorum majores ab ecclesia discesserunt.

(2) Cfr. Bernardin. a Piconio in hunc loc. Cfr. etiam Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. VIII, cap. 4, n. 18 et seq. ubi refert diversas rationes, quibus theologi in Concilio Trid. verba Apostoli juxta doctrinam catholicam exposuerunt.

est quam charitas actualis, cujusmodi ad justificationem una cum fide requiritur *N.* Utraque porro charitas gratuita est, procedens ex divina erga nos dilectione.

544. Ad 6. *D.* Tamquam conditionibus, sine quibus non tribuitur a Deo justificatio, *C.* tamquam meritoriis *N.* Concilium autem Arausicanum, ut superius ostendimus, loquitur adversus semipelagianos, qui, excludentes gratiam praevenientem, docebant, Deum nostram expectare voluntatem.

545. Ad 7. *D.* Perpetuo amentes, qui infantibus aequiparantur, *C.* ceteri, *Subdist.* Absque ulla ipsorum cooperatione actuali, *C.* praecedente, quae virtualiter perseveret *N.* Haec enim sufficit ad justificationem, praesertim in enunciatis casibus.

546. III. Obj. Patres unanimi consensu soli fidei justificationem adscribunt. S. Hilarius: *Fides* inquit, *sola justificat* (1). S. Ambrosius, seu Auctor *Comment. in Epist. ad Rom.* in cap. III, *Sola fide justificati sunt dono Dei* (2). S. Joan. Chrysostomus: *Fidelem*, ait, *sine operibus possum ostendere et vixisse, et in regnum coelorum ivisse . . . Latro tantum credidit, et vitam habuit* (3). S. Augustinus: *Quantaelibet*, scribit, *fuisse virtutis antiquos praedices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris* (4), et alibi passim. S. Leo: *Fides vera justificans impios et creans justos* (5). Denique juxta s. Bernardum ideo Christus tantum dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*, ut per hoc innueret: *Solam interdum fidem sufficere ad salutem* (6). Ergo.

547. Resp. *D. A.* Per oppositionem ad legem seu ad opera tantum naturaliter honesta, *C.* per oppositionem ad reliquas dispositiones et ad opera ex fide elicita *N.*

548. Sane s. Hilarius fidem opponit legi; ait enim ibid. hominem fuisse ab illo peccato liberatum, *quod lex lavare non poterat; fides enim sola justificat.*

549. Eodem sensu loquitur Ambrosiaster, spectans opera elicita absque fide.

550. S. Joan. Chrysostomus, seu potius auctor illius *Homiliae de fide* loquitur de operibus externis, quae non sunt ejusdem necessitatis ac fides, ut patet ex subjecta materia. Latro enim credidit, speravit et dilexit. Ceterum haec homilia spuria est.

551. S. Augustinus per citata verba, ut alibi semper, docet, veteres sanctos non fuisse justificatos per opera legis, sed per fidem in Christum et gratiam ejus, non secus ac nos; ut constat ex ejus scopo adversus pelagianos.

552. S. Leo loquitur de fide catholica per oppositionem ad falsas sectas haereticorum, in quibus salus haberi nequit.

553. S. Bernardus disserit de actuali susceptione baptismi, quae absolute interdum necessaria non est, ut liquet ex contextu, ubi ostendit, fidem cum voto baptismi in casu necessitatis actualem ejusdem perceptionem supplere posse; alibi enim aperte docet: *Nec fides sine*

(1) Cap. 8. in Matth. n. 6.

(2) In v. 24.

(3) *Homil. de Fide*, n. 1.

(4) Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* cap. 21, n. 39.

(5) *Ep.* CXXIV, cap. 4, edit. Baller. alias LXXXIII.

(6) *Epist.* seu *Tract. ad Hugonem de s. Victore, de Baptismo*, cap. 2, n. 8, edit. Maur.

operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem (1).

PROPOSITIO II.

Fides, quae ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quae Deus revelavit

554. Hoc est de fide, ut patet ex can. XII, sess. VI, Con. Tridentini: *Si quis dixerit: fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.*

555. Ut autem melius intelligatur status quaestionis, animadvertendum est, 1. protestantes triplicem distinguere fidem, *historicam*, qua credimus vera esse quae Deus revelavit, *miraculorum*, qua illi intelligunt facultatem miraculorum edendorum, *promissionum*, qua quis credit veras esse promissiones, quas Deus fecit de remittendis peccatis, tum in genere quoad omnes homines, qui credunt in Christum, tum in specie quoad singulos homines credentes sibi remitti peccata, seu potius sibi esse remissa per Christum. Hanc porro fidem specialem, qua quis certo credit, sibi esse dimissa peccata, quamque fiduciam appellant, eam esse contendunt, quae sola justificet (2).

556. Animadvertendum est, 2. in systemate novatorum fidem hanc seu fiduciam, quae apprehendit misericordiam vel promissiones divinas tamquam organum et instrumentum, non esse *subjectivam* seu intrinsecam homini, nec ullam intrinsecam seu intimam relationem afferre inter hominem et Christum; sed esse solum *objectivam* et extrinsecam, alioquin esset *debilis* et *imperfecta*; quod explicat Calvinus per similitudinem *ollae fictilis, quae in se recondit aurum* (3). Porro nulla est intrin-

(1) *Serm.* XXIV *in Cantica* n. 8. Et hic observo, neminem ex patribus inveniri, qui constanter non doceat, necessarias esse cum fide reliquas dispositiones ad justificationem et salutem; ut patet ex iis ipsis locis in suo contextu spectatis, quae nobis objiciuntur a protestantibus. Hi enim verba detraxerunt a contextu, ut aliqua ratione evincerent, ipsos primos non fuisse ad paradoxum istud excogitandum de fide sine operibus justificante.

(2) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. I, cap. 4.

(3) Ita Calvinus, *Instit.* lib. III, cap. 11. in quo confutat Osiandrum, qui, ut ipse loquitur, monstrum nescio quod essentialis justitiae invexit. Respondens itaque § 7, pag. 192, ad septimum Osiandri argumentum, ita scribit: « Quod objicit, vim justificandi non inesse fidei ex seipsa, sed quatenus Christum recipit, libenter admitto. Nam, si per se vel intrinseca, ut loquuntur, virtute justificaret fides, ut est semper debilis et imperfecta, non efficeret hoc nisi ex parte; sic manca esset justitia, quae frustulum salutis nobis conferret... Neque tamen interea tortuosas hujus Sophistae figuras admitto, quum dicit, fidem esse Christum, quasi vero olla fictilis sit thesaurus, quod in ea reconditum sit aurum. Neque enim diversa ratio est, quin fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretii, non justificet, Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat .... Jam expeditus est quoque nodus, quomodo intelligi debeat vocabulum fidei, ubi de justificatione agitur ». Neque alia ratione sentiunt aut loquuntur lutherani. Etenim in *Apolog.* IV, *de Justific.* § 18, pag. 71, dicitur: « Et rursus quoties nos de fide loquimur, intelligi volumus objectum, scilicet misericordiam promissam. Nam fides non ideo justificat, aut salvat, quia ipsa sit opus per se dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam ». Sic etiam Chemnitius, *Exam. Conc. Trid.* pag. 1, et 294.

seca relatio inter aurum et vas fictile ; illud enim semper pretiosum est, istud semper vile. Sic Christus Jesus, apprehensus per fidem, est ipsa puritas ; homo autem fidelis est impurus in mente et corde suo (1). Ex hoc patet ingens discrimen, quod intercedit inter fiduciam, qualem concipiunt novatores ut necessariam ad justificationem, et inter spem seu fiduciam, quam praeter fidem etiam catholici necessariam agnoscunt inter ceteras dispositiones ad justificationem assequendam.

557. His ita constitutis, consonam esse sacris Litteris veritatem catholicam, quam enunciavimus, sic ostendimus : Sacrae Litterae ad justificationem, requirunt firmum assensum ad ea omnia, quae Deus revelavit ; ergo. Nam Marci cap. ult. 15 ait Christus : *Praedicate Evangelium omni creaturae ; qui crediderit... salvus erit ;* Joan. XX, 31 : *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus ;* Rom. X, 9 : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis ; salvus eris*. Demum, aliis omissis, Act. VIII, 37. Eunucho baptisma petenti respondit Philippus : *Si credis ex toto corde, licet ;* et respondens (Eunuchus), ait : *Credo, Filium Dei esse Jesum Christum* (2). Jam vero in his omnibus ne verbum quidem occurrit de novatorum fiducia.

558. Consonam quoque esse eandem doctrinam universae traditioni, constat ex antiquissima consuetudine, quae jam a primis ecclesiae seculis in ecclesia universa obtinuit, exigendi a catechumenis ante baptisma professionem praecipuorum fidei nostrae articulorum, qui in symbolo Apostolico continentur (3) ; in quibus nullum vestigium occurrit de speciali fiducia sibi dimissorum peccatorum. Argumentum, quod ex hac constanti et universali consuetudine exurgit, nunquam non vehementer torsit haereticorum ingenia.

559. Hinc supervacaneum putamus patrum testimonia singillatim appellare, quae longo agmine adducit Bellarminus (4). Certe s. Basilius docet, fidem illam ad salutem et justificationem necessariam esse, qua creduntur, quae

(1) Cfr. Moehler, op. cit. p. 165. Ubi apposite ait : « Nous l'avons entendu, la foi n'est point un écoulement de l'Esprit du Christ ; elle n'est point une puissance affranchissante, un principe de vie régénérant le fidéle ; mais elle est à Jésus-Christ ce que le vase d'argile est au trésor. Comme le vase et le trésor ne deviennent pas une et même chose, comme l'un reste de l'argile et l'autre de l'or, de même la foi n'unit pas l'homme intimement à Jésus-Christ, de même entre le Christ et le fidéle il n'existe que des rapports purement extérieurs. Jésus-Christ est la pureté même, le chrétien est impur dans son esprit et dans son coeur ; le Christ est offert à Dieu par son disciple et son disciple ne devient pas un sacrifice agréable à Dieu ». Deinde ostendit hic idem auctor, hanc rationem exponendi proprium suum systema ex ipsa natura ejusdem systematis necessario descendere. Semel enim constituto principio quod justitia sit extra nos, pronum erat inferre, nonnisi extrinsece posse hominibus applicari obedientiam seu merita Salvatoris.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. VI et seqq.

(3) Cfr. quae scripsimus in Tract. *De Trinit.* n. 104 cum notis appositis. Cfr. etiam Binghami *Origines, sive antiquitates*, etc. Halae 1727, vol. IV, lib. XI, cap. VII, § 8 et seq.

(4) *De justif.* lib. I, cap. 9.

Deus revelavit (1); s. Cyrillus Hierosol. fidem justificantem vocat fidem dogmaticam, qua credimus Jesum esse Christum atque a mortuis resurrexisse (2); nec alia insedit sententia Gregorio Nazianzeno (3), s. Joan. Chrysostomo (4), s. Augustino (5), s. Fulgentio (6) aliisque omnibus, qui hanc fidei notionem ex verbis Apostoli hauserunt cap. XI, Epist. ad Hebr., quibus describit fidem justificantem seu illam qua justus vivit: *Est autem*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, id est, persuasio et convictio illa intellectus qua quis assentitur iis, quae non assequitur, eo quod mentis ipsius angustae captum excedunt (7); quae profecto non est illa, quam protestantes praedicant, fiducia specialis.

560. Ratio demum commentum hoc novatorum excludit. Specialis enim fiducia de dimissis sibi peccatis per Christum supponit et sequitur justificationem, quae in ipsa peccatorum dimissione consistit; ergo eam nec praecedit nec producit, nisi velint adversarii effectum praecedere causam (8). In hac praeterea hypotesi omnis intercluditur adytus orationi; siquidem frustra quis diceret: *Dimitte nobis debita nostra*, si fide credere deberet, sibi jam dimissa esse peccata; quod si hanc fidem non habet, frustra petit sibi dimitti peccata, cum nemini sine fide peccata dimitti possint. Addo, hoc commentum esse contra systema ipsorum protestantium, juxta quod ante justificationem homo omni libertate destitutus est. Ergo.

DIFFICULTATES

561. Obj. Soli fiduciae adscribit Christus remissionem peccatorum, Matth. IX, 2: *Videns fidem illorum, dixit paralytico: confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:* et v. 22 ait hemorrhoïssae: *Confide, filia, fides tua te salvum fecit;* Luc. XVII, 19: *Fides tua te salvum fecit*. Quam fiduciam ut magis inculcaret, Marc. XI, 24. dicebat discipulis suis: *Omnia, quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis,*

(1) *Hom. de Fide*, num. 1, opp. edit. Maur. tom. II, pag. 224.

(2) *Catech.* V, *De Fide et Symbolo*, n. X.

(3) *Orat.* XL, *in Sanctum Baptisma*, n. 51, edit. Paris. 1630, tom. I, pag. 671 et seq.

(4) In duabus *Homiliis de Symbolo*, edit. Chevallon, Paris. 1536, tom. V, fol. 205 et seqq.

(5) *Enchirid.* capp. II, V, VII, VIII, etc.; tum in lib. *De Fide et Symbolo*, qui totus est de hoc argumento; cfr. ejusdem libri conclusio, n. 24.

(6) Lib. *De Fide, ad Petrum*, qui totus pariter de eodem argumento est.

(7) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 8, cum vindiciis Erbermanni adversus Amesium.

(8) Hoc ipsum plures protestantes animadverterunt; hinc confugerunt ad distinguendos duos modos, quibus peccata dimissa esse credant. Primo quoad decretum Dei et mortem Christi ex decreto illo jam obitam; secundo vero quoad efficacem applicationem, tum ex parte Christi donantis remissionem peccatorum, tum ex parte credentium fide eam accipientium. Istorum itaque mens est, nobis donari atque applicari remissionem peccatorum, quia certa fiducia Christum amplectimur, et persuasi sumus Christum juxta Dei decretum peccata nostra morte sua delevisse atque expiasse. Alii simpliciter concedunt peccata nobis esse dimissa, antequam credamus, et fidem justificatione posteriorem esse. Adeo strenue se implicant! Cfr. Ludov. Le Blanc, verbi divini minister, in op. *Theses Theologicae*, Londini 1675, Thes. *De Fidei justificantis natura*, n. LVIII et seqq.

ei evenient vobis. Quod si cetera per fiduciam obtinentur, multo magis peccatorum remissio. Hinc Paulus, Act. XIII, 38, sic Judaeos alloquitur: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur . . . . in hoc omnis, qui credit justificabitur*. Et conceptis verbis passim fidem vocat fiduciam, ut cum, Ephes. III, 12 de Christo scribit: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus;* et Hebr. XI, 1: *Fides est sperandarum substantia rerum*, seu ut graece legitur ὑπόστασις (hypostasis) nempe *expectatio;* ex quo patet non aliud fidem esse praeter expectationem misericordiae divinae, nec proinde consistere nisi in fiducia. Sane quoties aliquid nobis vel promissum vel oblatum est, nihil aliud requiritur ex parte nostra quam acceptatio; porro justificatio nobis a Christo promissa et oblata est. Ergo.

562. Resp. *Dist. ant.* Adscribit Christus remissionem peccatorum fiduciae, quae oriatur ex firmo assensu iis omnibus, quae Deus revelavit, *C.* fiduciae de dimissis sibi peccatis, ut novatores autumant, *N.* Nisi enim quispiam pro certo habeat quidquid Deus revelavit, impossibile est ut concipiat fiduciam de remissione peccatorum quam Deus pollicitus est iis omnibus, qui in ipsum credunt et conditiones adimplent ad veniam peccatorum obtinendam necessarias. Fides enim reliquas omnes dispositiones sustentat tamquam initium, radix et fundamentum. Haec propterea fiducia, quam Christus requirit, habet pro objecto veritatem divinarum promissionum; ast hoc non sufficit, sed necesse praeterea est ex parte subjecti, ut ab eo ponantur conditiones omnes seu dispositiones, quas Deus requirit, ut sibi in specie hae promissiones applicentur. Deberet proinde haec fiducia in sententia novatorum complecti actum fidei de praestitis a se conditionibus, ut posset quis sibi blandiri de dimissis peccatis per Christum; quod absurdum est, et totum protestantium systema evertit. Hac de causa ipsi rejecerunt omnes dispositiones velut non necessarias, imo ut prorsus inutiles ad consequendam justificationem, docentes hanc fieri per solam apprehensionem extrinsecam meritorum Christi. Quo posito, jam facile est singulis objectis testimoniis occurrere.

563. Itaque Christus ait paralytico: *Confide*, id est, *Pro certo tene, quod possim et velim peccata tua remittere*. Ad hemorrhoïssam: *Fides tua te salvam fecit*, id est, *Sanitatem obtinuisti per fidem, qua credidisti, me id potuisse praestare*. Idipsum dicatur de leproso illo, de quo, Luc. XVII, sermo est; Marc. XI, commendat Christus efficaciam orationis, quae ex fiducia in Christi omnipotentia et bonitate oritur. Apostolus, Act. XIII, annunciat remissionem peccatorum credentibus in Christum et firmum assensum praebentibus iis omnibus, quae ipse docuit. Hinc, qui in Christum credit et praestat ea, quae ipse facienda praescripsit ad veniam peccatorum obtinendam, profecto justificatur. Ad Ephesios vero scribit, omnem spem nostram et fiduciam in Christi meritis esse collocandam; quod nemo ambigit. Ideo vero Hebr. XI, fides dicitur, *sperandarum substantia rerum*, quia fides, qua in Deum credimus, est spei fundamentum; subdit enim: *Argumentum non apparentium*. Hinc prosequitur: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei . . . . . Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* et alia quae sequuntur, in quibus commendatur fides patriarcharum et reliquorum justorum, qua firmo assensu credebant Dei omnipotentiae, fidelitati, veracitati; nuspiam vero commendatur

fiducia de dimissis sibi peccatis per apprehensam justitiam (1). Sic eodem sensu cetera, quae objici solent testimonia, exponi debent, cum non aliam patiantur interpretationem.

564. Ex dictis pariter responsio patet ad illud, quod postremo loco inferebatur de promissione et acceptatione; si enim promissio absoluta sit, nihil aliud certe requiritur praeter acceptationem; ast, si sit conditionata, acceptatio non sufficit, sed praeterea requiritur conditionis positio. In casu autem nostro, conditiones sunt dispositiones, quae a nobis praerequiruntur. *Invenies eum, si tamen toto corde quaesieris*, dicitur Deut. IV, 29 et Act. II, 38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; et alibi passim (2).

ARTICULUS III.

De proprietatibus justificationis

565. Novatores ex principio, quod fides instrumentalis, ut ipsi loquuntur, non sit nisi objectiva et exterior nullamque interiorem relationem producat inter hominem lapsum et Dei misericordiam ejusque promissiones, quas fidelis apprehendit, tria inferunt corollaria, quae constituunt tres proprietates illius justificationis, quam fides operata est. Ac primo quidem hanc justificationem ajunt esse certam certitudine fidei, adeo ut quisque credere teneatur, se Deo esse charum et acceptum per justitiam imputativam Christi vel Dei (3). Secundo inferunt, hanc justificationem aequalem esse in omnibus, cum sit ipsa justitia Christi vel Dei per fidem apprehensa et imputata. Tertio contendunt, hanc justificationem esse inamissibilem, nisi fides ipsa amittatur, juxta lutheranos parum sibi cohaerentes, vel inamissibilem absolute, juxta reformatos seu calvinistas.

566. Quo vero melius cognoscatur nexus harum proprietatum justificationis cum reliquis totius eorum systematis partibus, revocandum in mentem est totum negotium justificationis a Deo solo active peragi in homine, qui passivus est. Eadem porro ratione, qua Deus solus coepit justificationem, injiciendo in hominem fidem, qua apprehenditur misericordia aut justitia Christi imputativa, pergit Deus ipse in homine justificato credere, sperare, etc. quasi principium extrinsecum (4). Cum vero haec justitia Christi apprehensa et imputativa non tollat ab homine nec destruat peccatum originale cum suis manifestationibus seu peccatis actualibus, pergit peccatum originale se manifestare; prout se pariter signis externis manifestat justitia imputativa homini communicata per fidem, spem, dilectionem, opera bona. Hinc duae istae manifestationes simul in uno eodemque homine lapso et justificato consistunt, summa nempe

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 11, n. 4 et seq.

(2) Cfr. Becanus, *Manuale controvers.* I, cap. XVI, quaest. IV.

(3) Ita passim Calvinus, toto cap. 2 libri III, *Instit.* ubi inter cetera § 16, pag. 145, scribit: *In summa, vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium benevolumque Patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui, divinae erga se benevolentiae promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem praesumit.* Et iterum, ibid.: *Fidelis non est, nisi qui, suae salutis securitati innixus, diabolo et morti confidenter insultet.*

(4) Cfr. Moehler, op. cit. tom. I, pag. 171 et seq.

flagitia cum summa sanctitate ; flagitia, quae hominis sunt, nec tamen imputantur ad poenam per fidem, quae permanet; et sanctitas, quae ex fide nascitur in homine justificato. Pronum propterea inde fuit inferre excellentiam, aequalitatem, inamissibilitatem justitiae, quia justitia et sanctitas ipsius Christi est, quae est ratio, ob quam protestantes interdum se comparant non solum cum Sanctis quibuslibet, sed et cum Beata Virgine et Christo ipso (1). Pronum praeterea ipsis fuit inferre, summa flagitia nullo modo officere sanctitati (2), cum non possint officere sanctitati aut justitiae Christi. Inde rursum originem habet illa securitas, illa jucunditas, qua inter fornicationes, adulteria, homicidia, aliaque ejusmodi peccata laetantur protestantes, dummodo firmi in fide persistant juxta Lutherum, vel dummodo sint electi juxta Calvinum.

Ad has igitur perniciosas justificationis proprietates evellendas, quae omnia moralis honestatis principia subruunt has opponimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum

567. Duplex est propositionis pars, quarum prior est *certa* adversus Ambrosium Catharinum docentem, posse quempiam certum esse certitudine fidei *divinae*, non autem *catholicae* (3), se esse justificatum; negat tamen hic auctor ho-

(1) Lutherus, *Serm. de Nativ. B. V. M.:* « Omnes Christiani, *inquit*, aeque magni sumus atque Mater Dei et aeque Sancti ac ipsa ».

(2) Lutherus saepe haec inculcat; nam in lib. *De captivit. Babylon.* tom. II, fol. 284: « Ita vides, *inquit*, quam dives sit homo christianus, etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem ». Ex hoc principio profluit, quod scribebat idem Lutherus, anno 1521, ad Melancthonem : « Si gratiae praedicator es, gratiam non fictam sed veram praedica ; si vera gratia est, verum non fictum peccatum ferto, Deus non facit salvos ficte peccatores.

Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi; peccandum est, quamdiu hic sumus. Vita haec non est habitatio justitiae; sed expectamus, ait Petrus, coelos novos et terram novam, in quibus justitia habitat.

Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum, qui tollit peccata mundi; ab hoc non evellet nos peccatum, etiamsi millies, millies uno die fornicemur aut occidamus. Putas tam parvum esse pretium et redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno » ? Hac ratione quaerebat Lutherus conscientiae suae stimulos angoresque temperare. Diu enim noctuque omnibus indulgebat vitiis. Hinc receptum illud proverbium apud primos protestantes, qui vellent diem flagitiose transigere: *Hodie lutheranice vivamus*. Cfr. Moehler, op. cit. p. 165 et seqq. Attamen hi ipsi audebant non solum se cum Christo in sanctitate comparare, verum etiam se eidem aequare !

(3) Ambrosius Catharinus hoc posuit discrimen inter fidem catholicam et fidem divinam, quod illa proposita sit universae ecclesiae, haec vero non item, cum sit propria cujusque in particulari. Verum in eo deceptus est, quod putarit, posse fidei divinae subesse

minem per ejusmodi fidem justificari, in quo distat ab haeresi novatorum. Posterior pars est dogmatica seu de fide adversus recensitos Lutheri et Calvini errores.

568. Diximus, priorem partem propositionis esse certam, non solum quia communi consensu a theologis traditur, sed praeterea quia aperte declaratur ab ipso concilio Tridentino, sess. VI, cap. IX, his verbis: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum.* Eadem ferme repetit cap. XVI (1).

569. Diximus, alteram partem esse de fide, his siquidem canonibus contrarius novatorum error profligatus fuit ab eadem Synodo, ibid. can. nempe XIII: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit;* et can. XIV: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.*

570. Dum vero excludimus certitudinem fidei sive divinae sive catholicae de adepta justificatione, non removemus tamen eam, quam vocant certitudinem *moralem* vel si accuratius loqui velimus, *conjecturalem;* quae nititur bono conscientiae testimonio, ex quo pax et conscientiae tranquillitas oritur, qua justi passim fruuntur.

571. Sed ut jam accedamus ad assertae propositionis veritatem adstruendam, quoniam posterior ejus pars a priori tamquam a suo principio ac fundamento pendet, utramque propterea simul sequenti argumento perstringimus: Nemo tenetur fide divina credere se esse justificatum, si nemo fide divina absque speciali revelatione certus esse potest se justificatum esse. Jam vero neminem, excepto casu specialis revelationis, certum esse posse de propria justificatione, sic primo ex sacris Litteris ostendimus:

572. Eccles. IX, 1. dicitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Prov. XX, 9. interrogat Sapiens: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Hinc de se aperte profitetur Apostolus, I Cor. IV, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Ergo.

573. Eandem veritatem patres unanimi consensu confirmant, quorum testimonia collegit Bellarminus (2). Nos, ne nimii simus, unum ex his proferimus Augustinum, quem unice aestimare videntur adversarii. Porro ita scribit s. Doctor (ad verba illa Psalmi XLI: *Ad me ipsum anima mea turbata est*): *Novi, quia justitia Dei mei manet; utrum mea maneat, ne-*

falsum, non autem fidei catholicae. Ast quaenam fides divina ejusmodi esset, cui posset falsum subesse? Cfr. quae adversus hanc distinctionem scribit Bellarminus, *De justif.* lib. III, cap. 3, § 11 et seqq.

(1) Cfr. Bellarm. ibid. cap. 4.

(2) Ibid. cap. 7.

scio (1). Et in libro *De perfect. justit.*: *Quantalibet*, inquit, *justitia sit praeditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum* (2). Saepius alibi haec ipsa ingeminat. Talis praeterea est sensus sanctorum omnium; qui, quo ulterius in perfectione ac sanctitate progrediuntur, eo magis timent, ac humiliores ex conscientia propriae imperfectionis fiunt; quod in ipsorum historiis nullibi non est videre.

574. Ratio in promptu est. Etenim nemo fide divina credere potest, multoque minus tenetur, nisi quod a Deo revelatum est; atqui nuspiam revelatum est, talem vel talem in specie prae se tulisse dispositiones necessarias ad justificationem assequendam, vel etiam fuisse assecutum. Ergo. Error autem haereticorum inde oritur, quod perperam doceant, opus justificationis solius Dei esse absque hominis cooperatione; quam doctrinam superius confutavimus. Verum, in hac quoque erronea hypothesi, quis seclusa revelatione, certo nosse poterit, sibi collatam esse fidem instrumentalem ad percipiendam justitiam Christi aut Dei? Nonne et ipsi protestantes requirunt opera ut signa adeptae justificationis? Nihil porro his incertius est; cum saepe aut illusioni homines sint obnoxii aut ex principio naturali operentur. Ergo.

DIFFICULTATES

575. I. Obj. Textus Eccles. non evincit, incertam esse justitiam nostram; 1. si enim ad verbum reddatur, ita se habet. *Et amorem et odium non sciens homo, omnia ante eos* (3). 2. Quae quidem evincunt, hominem agnoscere non posse acceptum se Deo esse ex eventis externis; *eo quod universa aeque eveniant justo et impio*, ut immediate prosequitur Ecclesiastes; 3. alioquin nec peccator certo scire posset, se dignum odio esse. Ergo.

576. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. Resp. textum hebraicum sententiae nostrae non obesse; cum sermo sit de amore et odio coram Deo. Ceterum versio vulgata, quae est s. Hieronymi, ac proinde antiquissima, refert eleganter simul ac fideliter sensum Ecclesiastae (4). Nec pariter 2. obstant verba immediate sequentia; nam, si de notitia loqueretur Salomon quae haberi tantum potest ex eventibus externis, non autem absolute, non adjecisset: *omnia ante eos*, seu *omnia in futurum servantur incerta;* cum hanc cognitionem homo sibi posset comparare etiam in praesentiarum ex internis suis affectionibus, 3. Nec demum officit, quod postremo loco additur, cum de *solis justis* loquatur Ecclesiastes (5).

577. II. Obj. 1. Assertam certitudinem aperte adstruit non uno in loco apostolus Paulus, imo instar principii sumit. Nam, Rom. VIII, 38: *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita ... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro*. 2. Cujus rei rationem tradit, ibid. v. 16. dicens: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;* jam vero testimonium Spiritus Sancti certum est ac

(1) N. 12.

(2) Cap. XV, n. 33.

(3) גַּם־אַהֲבָה גַּם־שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לְפָנֵיהֶם׃

(4) Omnes antiquae versiones, graeca, syriaca, arabica, etc. eumdem sensum referunt, ut videre est in *Bibliis polyglottis Walton.*

(5) Cfr. Bellarm. loc. cit.

infallibile. 3. Quapropter, huic principio innixus, sic, II. Cor. XIII, 5. provocabat fideles : *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis;* 4. ac rursum, I. Cor. II, 12, *Accepimus,* inquit, *Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis*. Quorsum vero haec nisi exploratam habuisset ejusmodi certitudinem ? 5. Fidenter propterea de semetipso, II. Cor. I, 12. affirmat : *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae*. Neque 6. ab apostolo Paulo dissentit s. Joannes, qui I. Epist. V, 13, haec habet : *Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei*. Eadem igitur certitudine cognoscere possumus Christum esse in nobis, ac certi sumus de fide nostra; atqui omnimodam certitudinem fidei nostrae habere possumus. Quare ibid. 19. prosequitur : *Scimus, quoniam ex Deo sumus;* et cap. III, 14 : *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres;* et Apoc. II, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum . . . quod nemo scit, nisi qui accipit*. Ergo.

578. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Certus sum, id est, Dei charitate et beneficiis auctus, ejusque ope innixus, *confido*, nulla sive prospera sive adversa, nullamque creaturam sive in coelis sive in terra, me separaturam a Deo, *C.* certus sum ex assecuta justificatione *N.* Hic sensus prorsus alienus est a mente Apostoli et contrarius omni exegeseos regulae. Hic enim s. Paulus commemoratis tum immensa charitate Dei erga homines, tum beneficiis, quibus a Christo iidem cumulati sunt, divino quodam impetu abreptus, exclamat, se, divina ope fretum, certum seu persuasum habere, nihil esse tam potens, quod valeat ipsum avellere a Dei dilectione; eo ferme sensu, quo jam in ea verba Psalmista proruperat : *Ego dixi in abundantia mea : non movebor in aeternum* (1). Ex quo patet, hic magnificari in Deum fiduciàm in posterum, arguendo ex praeteritis (2). Unde igitur certitudo et securitas protestantium de assecuta justificatione ?

579. Ad 2. *D.* Certum est et infal-

(1) Ps. XXIX, 7.

(2) Cfr. Bernard. a Piconio in hunc loc. Sed juverit hanc interpretationem confirmare auctoritate hominis protestantis et rationalistae. Sic igitur in v. 35 hujus capitis scribit Georg. Rosenmüller : « Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ, potest significare eum amorem, quo Christus nos complectitur, vel etiam amorem eum, quem nos erga Christum habemus. Plurimi interpretes priorem significationem praeferunt; quia de beneficiis Dei in fideles collatis, atque de eorum felicitate fit sermo. Tum sensus igitur erit : Quis nobis possit eripere amorem, quo Christus nos complectitur ? vel privare nos benevolentia et amore Christi ? Quidquid adversi nobis eveniat, nos nihilominus firmiter erimus persuasi, nos a Christo amari. Si ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ est pietas in Christum, tum sensus est : Quis infringat, tollat nostrum amorem in Christum ? Quis nos permoveat, ut deserenda religione rursus excidamus hoc tanto Dei Christique amore ? Haec interpretatio praeferenda esse videtur. Non enim dicit Apostolus : Quis Christum abstrahat ab amore erga nos? Sed : Quis nos abstrahat ab amore erga Christum ? Post tot ac tanta beneficia debemus eum constanter amare ». Demum concludit v. 39. juxta sensum Apostoli : « Nihil igitur in rerum natura δυνήσεται . . . κυρίῳ ἡμῶν, nos poterit abstrahere ab illo amore erga Deum, qui in nobis inest, propter Christum Jesum Dominum nostrum, qui oritur e beneficiis, quae Deus nobis propter et per Christum eiusque doctrinam tribuit ac destinavit ».

libile Spiritus S. testimonium in se, *C.* respectu nostri *N.* Quatenus enim nobis exhibetur, non est nisi conjecturaliter et moraliter certum, eo quod certi non simus, utrum affectus, quos experimur, a Spiritu Sancto procedant, an a malo spiritu transfigurante interdum se in Angelum lucis (1).

580. Ad 3. *D.* Ita ut haec tentatio ac probatio habeat pro objecto fidem miraculorum operatricem, *C.* fidem theologicam, vel *N.* vel *subdist.* charitate formatam, et quidem in coetu ipso fidelium, *C.* solam fidem in singulis fidelibus seorsum sumptis *N.* Ut enim patet ex contextu, Apostolus vult ostendere ex dono miraculorum, quod tunc temporis commune erat in ecclesiis, Christum esse cum illis, quibus praedicaverat; ex quo infert, se verum fuisse Jesu Christi apostolum. Et haec est etiam expositio s. Joannis Chrysostomi (2). Nihil propterea hic locus commune habet cum fide protestantium.

581. Ad 4. *D.* Ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis, id est, beneficia, quae per Christi mysteria toti humano generi totique ecclesiae collata sunt, *C.* quae collata sunt singulis individuis per fidem illam specialem, quam adstruunt adversarii *N.* Hunc sensum pariter series orationis postulat (3).

582. Ad 5. *D.* Quod sincere in ministerio suo se gesserit, *C.* quod certitudinem habeat suae justificationis, de qua hic non loquitur, *N.*

583. Ad 6. *Dist. min.* Omnimodam certitudinem habere possumus fidei nostrae theoreticae seu speculativae, *C.* practicae seu ejus, quae per charitatem vivit et operatur *N.*

584. Reliqua duo testimonia respiciunt universum fidelium coetum, non autem singula individua, nec sine dilectionis apposita conditione.

585. Textus denique Apocalypseos est de interna quadam animi suavitate, de qua supra in resp. ad 2.

586. III. Obj. Patres tam Graeci quam Latini in eo conveniunt, quod affirment 1. animam certam esse de dimissis sibi peccatis, ut s. Basilius et s. Gregorius Nazianz.; 2. testimonium Spiritus Sancti omnem tollere a nobis ambiguitatem, an simus filii Dei, ut s. Joan. Chrysostomus et s. Cyrillus Alex.; 3. nullum in nobis locum esse anxietatibus et sollicitudinibus, ut s. Cyprianus et s. Hilarius; 4. certum esse, qui Christo adhaeret et spiritualis est, de sua salute, ut s. Ambrosius et s. Hieronymus (4). 5. Adhortantur nos, ut Deo gratias agamus ob acceptam justificationem, ut s. Augustinus passim, qui praeterea docet, nos non dicere: *Dimitte nobis peccata nostra, quae remissa credimus in baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus* (5). Quibus verbis et illud insinuat

(1) Idem auctor ita refert sensum Apostoli, ad hunc v. 16: « Ipse ille sensus et animus animum nostrum convincit nos esse Dei filios. Αὐτὸ τὸ πνεῦμα scilicet υἱοθεσίας, animus ille et sentiendi agendique ratio liberalior, qua non amplius timore servili regimur, sed ex amore Dei et plena fiducia recte agimus, nobis est quasi testimonii loco, nos esse filios Dei ». Qua posita interpretatione, concidit omnis difficultas.

(2) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc.

(3) Cfr. pro his etiam textibus hic ipse expositor in appositis locis.

(4) S. Ambros. *Sacrament.* lib. v, cap. 2; et *Serm.* v; s. Hieronym. *Comment.* in cap. vi Ep. ad Galat.

(5) *Tract. in Ps.* LXXXVIII; tum *Serm.* XXVIII, *de Verbis Domini*; *Tract.* XXII *in Joan.* etc. Haec porro tum s. Augustini tum ceterorum patrum testimonia cfr. apud Bellarm. *De justif.* lib. III, cap. 10.

s. Doctor, nos certitudinem adipisci de nostra justificatione ex efficacia sacramentorum, quae sunt totidem ejusdem pignora et sigilla. 6. Demum ratio id ipsum suadet; alioquin in perpetua fluctuatione et anxietate versari deberemus, cum tamen dicat Apostolus: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum* (1). Ergo.

587. Resp. *Neg.* Cum nemo sit inter patres adductos qui loquatur de certitudine fidei, quam adstruunt novatores et Catharinus cum illis, sed de certitudine tantum conjecturali aut morali disserunt, qualis ex testimonio propriae conscientiae haberi potest aut ex virtute spei christianae, quae certum ac immobile habet fundamentum in Dei promissis, dummodo nihil desit ex parte nostra. Itaque singillatim:

588. Resp. ad 1. *D.* Ex parte Dei, *C.* ex parte nostra, *subdist.* est anima certa certitudine conjecturali ac morali, *C.* certitudine fidei *N.* De hac enim nec verbum habent; sed de ea, quae oritur ex affectu in Deum et ex odio peccati, nempe supposita conditione ex parte nostra hi patres loquuntur.

589. Ad 2. *D.* Generatim, *C.* in particulari, *subdist.* adimpleta conditione, quam requirunt ac supponunt, *C.* absolute *N.*

590. Ad 3. *D.* Quae se teneat ex parte divinarum promissionum, *C.* quae se teneat ex parte nostra *subdist.* Ex quadam certitudine experimentali et conjecturali, *C.* omnimoda et absoluta *N.* Vult enim s. Cyprianus pares atque idoneos reddere fideles ad fortiter quaevis pro Deo superanda atque ad contemnendum nimium mortis metum. S. Hilarius loquitur de fide in resurrectione corporum, quae utique certa esse debet.

591. Ad 4. *D.* Si certi sint certitudine fidei, se vera charitate Christo adhaerescere ac spirituales esse, *C.* secus *N.* Ut per se constat.

592. Ad 5. *D.* Quam, adhibita morali diligentia in dispositionibus necessario afferendis, confidimus nos esse assecutos, *C.* quam certitudine fidei novimus obtinuisse *N.* Etenim s. Augustinus alloquitur loc. cit. neophytos; et ex praesumptione, ut vocant, quod ii omnes necessarias attulerint dispositiones ad baptismum cum fructu suscipiendum, certiores eos facit de obtenta justificatione. Prout et nos praestamus quoad poenitentes, quos apte dispositos judicamus, cum ad poenitentiae sacramentum accedunt. Hinc sacramenta nos etiam efficacia per se esse credimus; ita ut gratiam ex *opere operato* producant; attamen, si sermo sit de adultis, in rite tantum dispositis ea gratiam conferre dicimus (2).

593. Ad 6. *N.* Ad hoc enim, ut optatam pacem habeamus, satis est, ut bono conscientiae utamur testimonio, quod ex recte factis exurgit, juxta illud 1. Joan. III, 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Quaevis alia pax quaeratur, falsa erit ac perniciosa. Nunc addo, longe melius conscientiae securitati ac tranquillitati prospicere doctrinam catholicam, quam systema lutheranorum aut calvinistarum. Cum enim in systemate lutheranorum fides imminui ac amitti possit, hoc ipso statim fidelis laceratur atrocibus conscientiae morsibus; in hypothesi autem calvinistarum, cum

(1) Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν. Ad Rom. v, 1.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit., ubi singulorum patrum testimonia accurate discutit.

fides propria tantum electorum sit, illico homines dubitationum fluctibus agitantur, cum quispiam jure anceps esse debeat, utrum ipse in electorum numero sit, an in censu reproborum (1). Quare vel ipsi reformationis auctores seu *emendatores Sacrorum*, ut vocant, teterrimis angustiis vexati fuere (2), etsi mendacem jucunditatem ceteris polliciti sint.

PROPOSITIO II.

Accepta justitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera, non est propterea in omnibus aequalis

594. Hoc est de fide, ut constat ex can. XXIV, conc. Trid. *De justific.* his

(1) Calvinus, qui *Instit.* lib. III, § 16, pronunciaverat iterum atque iterum, non esse fidelem eum, qui non sit persuasus Deum sibi propitium, eum qui securitati salutis suae non sit innixus, § 17, turpiter sibi contradicit. Sic enim sibi proponit objectionem: « Atqui (dicet quispiam) longe aliud experiuntur fideles, qui, in recognoscenda erga se Dei gratia, non modo inquietudine tentantur (quod saepe illis contingit), sed gravissimis etiam terroribus quatefiunt, tanta est ad deturbandas eorum mentes tentationum vehementia ». Respondet autem: « Nos certe, dum fidem docemus esse debere certam ac securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quae nulla tangatur dubitatione, nec securitatem, quae nulla sollicitudine impetatur; quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia ». Hoc vero prosequitur in toto capite; ac modo certitudinem, modo fluctuationem commemorat. Id est, fluctuat ipsemet inter haereticum dogma suum et dictamen practicum conscientiae, quod idem dogma evertit.

(2) Quid in se expertus sit Calvinus, vel ex ipsis, quae modo attulimus, verbis satis constat. Quid in se senserit Lutherus, inter alia ostendunt, quae in suis *Colloquiis familiaribus* ipse scribit. Ex quibus aliqua hic subjicimus juxta versionem gallicam op. cit. cl. Moehler: « J'ai tout cru, *inquit*, sur la foi du Pape et des moines; mais à présent ce que dit Jésus-Christ, qui certes ne ment point, je ne le crois, je ne puis le croire assez fermement. C'est là une chose fâcheuse; n'en parlons plus jusqu'à l'autre vie . . . l'esprit est prompt et la chair est faible, dit J.-C. en parlant de lui-même. S. Paul dit aussi: l'esprit voudrait se donner entièrement à Dieu, aller à lui dans la foi et l'obéissance; mais la raison, la chair et les sens résistent; ils ne veulent, ni ne peuvent obéir. Aussi Dieu, notre-seigneur, a-t-il patience avec nous, il n'éteint pas la mêche encore fumante; car les fidèles ont seulement les prémices de l'esprit, mais non la dîme et la perfection. — Comme quelqu'un demandait pourquoi Dieu ne nous donne pas une connaissance parfaite? Le docteur Martin Luther rèpondit: Si un mortel pouvait croire véritablement, il ne pourrait de joie ni boire, ni manger, ni faire quoique ce soit. — Un jour on chantait à la table du Dr. Martin Luther ces paroles du prophète Osée: Haec dicit Dominus. Alors le docteur Luther dit au docteur Jonas: Aussi peu que vous croyez que ce chant soit beau, aussi peu je crois assez fermement que la théologie soit vraie. J'aime tendrement ma femme, je l'aime plus que moi-même; oui, n'en doutez pas, je mourrais volontiers pour elle, et pour ma pauvre petite enfant. J'aime tendrement Jésus Christ qui, par son sang, m'a délivré de la puissance et de la tyrannie du démon; mais ma foi devrait être beaucoup plus grande et beaucoup plus vive. Ah! Seigneur, n'entrez pas en jugement avec votre serviteur », etc. (*Simbol.* tom. I, pag. 172 et suiv.) Talis erat securitas et tranquillitas, qua isti fruebantur!

verbis concepto : *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera ; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendi causam ; anathema sit.*

595. Permisceri nequit novatorum error, quem impugnamus, cum errore Joviniani contendentis, virtutes omnes pares esse perinde ac vitia, juxta Stoicorum placita (1). Novatores enim nec pares virtutes faciunt, nec paria vitia ; imo sentiunt, quempiam posse majori aut minori virtute pollere aut vitiis plus minusve sordescere. In eo igitur versatur haeretica novatorum, quam impugnamus, doctrina, quod ipsi asserant, justitiam formalem qua justificamur, esse ipsam justitiam Christi nobis extrinsece imputatam. Cum igitur haec justitia Christi sit prorsus immutabilis, incrementi ullius aut decrementi incapax, fit ut eadem in omnibus prorsus aequali ratione seu mensura inveniatur. Praeterea, cum doceant, nullas dispositiones ad eam apprehendendam, praeter fidem, requiri, consequitur, bona opera, quae inter dispositiones a nobis recensentur, nullam vim in justificationem exercere, sive ut illam adipiscamur, sive ut illam jam adeptam conservemus aut augeamus. Demum, cum in hoc systemate bona opera non sint nisi signa et fructus adeptae justificationis, nec quidpiam conferant ad salutem, opera vero mala propter fidem non imputentur ad poenam, inferunt, haec saluti minime nocere. Atque haec animadvertenda hic erant, tum ad intelligentiam canonis Tridentini, tum ad certiorem systematis novatorum cognitionem. Perspicue enim ex dictis colligitur, hunc errorem esse merum corollarium constituti principii de justitia externa imputativa, adeoque praeoccupatum ac eversum esse in propositione, qua ostendimus, justitiam seu gratiam sanctificantem, per quam formaliter justificamur, internam esse seu nobis inhaerentem. Ea proinde, quae hic adducemus, dum directe probant veritatem assertae propositionis, indirecte confirmant magis ac magis principium catholicum de causa formali justificationis.

596. Sic igitur breviter evincimus, quod proposuimus : sacrae Litterae 1. exhibent nobis justos proficientes in sanctitate. Etenim, Prov. IV, 18, legitur : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem*. II. Corinth. IX, 10 : Deus *augebit*, inquit Paulus, *incrementa frugum justitiae vestrae*. Demum, Apocal. XXII, 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc*. Ergo, si justorum sanctitas et justitia augetur et crescit ita, ut justi in adepta justitia ulterius semper progredi possint, evidens est, eam non esse in omnibus aequalem. 2. Huc pariter referuntur, quae de charitate eaedem sacrae Litterae testantur. Charitas siquidem aut identificatur cum justitia, aut saltem ab ea inseparabilis est ; porro Scripturae constanter docent, charitatem in diverso gradu in hominibus justis reperiri. Sic Joan. XXI, 15, Christus Petrum interrogat : *Diligis me plus his?* Ac rursum, ibid. XV, 13, dicitur : *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ;* et I. Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem ;* et alibi passim (2).

597. Huc accedunt omnia illa Scripturarum loca, quae ostendunt, varie-

(1) Cfr. S. Hieronym. *Cont. Jovin.* lib. II.

(2) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. III, cap. 15.

tatem dari praemiorum et coronarum; quae quidem praemiorum diversa distributio varium meritorum gradum supponit, ideoque inaequalitatem justitiae; haec autem suo loco adduximus (1).

598. Nec alia est sanctorum patrum doctrina. Ceteris omissis, s. Augustinus, *Serm. de Verbis Apostoli, XVI*, n. 5: *Justificati*, inquit, *sumus; sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit.* Et, *Epist. CLXVII*, n. 15, ad Hieronymum: *Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus* (2). Demum *Tract. VI, in Joan.* n. 8: *Ipsi*, scribit, *Sancti in Ecclesia . . . sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.*

599. His postremis Augustini verbis congruit ratio theologica, quam adducit s. Thomas, scribens: *Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum* (3).

Difficultates, quae hic urgeri possent, jam praeoccupatae sunt in propositione, qua adstruximus, causam formalem justificationis esse nobis intrinsecam et inhaerentem.

PROPOSITIO III.

Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale

600. Et haec propositio de fide est. Dogma enim hoc catholicum sanxit eadem Tridentina synodus, sess. VI, can. XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum . . . anathema sit.*

601. Ferit hic canon peculiarem errorem calvinistarum, qui, cum statuerint, impios justificari per solam fidem, quae tamquam causa instrumentalis apprehendit Christi justitiam absque ulla praecedenti dispositione, intulerunt, nullo peccato posse eandem justitiam amitti. Peccata enim, quae justificationem subsequuntur, in istorum hypothesi non amplius ad poenam imputantur; hinc semel justus, quamvis enormia quaeque scelera patret, non ideo tamen macula aliqua se inquinat. Hoc tamen privilegium non est proprium nisi electorum, qui soli justi esse possunt (4).

(1) Tract. *De Deo Creat.* n. 620 et seqq.

(2) Cfr. in eandem epist. n. 15.

(3) 1. 2, q. 112, a. 4.

(4) Nam juxta Calvinum soli electi gratiae divinae fiunt compotes, et vere credunt, Deumque soli timent. Hinc isti perire nequeunt, nec a fide deficere. Sic enim inter cetera scribit, *Instit.* lib. III, cap. 24, § 6: « Quos nominis sui cognitione illuminatos in Ecclesiae suae sinum Christus asciscit, eos dicitur in fidem tutelamque suam recipere. Quoscumque autem recipit, ei a Patre commissi esse dicuntur ac concrediti, ut in vitam aeternam custodiantur. Quid nobis volumus? Clamat alta voce Christus, quotquot Pater salvos esse velit, eos sibi in protectionem tradidisse ». Et § 7: « Nec inficior, quin *(reprobi)* habeant vocationis similia cum electis signa, sed illud certum electionis stabilimentum, quod fideles a verbo Evangelii petere jubeo, illis minime concedo ». Quod et prosequitur § 8, ubi addit: « Hoc membrum, fateor, intelligendum de iis, qui fidei professione in Ecclesiam ingrediuntur, sed Christi sanctificatione nequaquam induti. Talia Ecclesiae suae dehonestamenta et velut καρκινώματα non sustinebit perpetuo Deus; sed prout meretur eorum turpitudo, extra projiciet.

Dixi, esse *peculiarem errorem calvinistarum*; nam lutherani, ut alias animadvertimus parum sibi constiterunt, cum ex una parte statuerent, fidem justificantem independentem esse a dispositionibus impii, ac proinde a solo Deo sine humana cooperatione produci seu in hominem immitti; ex altera vero docerent, fidem amitti posse per infidelitatem, qua amissa, ipsa amittitur justificatio, et his fere ex improviso statim peccata denuo imputari ad poenam (1), ac propterea subjici aeternae damnationi, nisi iterum per fidem justitiam amissam apprehendant (2). Quare lutherani dimidiato impeccabilitatis seu potius immunitatis privilegio fruuntur.

602. Absurdam porro ac impiam hanc novatorum theoriam plane evellunt sacrae Litterae. Hae siquidem perpetuo admonent justos, ne a justitia excidant; declarant, illico reos se constituere eos omnes, qui post adeptam justitiam novo se polluunt peccato; ac demum plures justos exhibent sive reprobos sive praedestinatos gravissimis sceleribus coinquinatos ac Dei inimicos effectos.

603. Primum patet ex Christi verbis, Matth. XXVI, 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*; ex verbis item Apostoli, I. Cor. X, 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; et Rom. XI, 20: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time*; et alibi passim.

604. Alterum habetur apud Exech. XXXIII, 12: *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit*; et v. 13: *Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, et, confisus in justitia sua, fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur*.

605. Tertium denique constat ex Angelis malis, Adam, Saule, Davide, Salomone, Petro, Juda aliisque, qui omnes, cum prius essent justi, graviter deliquerunt, Scriptura teste; quorum alii in peccatis mortui sunt, alii autem jugibus lacrymis suas culpas eluerunt (3).

606. Ex patribus unum afferimus Augustinum, qui veritatem catholicam, quam adstruimus, ad instar principii ab omnibus admissi supponit; ut cum, lib. *De corrept. et gratia*, totus in eo est, ut evincat hominem, *si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio* (4); et alibi saepe. Confirmatur vero ex ss. Cypriano, Ambrosio, Paciano, Augustino ceterisque omnibus, qui operam navarunt in defendenda catholica doctrina, circa facultatem ecclesiae a Christo datam remittendi quaevis peccata post baptismum patrata, adversus montanistas et novatianos. Perperam siquidem propugnasset adversus ejusmodi sectarios illam facultatem, si in ecclesia tunc temporis obtinuisset error, quem impugnamus, de inamissibilitate justificationis.

(1) Cfr. Moehler, *Symbolique*, § 20.

(2) Lutherus propterea, *Disput.* tom. I, pag. 523, aiebat: « Si in fide fieri posset adulterium, peccatum non esset ». Melanethon, eidem principio innixus, docebat, *Loc. Theol.* pag. 92, nihil homini fideli nocere posse, dummodo firmas teneat promissiones, quas fide apprehendit: « Qualiacumque sint opera, comedere, bibere, laborare manu, docere, addo etiam, ut sint palam peccata », etc. Attamen his ducibus tot miseri homines negotium omnium maximum, cujusmodi est aeterna salus, commiserunt!

(3) Cfr. Bellarm. *De justific.* lib. III, cap. 14.

(4) Cfr. praesertim cap. VI et seqq.

607. Denique veritas doctrinae catholicae evincitur ex absurdis, quae ex adversariorum hypothesi profluunt, quaeque expendit Grotius in *Discussione apologiae Riveti : Christiani pectoris*, inquit, *est horrescere ea dogmata, quae pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum : Pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra. Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari, quasi ipse eam praestitisset; certo se esse perseveraturum; certe et absolute salutem sibi destinatam; peccata fidelium, utut magna et gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Jesum Christum; posse eos cadere in crimen majestatis, in homicidium, adulterium, etc. et nihilominus eos pro certo habere, se numquam totaliter ac finaliter excidere posse ex paterna Dei charitate erga se* (1). Hanc eandem pseudo-reformatorum doctrinam non minus valide alii non pauci ex ipsis sectariis aggressi sunt (2). Ta-

(1) Pag. 217. Huc etiam spectant quae scribit Leibnitzius in *System. Theologico*, pag. 48 : « Non tamen putandum est, divinam salvandi homines voluntatem et meritum Christi, vel saltem efficacem gratiam pertinere ad solos electos, quibus scilicet summa illa datur gratia finalis beatae perseverationis. Nam Christus quidem pro omnibus mortuus est; efficax autem gratia et vera conversio ac regeneratio per Spiritum Dei, qua in filiorum numerum recipimur, multis concedi potest, qui non sunt perseveraturi; nec video, quid viros quosdam doctos ad grandia illa paradoxa defendenda impulerit, a quorum interiore sensu et consequentiis ipsi abhorrebant, ut scilicet, Deo leges praefigentes et divinae gratiae aeconomiam pro arbitrio circumscribentes, putarent, eum, qui perseveraturus non est, gratiam et Spiritum Sanctum revera non accipere, quidquid agat aut utcumque pius ac bene animatus sibi aliisque videatur; contra vero qui electus et finalem poenitentiam vere acturus est, eum acceptam a Deo gratiam et Spiritus Sancti inhabitationem non amittere, utcumque inter adulteria et homicidia vitam agat. Quae quidem dogmata nova et offensionis plena, etiamsi excusari possent, non video tamen quo fundamento nitantur, aut quem usum habeant ad aedificationem. Si quae enim alicubi locutiones occurrunt, quae sententiae tam crudae favere videntur, praestat eas aliarum multo plurium comparatione mollire, quam rigorosa interpretatione exasperare, et Deo dignius videtur gratiam dare temporalem et revocabilem, sed conspicuam, quam perpetuam et inamissibilem, sed plane obrutam et cum pessimo animae habitu summisque sceleribus consistentem ». Sed hi auctores non animadverterunt, doctrinam hanc, quam ipsi maxime execrantur, necessario fluere ex principio fundamentali ipsius doctrinae reformatorum circa justificationem extrinsecam et objectivam.

(2) Anabaptistae vehementer insurrexerunt adversus doctrinam lutheranam de justificatione. Eam pariter respuerunt quakeri, methodistae, etc. Rationalistae vero per quamdam, ut ita loquar, reactionem adversus doctrinam primitivam protestantium in oppositum errorem delapsi sunt. Rejecta siquidem omnis fidei et gratiae necessitate totum salutis aeternae negotium a *solis operibus honeste factis*, id est sine fine et sine gratia unice repetunt. Sic enim scribit Wegscheider, § 155 : « Prodiit *(dogma de justificatione)* e notionibus aevi incultioris anthropopathicis, et e studio impugnandi atque refutandi opiniones certas, quae antiquandae videbantur. Quamobrem nonnulla continet, quae tempori quidem, quo primum exortum, et illi, quo a Sacrorum emendatoribus contra Pontificiorum decreta denuo defensum atque sancitum est, bene accommodata sunt, minime vero cum purioribus Evangelii praeceptis », etc. Schwedenborg in op. *Les merveilles du ciel et de l' enfer*, trad. du

lia profecto neque Christus, neque apostoli docuerunt.

DIFFICULTATES

608. I. Obj. Scriptura passim testatur, charitatem seu gratiam sanctificantem inextinguibilem esse, insuperabilem ac numquam amittendam, ideoque nec fidem; cum sine fide charitas esse non possit. Sic Cant. VIII, 7: *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam*. Et Christus, Joan. IV, 13: *Qui biberit*, inquit, *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed . . . fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* (1). Quare Apostolus, Rom. VIII, 38: *Certus sum*, scribit, *quia neque mors, neque vita . . . poterit nos separare a charitate Dei*; et, I. Cor. XIII, 8: *Charitas numquam excidit*. Ergo.

609. Resp. *D. A. In se*, *C.* in nobis, *subdist.* Nisi velimus, *C.* secus *N.* Et hinc sensus patet eorum testimoniorum, quae adducta sunt. Alioquin non diceretur in Apocal. II, 4: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris*; et, Gal. V, 4: *A gratia excidistis*. Itaque, manente charitate, nec aquae tribulationum nec adversa quaeque poterunt obesse; manente charitate, non sitiet, qui ea est instructus, cum habeat in se fontem aquae vivae; manente charitate, nihil nos poterit a charitate Dei separare, charitas ex se numquam excidet; at nos possumus a charitate excidere eamque amittere (2).

610. II. Obj. Saltem electi non poterunt a charitate excidere. 1. Dicente Apostolo, Rom. VIII, 30: *Quos justificavit, hos et glorificavit*; 2. et David, Ps. XXXVI, 24. de justo electo pariter affirmante: *Cum ceciderit, non collidetur*. 3. Hinc I. Joan. III, 9. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quia ex Deo natus est*. Quod confirmatur, cap. V, 18: *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum*. 4. De reprobis propterea disserens idem Apostolus, ibid. II, 19. scribit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum*. Ergo qui peccant, reprobi fuerunt, nec unquam proinde justificati.

611. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Id est, *Magnificavit*, seu gloriosos effecit in hac vita, *C. glorificavit* in altera vita, *subdist.* ex praevisa perseverantia usque in finem, *C.* absolute in sensu novatorum *N.* Duplex est patrum expositio in hunc locum; nam patres Graeci nonnullique ex Latinis eum intelligunt de glorificatione in hac vita per adoptionem vocatorum in filios Dei, et per cetera dona quibus ipse nos cumulat, prout innuit graeca vox ἐδόξασε, *celebres, magnos et gloriosos* effecit, seu ut vertit s. Ambrosius, *magnificavit*; quo sensu admisso, nulla jam remanet difficultas. Plerique tamen patres Latini post s. Augustinum intelligunt hunc Apostoli locum de praedestinatione ad gloriam in altera vita; et juxta hanc in-

latin, Berlin, 1782, hac de causa exhibet Lutherum et Melanchthonem in inferorum carcerem detrusos; et pag. 481 introducit Lutherum ita loquentem: « Quapropter non miror quod ego erraverim, sed miror quod unus deliraus tot deliros potuerit producere ».

(1) In graeco textu, v. 14.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 15.

terpretationem reponimus, quod Deus illos *glorificavit*, vel supposita praescientia perseverantiae finalis in ea gratia, a qua vocati potuerunt excidere, vel supposita praescientia resipiscentiae a lapsu a quo infallibiliter revocandi sunt electi ex divina misericordia (1); ac iterum cessat difficultas.

612. Ad 2. *Neg.* Ibi enim sermo est de tribulationibus justorum, quibus licet in hac vita ipsi vexentur, non tamen colliduntur, quia *Deus supponit manum suam* (2).

613. Ad 3. *D.* Qui natus est ex Deo, non peccat, quamdiu semen ac generatio Dei in ipso manet, *C.* si ejusmodi Dei semen ac generationem per peccatum justus abjiciat *N.* Alioquin non scripsisset Joannes, III, 7. in hac ipsa Epistola: *Filioli, nemo vos seducat;* et: *Haec scribo vobis, ut non peccetis.* Hinc apposite Hieronymus, lib. II. *Adversus Jovinianum*, eodem errore infectum, interrogat: *Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, nec a diabolo tentari potest, quomodo praecipit, ut caveant, ne tententur* (3)? Et s. Augustinus, *In Epist. I. Joannis*, de justo ait: *In quantum in ipso* (Christo) *manet, in tantum non peccat* (4). Itaque tum haec tum alia ejusmodi testimonia in sensu, ut vocant, reduplicativo accipienda sunt, minime vero absoluto (5).

614. Ad 4. *D. Non erant ex nobis* secundum aeternam praedestinationem, *C.* non erant ex nobis secundum temporalem sanctificationem *N.* Ita s. Augustinus qui in lib. *De Dono persev.* haec habet. *Quid est, quaeso, non erant ex nobis? Nonne utrique a Deo vocati fuerant et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset et dicere: vera sunt haec, secundum haec omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis* (6).

615. III. Obj. Patres docent, nec reprobos unquam justificatos fuisse, nec justos unquam excidere a justitia. 1. Nam s. Gregorius M. *Moral.* lib. XXXIV, cap. XV. scribit, quod reprobi *ante oculos Dei numquam veram sanctitatem habuerunt;* 2. et s. Leo M. b. Petrum alloquens: *Vidit* inquit, *in te Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam* (7). 3. In quem sensum pariter de eodem apostolo s. Bernardus, *De Amore Dei*, lib. II, cap. VI, scripsit: *Petrus cum peccavit, charitatem non amisit... sic et David cum peccavit, charitatem non perdidit.* Quod et ratio ipsa suadet; 4. etenim si electi aliquando a justitia excciderent, essent objectum odii simul et amoris Dei; quod repugnat. Ergo.

616. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.*

(1) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc.

(2) Cfr. Lorin. in hunc loc. imo ipse Rosenmüller.

(3) N. 2.

(4) Tract. IV, n. 8.

(5) Placet hanc responsionem confirmare etiam auctoritate s. Hieronymi, qui loc. cit. ita exponit sensum verborum s. Joannis, quae nobis nunc objiciuntur a novatoribus recentioribus, et olim objiciebantur a Joviniano; « Propterea, *inquit*, scribo vobis, filioli mei: Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, ut non peccetis, et tamdiu sciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis. Immo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt ». Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 15.

(6) Cap. IX, n. 21.

(7) *Serm.* XL, ac *De Passione*, IX, edit. Ballerin.

Reprobi, id est, falsi justi, de quibus hic loquitur s. Gregorius, *C.* reprobi simpliciter *N.* Subdit enim: *Saepe namque homo multis occulte peccatis involvitur, et in una aliqua virtute magnus videtur* (1).

617. Ad 2. *D.* Quatenus s. Petrus directe non peccaverit contra fidem aut contra charitatem, *C.* quatenus indirecte saltem non peccaverit contra has virtutes ex timore hominum *N.* Talem esse mentem s. Leonis in adductis verbis constat ex ejus scopo atque ex toto contextu (2).

618. Ad 3. *N.* Siquidem hoc opus, quod jam s. Bernardi nomine circumferebatur, suppositilium esse critici norunt (3). Auctor autem hujus operis loc. cit. eodem sensu exponi debet ac s. Leo.

619. Ad 4. *D.* Essent electi illi, qui a justitia exciderunt, objectum odii et amoris Dei sub diverso respectu, *C.* sub eodem respectu *N.* Etenim electi, prout actu peccatores existunt, Deo odibiles sunt, juxta illud Sap. XIV, 9: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus;* prout vero sunt electi, diliguntur a Deo in ordine ad collationem illius gratiae, quam Deus constituit illis dare, ut a statu peccati aliquando revocentur, et in adipiscenda per eam gratiam justitia usque in finem perseverent.

(1) Ibid. n. 29, ubi prosequitur: « Quae ipsa quoque virtus inanescens deficit; quia, dum innotescit hominibus, proculdubio laudatur, ejusque laus inhianter appetitur. Unde fit, ut et ipsa virtus ante oculos Dei virtus non sit, dum abscondit quod displicet, prodit quod placet ». Ceterum hic s. Doctor nec verbum habet de reprobis.

(2) Nam evidenter s. Leo supponit Petri lapsum; immediate enim ante objecta verba ait: « Felices, sancte Apostole, lacrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis; affuit enim dextera Domini Jesu Christi, quae labentem te, priusquam dejicereris, exciperet ».

(3) Cfr. opp. s. Bernardi, edit. Mabillonii, vol. II, p. 244 et seq. Ostendit Cl. editor, hunc librum seu tractatum *De Natura et dignitate amoris* fuisse conscriptum a Guillelmo Abbate. Ceterum hic auctor eodem sensu locutus est ac s. Leo.

PARS TERTIA

DE MERITO

620. Justus, per interiórem gratiam habitualem sibi inhaerentem sanctificatus, non solum fit haeres vitae aeternae, cujus et jus et pignus in se certissimum habet, sed in Christo Jesu *complantatus*, ut loquitur Apostolus (1), atque, ut ita dicam, inoculatus, fructificat Deo per opera sancta, quae sunt fructus Spiritus. Hos fructus enumerat Apostolus, dicens: *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (2). Est enim gratia sanctificans velut semen ac germen vitae aeternae, quod evolvitur in corde justi, et erumpit in sanctas operationes, quibus et crescit in adepta sanctificatione, et justitiae coronam sibi promissam magis ac magis perficit, et novis ornamentis cumulat ac pretiosiorem reddit. In his porro actibus in justitia factis meriti ratio consistit, quod incipit a gratuita collatione gratiae tum actualis tum sanctificantis per Christi merita, ac desinit in vitam aeternam, mediante fideli cooperatione ulterioribus gratiis, quas justus in tali statu acquirit. Et haec quidem in doctrina catholica.

621. Contra vero in novatorum systemate res accidit. Cum enim in istorum hypothesi justitia Christi per fidem apprehensa tota exterior sit ac imputata, nec intimos cordis recessus penetret, hinc nec justum sanctificat ipsum transferendo ex statu peccati in statum sanctitatis, sed eum relinquit interius in suis sordibus, quae solum ad poenam modo forensi non imputantur. Inde fit, ut peccatum originale velut substantia quaedam jugiter in justo permaneat, quod eum inficit una cum suis operationibus. Quemadmodum vero peccatum hoc originale se manifestabat in homine ante justificationem per peccata actualia, sic pergit se manifestare per eadem peccata post justificationem. Manifestat autem se tum in operationibus perversis, tum in motibus concupiscentiae, quae totidem peccata sunt in horum sententia, tum denique in operationibus bonis, quas coinquinat. Nam, licet

(1) Rom. VI, 5.

(2) Galat. V, 22 et 23.

opera bona efficiantur virtute gratiae et Spiritus Sancti, qui, gratia necessitatem inferente, justos impellit ad eas eliciendas, cum tamen prodeant ab homine peccato infecto atque, ut ita dicam, a substantia mala, consequitur, eadem opera pariter mala fieri et *peccaminosa* (1). Evidens porro est in hoc systemate, 1. nullum dari opus meritorium vitae aeternae ejusque augmenti per augmentum gratiae sanctificantis, quam numquam justus intus adipiscitur. 2. Evidens pariter est, opera bona nihil conferre ad vitam aeternam, ac propterea sub hoc respectu fieri inutilia (2). Dixi *sub hoc respectu;* nam novatores ea saltem admittunt veluti signa fidei ac justitiae justis aut electis imputatae. 3. Evidens est, impossibilem fieri etiam justis observantiam divinorum mandatorum; quia, cum semper in ipsis permaneat peccatum originale, se jugiter manifestans in actualibus peccatis et in concupiscentiae motibus licet indeliberatis, ac necessario impellens in nova semper peccata, fit ut justus nequeat se abstinere a peccatis, nec proinde possit mandata servare (3). 4. Exinde ortus

(1) Ita Lutherus, *Assert. omn. artic.* opp. tom. II, fol. 335, *b*: « Opus bonum optime factum est veniale peccatum. Hic *(articulus)* manifeste sequitur ex priori, nisi quod addendum sit, quod alibi copiose dixi: hoc veniale peccatum non natura sua, sed misericordia Dei tale esse . . . Omne opus justi damnabile est et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur ». Cfr. *Antilatom.* (Confutatio Luth. rationum Latomi, Doctoris Lovan.) loc. cit. fol. 406, *b*, 407 et seq.

Nec aliter loquitur Melanchthon, *Loc. Theol.* pag. 168: « Quae vero, *inquit*, opera justificationem consequuntur, ea, tametsi a Spiritu Dei, qui occupavit corda justificatorum, proficiscuntur, tamen, quia fiunt in carne adhuc impura, sunt et ipsa immunda »; et pag. 158: « Nos docuimus justificari sola fide . . . opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse ».

(2) *Solid. Declar.* IV, § 15, pag. 672, dicitur: « Interim tamen diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera articulo justificationis et salutis nostrae immisceantur. Propterea hae propositiones rejiciuntur: bona opera piorum esse necessaria ad salutem », etc. Imo eo progressi interdum sunt novatores, ut bona opera declaraverint perniciosa et saluti contraria. Nam Amsdorf, Lutheri amicus, opus edidit, cui titulum praefixit: *Niklas von Amsdorf.* « Quod propositio: Bona opera noxia sunt saluti » est propositio justa, vera, christiana, praedicata a s. Paulo et s. Luthero », anno 1559. Sane Lutherus hanc thesim proposuit: « Fides nisi sine ullis, etiam minimis operibus, non justificat, imo non est fides » (opp. tom. I, pag. 523). Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. I, pag. 222 et seq. In colloquio Altemburgensi rigidi quidam lutherani dixerunt: « Opera bona et novam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere . . . Ad Satanam spectare christianos cum operibus bonis . . . Adeo non esse necessaria opera bona, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa . . . . . Precari oportere, ut in fide sine omnibus operibus usque in finem perseveremus ». Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. IV, cap. 1. Tales fuerunt *Sacrorum emendatores*, queis curae erat propria vivendi ratione has theorias confirmare!

(3) Melancth. *Loc. theol.* pag. 127: « Maledixit lex eos, qui non universam legem semel absolverint. At universa lex nonne summum amorem erga Deum, vehementissimum metum Dei exigit? A quibus cum tota natura sit alienissima, ut maxime pulcherrimum pharisaeismum praestes, maledictionis tamen rei sumus ». Sic ceteri primi novatores passim. Quare, cum catholici Luthero objicerent, si mandata sunt impossibilia, cur Deus ea hominibus servare praecepit? Ipse ab hac difficul-

est ille horror, quem vel in ipsum *meriti* nomen novatores professi sunt; cum in horum doctrina nullum aliud meritum detur nisi meritum Christi Jesu. Alia vero merita admittere, juxta ipsos non sapit nisi superbiam et jactantiam, quae adversantur humilitati christianae; nihil aliud est quam evacuare crucem Christi. Quare ipsi sese conspiciunt ut inquinatos et immundos in conspectu Dei; apprehendentes autem per fidem Christi merita, securi fiunt de non imputatione peccatorum suorum. Inde originem denique habet illa fiducia, imo securitas vitae aeternae, quam sibi certo ac de fide pollicentur, non obstantibus quibuscumque sceleribus (1).

622. Tale est systema lutheranorum, calvinistarum, zwinglianorum, aliarumque sectarum, quae ab illis profluxerunt, si excipias accidentales nonnullas modificationes, quas in eo exponendo tenuerunt. Nonnulli quidem visi sunt systema istud temperare (2). Ast frustra; etenim, praeterquamquod expulsum est non absque stomacho et indignatione ejusmodi temperamentum a ceteris sectariis, emolliri ac corrigi doctrina novatorum circa bonorum operum meritum nequit, quin totum labefactetur systema a suis fundamentis; ita siquidem partes omnes inter se copulatae atque invicem sunt connexae, ut nulla detrahi possit absque manifesta incohaerentia (3).

623. Nos igitur ut vindicemus catholicam doctrinam de merito, praemissis ejus notionibus, progrediemur ad ejusdem meriti existentiam adstruendam adversus novatores; deinde conditiones, quae ad meritum requiruntur exponemus, postremo expendemus ea, quae meriti objectum constituunt.

CAPUT I.

PRAENOTIONES

Doctrina Ecclesiae catholicae et Theologorum opiniones circa meritum

624. Doctrinam catholicam de bonorum operum merito his verbis proponit concilium Trident. sess. VI, cap. XVI: *Bene operantibus, usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda ..... Cum enim ille ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum*

tate festive se expedit, respondens: « Praecipere et obtemperare duo sunt longe inter se diversa; *praecipere* cito dicitur; ast obsequi longe difficilius ». Ita ipse in *Comment. in Epist. ad Galat.* pag. 233. Sed si ita est, divina mandata erunt *potius* idealia, quam realia.

(1) Cfr. Becan. op. cit. cap. 16, quaest. III, num. 3.

(2) Plures causae effecerunt, ut protestantes paulatim ab absurda ac perniciosa ejusmodi doctrina recederent, impossibilitas nempe eam conciliandi cum Scriptura, pessimus influxus quem in sectarios exercebat, objectiones demum catholicorum. Hinc in *Apol.* IV, *De dilect. et implet. legis*, § 50, pag. 91, tantum dicitur: « Haec ipsa legis impletio, quae sequitur renovationem, est exigua et immunda »; § 46, pag. 88: « In hac vita non possumus legi satisfacere ». Atque ita conciliantur diversae formulae, quibus protestantes hunc articulum proponere solent.

(3) Cfr. Mochler, op. cit. tom. I, pag. 244 et seqq.

opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent ; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur .... Ita neque propria nostra justitia tamquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quae enim justitia nostra dicitur quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in Sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede carituram, et Apostolus testetur, id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis ; absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino ; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Hanc porro eandem doctrinam sanxit can. XXVI et XXXII, quos inferius dabimus.

625. Interea ex ejusmodi expositione et definitionibus constat : 1. Justos vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et augmentum gloriae.

626. 2. Hanc merendi virtutem inniti Dei misericordiae, qui nostris bonis operibus aeternam retributionem promittere dignatus est, cum potuisset illa a nobis exigere absque ulla retributionis spe. Quare optime s. Thomas adnotat, *Deum non esse factum simpliciter debitorem nobis sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur* (1).

627. 3. Hanc insuper promerendi virtutem inniti meritis Christi, a quibus justorum opera totum suum meritum trahunt.

628. 4. Denique merita omnia nostra esse dona Dei, quia a gratia tum actuali tum sanctificante seu habituali promanant. Hinc optime s. Augustinus : *Cum Deus*, inquit, *coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua* (2). Ex quibus etiam liquet, in doctrina catholica valde commendari humilitatem christianam, minime vero excludi, ut clamant protestantes.

629. His fidei dogmatibus majoris claritatis gratia addunt theologi, meritum distingui in illud, quod vocant *de condigno*, et in illud, quod *de congruo* appellant. Prius est meritum proprie dictum, seu vere et stricte tale, cui scilicet praemium vel merces ex justitia aut fidelitate debetur ; posterius autem est improprie dictum, cui cum nulla facta fuerit promissio, hinc ex stricto jure nihil debetur, spectata nihilominus ipsius operis bonitate congruum ac decens videtur, ut aliqua tribuatur remuneratio.

630. Haec distinctio fundatur in doctrina patrum, praesertim vero s. Augustini, qui docet, impios per fidem mereri remissionem peccatorum ; ait enim : *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat : Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humilitatis* (3). Non est autem meritum istud

(1) 1. 2, q. 114, a. 1, ad 3.
(2) *Epist.* CXCIV, cap. 5, n. 19.
(3) Epist. cit. cap. 3, n. 9.

stricte sumptum seu *de condigno ;* ut enim ibidem prosequitur s. Doctor: *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt* (1). Est igitur meritum *de congruo* et improprie dictum illud quod praecedit justificationem. Hanc eandem distinctionem expressis verbis tradidit Angelicus Doctor (2).

631. Quamvis porro, quae de hac meriti distinctione ejusque specie ac natura traduntur, explorata sint apud omnes fere catholicos theologos, ad fidem tamen minime spectant, cum nulla habeatur circa haec ecclesiae definitio, et in controversiam a nonnullis vocentur. Quapropter scribit Bellarminus circa meriti qualitatem: *Sunt tres de hac re quaestiones: una, sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex congruo? altera, sitne condignum ratione promissionis tantum, an ratione operis? tertia, num Deus remuneret opera justorum supra condignum, et impiorum citra condignum* (3)?

632. Circa postremam hanc quaestionem, etsi nulla aperta habeatur ecclesiae definitio, Deum nempe opera justorum ex sua liberalitate supra condignum remunerari, nunc jam haec doctrina in dubium revocari nequit post proscriptam Baji prop. XIV, quae ita se habet: *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.*

633. De fide pariter non est, omnia bona opera justorum esse aeternae vitae meritoria, seu quaenam in specie opera mereantur gloriam ejusque incrementum, an opera temperantiae, spei, fidei et alia praeter charitatem; quia Tridentinum non definivit, talia opera in specie mereri. Bellarminus censet: *Bonum opus non esse meritorium vitae aeternae, nisi ex charitate procedat* (4). Eandem sententiam tenuere Scotus, Gabriel, Durandus aliique. Vasquezius e converso contendit, *quodlibet opus hominis justi bonum et secundum virtutem moralem meritorium esse vitae aeternae* (5); et hanc sententiam adscribit s. Bonaventurae, Capreolo et Soto.

634. Constat denique de fide non esse, justum posse mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem de congruo, vel conversionem peccatoris, vel aliam gratiam; sibi autem sive perseverantiam sive resipiscentiam post lapsum; quia nulla extat de his definitio, et in varias sententias abeunt theologi. De his porro controversiis consuli possunt auctores citati (6). Nos interea ad dogma catholicum de meriti existentia adstruendum adversus novatores accedimus.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA MERITI

635. De hac meriti existentia praecipua, imo unica est controversia, quae inter catholicos et protestantes agitatur. Si concordes circa eam essent, facile in ceteris protestantes convenirent. Ex dictis porro superius constat, hanc meriti existentiam aut negationem non esse

(1) Ibid. n. 6.

(2) 1. 2, q. 114, a. 3; et *In* II *Sent.* Distinct. 27, a. 3.

(3) Ibid. cap. 16.

(4) *De justif.* lib. V, cap. 15.

(5) Cfr. In 1, 2. S. Thom. tom. II, disp. 217, cap. 2 et seqq.

(6) Cfr. etiam Veronius, *Regula fidei catholicae*, quae extat ad calcem vol. II. *Controvers. Fratrum De Walemburch*, cap. 2, § 1, *De meritis gratiae et gloriae*.

nisi corollaria utrinque oppositae doctrinae catholicorum et protestantium circa justificationem. Nos igitur ex vindicatis principiis de justificatione sic progredimur.

PROPOSITIO.

Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam aeternam ejusque augmentum

636. Propositio haec est de fide; concilium enim Trid. sess. VI. eam definivit, tum can. XXVI: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit;* tum can. XXXII: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et J. C. meritum cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.*

637. Scripturae hanc fidei veritatem apertissime ostendunt; vitam enim aeternam vocant *coronam justitiae, bravium, mercedem* reddendam homini justo pro laboris ratione magis minusve copiosam. Ergo justi per bona ipsorum opera ex gratia facta vere merentur coram Deo. Et sane Apostolus, II. Timoth. IV, 7, de se scribit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* et I. Cor. IX, 24: *Nescitis*, inquit, *quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis;* et iterum in eadem Epist. III, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* et cap. XV, ut ostendat diversam fore retributionem pro diversitate meritorum, ait, v. 41: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Consequentia est evidens; merces enim, corona, bravium non datur nisi veris meritis.

638. Non minus luculenter haec eadem veritas ex patribus ostenditur. S. Irenaeus: *Pretiosam*, inquit, *arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur* (1). S. Basilius: *Homo ex operibus justitiae salvatur* (2). S. Joan. Chrysostomus: *Ambo* (improbus et justus) *pro dignitate recipient illic; hic quidem coronas patientiae tolerantiaeque, ille vero supplicia poenasque improbitatis* (3). Tertullianus, *Ordo*, inquit, *non aliud quam meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque*

(1) *Contra haeres.*, lib. IV, cap. 37, n. 7, edit. Massueti. Integrum caput est de hoc argumento, ita ut videatur s. Irenaeus voluisse novatorum systema evertere.

(2) Lib. *De Spir. Sancto*, cap. 24, n. 55: Ὁ σωζόμενος ἐκ τῶν τῆς δικαιοσύνης ἔργων ἄνθρωπος ... Tom. III, pag. 47.

(3) *Hom.* IV, *de Lazaro*, n. 2: Ἀμφότεροι τὸ κατ' ἀξίαν ἀπολήψονται ἐκεῖ, ὁ μὲν τοὺς στεφάνους τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς καρτερίας, ὁ δὲ τὰς κολάσεις καὶ τὰς τιμωρίας τῆς πονηρίας. Tom. I, p. 753.

corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum (1). S. Cyprianus: *Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem; praeceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem* (2). Denique, ceteris praetermissis, s. Augustinus: *Nulla ne*, interrogat, *sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt* (3). Ac iterum: *Vita*, inquit, *aeterna est totum praemium, cujus promissione gaudemus. Nec praemium potest praecedere merita, priusque homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc est injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere praemium, antequam mereamur accipere* (4). Quibus verbis, ut animadvertit Bellarminus, plane evertitur novatorum systema (5). Huc accedit concilium Arausic. II, quod, cap. XVIII, ita decrevit: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.*

639. Ratio id ipsum aperte suadet. Ideo enim protestantes inficiantur, opera bona meriti rationem habere, quia in ipsorum hypothesi nulli vere justi existunt, qui possint bene ac juste operari; cum omnia ipsorum opera totidem peccata sint, utpote a mala substantia elicita. Porro ejusmodi paradoxa falsa sunt et absurda, ut ex dictis constat. Deinde, si vera esset novatorum doctrina, nullus jam locus esset judicio a Deo de hominibus instituendo. *Non quia nullum est meritum*, inquit s. Augustinus, *vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodo judicabit Deus mundum* (6)? Attamen Apostolus, II. Cor. V, 10. scribit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Ergo.

DIFFICULTATES

640. I. Obj. 1. Vita aeterna in Scripturis passim vocatur haereditas; porro haereditas filiis debetur, non ex merito et labore, sed ex solo jure *filiationis* seu adoptionis. 2. Sane vita aeterna est corona misericordiae, ut dicitur, Ps. CI, 4: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus;* et Matth. V, 7: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur;* 3. est praeterea ex omni parte gratia Dei, Apostolo Rom. VI, 23, dicente: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna*. Nisi enim tota gratia esset, dixisset Apostolus, prout poscebat antithesis: *Stipendium bonorum operum vita aeterna*, prout jam dixerat: *Stipendium peccati mors*. 4. Hinc gratis, non pro meritis, Deus eam concedere perhibetur, juxta illud Isaiae LV, 1: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac*. Ergo.

641. Resp. 1. Ad 1. *Dist. maj.* Vocatur haereditas *etiam*, *C.* solum *N.* Etenim vocatur praeterea *merces;* ex duplici proinde titulo confertur vita aeterna, haereditatis scilicet et mercedis, posterior autem hic titulus in priori fundatur.

642. Resp. 2. *Dist. min.* Haereditas debetur filiis naturalibus, *C.* adoptivis,

(1) Lib. *De Resurr. carn.* cap. 48, edit. Rigalt.

(2) Lib. *De unitate Eccles.* pag. 199, edit. Maur.

(3) *Epist.* cit. CXCIV, cap. 3, n. 6.

(4) *De moribus Eccles.* lib. I, cap. 25, n. 55.

(5) *De justif.* lib. V, cap. 4, apud quem alia cfr. testimonia.

(6) *Epist.* CCXIV, *ad Valentinum*, n. 4.

Subd. Si absque ulla apposita conditione adoptati sint, ut in haereditatem patris succedant, *C.* si sub aliqua conditione *N.* Nam tunc et titulo adoptionis et adimplendae conditionis succedunt. Jam vero Deus homines in filios adoptavit, ut consequantur haereditatem sub iis tantum conditionibus, quas ipsemet proposuit, quibus *digni habeantur regno Dei*, ut inquit Apostolus, II. Thess. I, 5, si sermo sit de adultis (1); infantes enim ex solo titulo haereditatis eam percipiunt.

643. Ad 2. *D.* Vita aeterna est corona misericordiae simul ac justitiae, *C.* solius misericordiae *N.* Responsio patet ex dictis.

644. Ad 3. *D.* Quatenus ex gratia Dei omne meritum nostrum initium habet, *C.* quatenus ex sola gratia absque nostra cooperatione tribuatur, ideoque ad exclusionem meritorum nostrorum *N.* Ita fere s. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arbit.* capp. VIII et IX. ubi animadvertit, Apostolum recte potuisse dicere: *Stipendium justitiae vita aeterna*, prout dixit, *Stipendium peccati mors* (2). Sane aequivalenter sensum hunc expressit Apostolus, Rom. II, 6. illis verbis: *Reddet* (Deus) *unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione . . . ira et indignatio.*

645. Ad 4. *N.* Textus autem Isaïae non refertur ad vitam aeternam, sed ad gratiam, quae in hac vita a Deo tribuitur, quaeque sub vini ac lactis symbolis significatur. Nemo porro inficiatur, gratiam gratis conferri; sed haec exigit laborem et cooperationem nostram.

646. II. Obj. 1. Luc. XVII, 10. ait Christus: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.* Nihil igitur merentur opera nostra, utpote inutilia. 2. Verum non solum inutilia, sed et immunda praeterea sunt, ut testatur Isaïas, LXIV, 6. dicens: *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.* Ergo per se potius indignationem quam praemium merentur.

647. Resp. ad 1. *D.* Ad excludendam jactantiam, *C.* ad excludendum meritum bonorum operum, quae in Deo sint facta *N.* Talis et communis patrum expositio in locum, qui objicitur (3). Inde discimus, nos nihil nobis adscribere posse ex bonis, quae facimus; quia nisi Dei gratia nos praevenisset et adjuvis-

(1) Cfr. quae diximus Tract. *De Incarnat.* n. 644.

(2) Quo magis pateat, novatores abludere a sensu et mente s. Augustini, dum eum suum esse jactant in systemate justificationis, libet ipsius s. Doctoris verba afferre. Sic porro scribit, cap. 8, n. 20: « Apostolus cum dixisset: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur; vidit utique, putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat; et rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi ipsi sufficiant; mox itaque addidit: ipsius enim sumus figmentum », etc.... Et cap. 9, n. 21: « Cum prius dixisset (Apostolus): stipendium peccati mors .... Ubi cum posset dicere, et recte dicere: Stipendium autem justitiae vita aeterna, maluit dicere: gratia autem Dei vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.

(3) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. V, cap. 5.

set, nihil praestare potuissemus; totum praeterea emolumentum non Deo, qui operibus nostris non indiget, sed nobis provenire, et quidem ex gratuita ac liberali promissione Dei de aeterna mercede ipsis bonis operibus retribuenda. Ceterum Apostolus, II. Timoth. II, 21. scribit: *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et* UTILE *Domino;* et Christus ipse, Matth. XXV, 23 dixerat: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* (1).

648. Ad 2. *N.* Ad prob. *D.* Et loquitur Propheta de peccatis ac fictitiis Judaeorum justitiis, ob quas puniebantur, *C.* loquitur de bonis justorum operibus *N.* Antea enim dixerat: *Occurristi laetanti et facienti justitiam;* deinde immediate post objecta verba subdit: *Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos* (2).

649. III. Obj. 1. Christus meruit nobis vitam aeternam. 2. Ergo vel Christi merita per se sufficiunt, vel non suffi-

(1) Εὖ, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστέ· ἐπὶ ολίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. Cfr. Maldonatus in objectum textum ex Luc. XVII, 10, ubi contendit hunc esse sensum illorum verborum: *Cum feceritis omnia*, etc. non quidem nihil praeceptorum observatione meruisse; sed nihil meruisse praeter mercedem, quae praeceptorum observationi respondet. Vult igitur Christus non gloriari nos, cum praecepta servavimus; quia, etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium et eximium fecimus, nihil quod non quilibet servus facere debuerit. Nec tam est laudabile, quod id fecerimus, quam vituperabile esset, si non fecissemus. Non solent laude gloriaque videri digna, nisi quae egregia et singularia sunt. Quae quidem fuse ibidem prosequitur, et omnes calviniauorum technas dissolvit. Ostendit praeterea adversus Calvinum, ibi non agi de mancipio, sed de servo mercenario seu conducto, qui operatur pro pacta mercede. Cum tamen Kuinoelius Calvini vestigiis insistens contendat, in parabola sermonem non esse de mercenario, de aratore aut bubulco conductitio, sed de mancipio, ceteris omissis, juverit ipsum refellere ex ipsa voce δοῦλος, prout a Graecis usurpabatur. Si enim δοῦλος esset servus emptitius aut mancipium, non dixisset Sophocles, *Oedip.* T. 1123: Ἦ δοῦλος οὐκ ὠνητός, ἀλλ' οἴκοι τραφείς, κ. τ. λ. *Sane servus non emptus, sed domi educatus*, etc. neque Thucidides, 8, aperte distinxisset τὰ ἀνδράποδα πάντα, καὶ δοῦλα, καὶ ἐλεύτερα, *omnia mancipia et servi et liberi;* immo vero Scholiastes Theocriti, v. 5. ex Chrysippo docet, etiam ἀπελευθέρους seu *libertos* vocari δοῦλους, *servos*. Igitur δοῦλος nihil aliud est quam *servus*, ita ut ejus correlativus sit δεσπότης, *herus*, et opponatur quidem plerumque voci ἐλεύθερος (I Cor. XII, 13), sed *mancipium* minime unquam sit; hoc enim graece dicitur ἀνδράποδον; unde derivatur ἀνδραποδίστης, *plagiarius* seu *mancipii venditor*, I Timoth., 1, 10, et apud alios scriptores graecos ἀνδραποδώνης, *mancipiorum emptor*. Haec ideo adnotavimus, quia haeretici inde 1. colligebant, nullam nos mereri mercedem ob bona opera cum gratia patrata, prout nulla rependitur merces mancipio; 2. colligebant, nullum opus, ut dicitur, *supererogationis* a nobis elici posse, cum nullum sit prorsus opus bonum quod Deo non debeatur, qualia sunt opera mancipiorum respectu dominorum suorum.

(2) Cfr. Sanctius in hunc loc. qui censet, nihil aliud significari hoc dicendi genere proverbiali, quam foetere Judaeorum sacrificia, quae *justitiae* vocantur, apud Deum, et ipsum ad illam fucatam sanctitatis speciem nauseare non aliter quam ad ea, quae propter foeditatem aversantur oculi, aut propter amaritiem et crudilatem fastidit stomachus. Cfr. etiam Rosenmüller.

ciunt ; si ea dicamus sufficere, frustra igitur requiruntur opera nostra ; si dicamus non sufficere, injuriam irrogamus Christo. 3. Vel saltem inde sequeretur, nos gloriam dividere inter Christum et homines, si praeter ejus merita nostra etiam requireremus ad vitam aeternam obtinendam.

650. Resp. ad 1. *D.* Christus meruit nobis vitam aeternam, concedendam tamen nostrae cooperationi per opera meritoria, *C.* absolute nostra cooperatione *N.* Nam Christus non eo sensu meruit nobis vitam aeternam ut nos nihil praestare deberemus ; sed eo sensu meruit nobis, ut compararet gratias quibus cooperantes applicaremus nobis merita ipsius, et hac ratione opera nostra efficerentur meritoria, ut suo loco ostendimus, disserendo de ipsius Christi satisfactione.

651. Ad 2. Respondeo, sufficere Christi merita et non sufficere sub diverso respectu. Sufficiunt quoad se, cum Christus superabundanter et cumulatissime pro nobis meruerit ac satisfecerit ; non sufficiunt quoad nos ex positiva Dei voluntate, qui noluit, ut Christi merita nobis prodessent, nisi accederet cooperatio nostra. Tantum vero abest, ut inde detrahatur meritis Christi, quin potius maxime commendetur eorum efficacia, qua non solum obtinuit nobis jus vitae aeternae, sed etiam vim et virtutem merendi. Hinc quemadmodum nihil detrahitur de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant ; imo quo uberiores fructus palmites ferunt, eo magis laudanda est vitis, quia quidquid vivi succi et humoris habent palmites, totum ex ea habent ; ita nihil detrahitur de gloria meritorum Christi per merita nostra, quae ab ipsis procedunt ; sed potius merita Christi per merita nostra etiam atque etiam commendantur (1).

652. Ad 3. *N.* Nam nulla prorsus essent merita nostra, nisi gratia Dei nos praeveniret et adjuvaret. Merita enim nostra dona sunt Christi, ut superius exposuimus juxta doctrinam concilii Tridentini (2).

653. IV. Obj. Patres passim docent, vitam aeternam gratis nobis a Deo donari, ut s. Basilius ; nulla item esse merita nostra ; ut s. Hilarius, et s. Augustinus, aliique cum ipsis (3). Ergo.

654. Resp. *Neg. antec.* Nam patres vel loquuntur de gratuito principio meritorum nostrorum, nempe de gratia et gratuita Dei promissione, vel de meritis naturalibus adversus pelagianos, vel de nulla proportione durationis, ut mox dicemus.

655. V. Obj. 1. Ad verum meritum requiritur proportio inter opus et mercedem. Atqui inter opera justorum et vitam aeternam nulla est proportio, dicente Apostolo, Rom. VIII, 18 : *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* 2. Nemo praeterea potest Deum super omnia et perfecte diligere. Ergo nemo potest mereri.

656. Resp. ad 1. *Dist. min.* Nulla est inter opera justorum et gloriam aeternam proportio durationis et aequalitatis rei ad rem, qualem exigit justitia commutativa, *C.* nulla est proportio di-

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(2) Hinc patet, stulte prorsus Calvinum debacchatum esse in Magistrum sententiarum, quod bonorum operum meritum commendaverit ; sic enim, *Instit.* lib. III, cap. 3, § 43, scribit : « Quis non merito tales bestias execretur ? . . . O magistrum talibus dignum discipulis, quales in insanis rabularum scholis nactus est ! »

(3) Apud Bellarm. loc. cit. cap. 6.

gnitatis et meriti, supposita promissione, qualem exigit justitia distributiva *N.* Etenim inter opera ex gratia sanctificante facta et gloriam ea intercedit proportio, quae adest inter semen et arborem, praesertim si attendatur ad gratuitam Dei promissionem (1). Quare s. Augustinus asserit: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti; et hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti* (2).

657. Ad 2. *N.* Siquidem per Dei gratiam tria illa praestare possumus, quae ad accuratam praecepti dilectionis divinae observantiam requiruntur: nempe 1. ut Deum omnibus praeferamus; 2. ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus; 3. ut ad majorem semper in Dei amore perfectionem eluctemur (3).

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS

658. Alias statuunt conditiones ad meritum requisitas novatores, alias catholici. Novatores, ut sibi viam sternant ad omne meritum nostrum eliminandum, has quatuor ad meritum constituendum conditiones effingunt et exposcunt: 1. ut opus debeat esse perfectum seu omnibus numeris absolutum, purum propterea a qualicumque imperfectionis naevo; 2. ut nullo titulo sit debitum; 3. ut nostrum sit et non alienum, seu gratia partum; 4. ut proportionem habeat aequalitatis cum mercede. Catholici e converso, rejectis his conditionibus, quibus positis omnis meriti ratio ab operibus nostris tolleretur, alias enumerant conditiones ad opus meritorium constituendum, quarum aliae certae sunt et ab omnibus admissae, aliae in controversiam vocantur.

659. Ac primo quidem, supposita distinctione inter meritum proprie dictum seu *de condigno* ac meritum improprie dictum seu *de congruo*, alias assignant conditiones ad meritum de condigno, alias ad meritum de congruo, sive ex parte operantis sive ex parte operis, sive ex parte retribuentis, quas breviter referemus.

660. Ad meritum de condigno ex parte *operantis* duae conditiones essentialiter requiruntur: 1. ut sit viator; 2. ut sit justus seu in statu gratiae.

661. Quod qui meretur debeat esse viator, nullum dubium esse potest dicente Christo, Joan. IX, 4: *Venit nox quando nemo potest operari;* et Apostolo, Gal. VI, 10: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Hinc monebat Ecclesiastes, IX, 10: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

662. De statu gratiae, quae requiritur ad meritum, constat ex verbis Christi, Joan. XV, 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis;* et ex verbis Apostoli, I. Cor. XIII, 3: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hinc merito confi-

(1) Cf. s. Thom. 1, 2, q. 114, art. 1, 2, 3, 4, ubi totum hoc argumentum egregie evolvit, ac omnes difficultates novatorum praeoccupavit ac solvit.

(2) *Serm.* CLVIII, al. XVI, *De Verbis Apost.* cap. 2, n. 2.

(3) Cfr. Maldon. in cap. XVII, 10, s. Luc.

xae fuerunt a s. Pio V. et Greg. XIII, sequentes Baji propositiones, XII: *Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium;* XIII: *Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia;* XVII: *Sentire cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum* (1).

663. Ex parte operis tres conditiones necessario requiruntur ad verum meritum: 1. ut sit liberum a necessitate; 2. ut sit bonum et honestum; 3. ut sit supernaturale et quoad entitatem, seu essentiam, et quoad motivum seu finem.

Quod attinet ad primam conditionem, est de fide, ut patet ex damnata ut haeretica propositione Jansenii: *Ad merendum*, etc. ut suo loco ostendimus (2).

Circa secundam ratio aperta est, quia nihil potest esse praemio ac mercede dignum apud Deum, qui sanctus est, nisi sit rectum, bonum ac ipsi gratum. Opus porro bonum ac honestum illud censetur, quod tale est ex parte objecti, finis ac circumstantiarum omnium, juxta tritum illud axioma a theologis omnibus adoptatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

Necessitas tertiae conditionis eruitur ex disceptatis adversus pelagianos, contra quos ostendimus, opus supernaturale constitui ex parte principii, gratiae nempe actualis, atque ex parte finis, seu motivi, quod referatur scilicet in Deum tamquam auctorem supernaturalis ordinis ut habeat aequalitatem propositionis cum gloria (3).

664. Haec certa sunt apud omnes. Sed his conditionibus plures theologi addunt et aliam, ut scilicet opus eliciatur ex imperio charitatis, juxta verba Jac. I, 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae,* QUAM REPROMISIT DEUS DILIGENTIBUS SE. Talis est etiam sententia s. Thomae, 1. 2. q. 114. a. 4. (4). Alii tamen, ut innuimus, refragantur (5).

665. Demum ex parte Dei retribuentis requiritur repromissio. Hinc est, quod in sacris Litteris vita aeterna sub generico promissionis nomine passim designetur. Apostolus enim, Heb. VI, 12. ait: *Fide et patientia haereditabunt pro-*

(1) Apud Hard. *Act. Concil.* tom. x, col. 1207. Origo harum propositionum repeti debet ex Baji principio, quod justitia originalis fuerit primo homini naturalis, eique debita.

(2) In Tract. *De Deo Creat.* n. 495 et seqq.

(3) Cfr. s. Thom. loc. cit. art. 1, tum art. 2, ubi inter cetera ita scribit: « Vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus, secundum illud I *Cor.* 2: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur ».

(4) « Meritum, *inquit*, vitae aeternae primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur. Similiter etiam manifestum est, quod id, quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus; unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur, quod sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur ».

(5) Cf. Vasquez, loc. cit.

missiones ; et ibid. X, 36 : *Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*. Atque id declaravit Tridentina synodus, sess. VI, cap. XVI ; et sane hanc conditionem exposcit ipsa natura mercedis, quae non redditur nisi ex pacto.

666. Ad meritum de congruo fallibili omnes recensitae conditiones requiruntur praeter statum gratiae et promissionem ex parte Dei (1).

CAPUT IV.

DE OBJECTO MERITI

667. Duo sunt, quae cadunt sub meritum, gratia et gloria. De gloria jam ostendimus, eam una cum ejus augmento cadere sub meritum de condigno in homine justo per opera in Deo facta.

668. Ad gratiam quod spectat, haec certa sunt :

1. Primam gratiam, actualem nempe, nullo modo cadere sub meritum, ut ex dictis constat adversus pelagianos ac semipelagianos (2).

2. Gratiam sanctificantem pariter non cadere sub meritum de condigno, ut superius diximus ; cum ex Apostolo, Rom. III, 24. nos simus *justificati gratis per gratiam ipsius ;* et aperte idem declaret Tridentinum, sess. VI, cap. VIII.

3. Hominem justum posse promereri de condigno augmentum gratiae sanctificantis, ut definivit synodus Tridentina, eadem sess. can. XXXII. Quod si justus potest mereri augmentum gratiae sanctificantis, hoc ipso per justificationem acquirit jus ad gratias actuales, quae necessariae sunt ad opera bona perficienda, ex quibus illud augmentum pendet.

4. Posse hominem peccatorem promereri de congruo infallibili, stante divina promissione (3), primam gratiam sanctificantem per contritionem perfectam et actum dilectionis Dei super omnia tamquam per ultimam dispositionem ad eandem infallibiliter consequendam, juxta illud quod saepe retulimus s. Augustini dictum : *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat ; neque enim nullum est meritum fidei* (4).

669. Disputatur autem inter theologos : 1. Utrum justus possit mereri sibi veniam post culpam ; 2. Utrum sibi praeterea possit mereri perseverantiam finalem ; 3. Utrum demum justus possit alteri mereri primam gratiam.

670. Jam vero ad primum quod attinet, certum est de condigno non posse quempiam sibi id promereri, neque etiam quempiam id posse de congruo infallibili, cum nulla habeatur divina promissio et per peccatum amittatur omne jus ad recuperandam gratiam ; an vero id possit justus per meritum de congruo fallibili, communior sententia affirmat cum Bellarmino (5). Videtur

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. v, cap. 12, et cap. 14. Cfr. etiam Vasquez, in 3 part. q. 94, art. 1, dub. 4 : « Idem dicimus, *scribit*, meritum de congruo, quod impetratorium opus, impetratorium meritum, quod de congruo dici solet ; meritum de congruo illud est, quod impetrat illud, cujus est meritum ; meritum congruum in sola impetratione consistit ».

(2) Cfr. praeterea s. Thom. 1, 2, q. 114, a. 5.

(3) Cum superius diximus, a theologis excludi a notione meriti de congruo divinam promissionem, ut patet, id intelligi debet de merito congruo in genere seu fallibili.

(4) *Epist.* CLXIV, loc. cit.

(5) *De justif.* lib. v, cap. 21, num. 3.

certum, posse saltem justum sibi hanc reparationem precibus impetrare ad instar Davidis, qui, Ps. LXX, 9. orabat: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me* (1).

671. Ad alterum eadem fere ratione respondemus, quia nuspiam promittitur justis perseverantia concedenda tanquam merces; quin imo Scripturae exortantur fideles, ut cum timore et tremore salutem suam operentur, ut videant ne cadant, et satagant, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant. Id ipsum sancivit synodus Tridentina, sess. VI, can. XVI, quem superius retulimus. Communis tamen Theologorum doctrina est, posse justum perseverantiam de congruo fallibili mereri, juxta tritum illud Augustini effatum: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest* (2).

672. Quoad tertium denique inter theologos catholicos convenit, neminem, excepto Christo, posse alteri de condigno promereri primam gratiam; cum hoc munus proprium sit Salvatoris ac Redemptoris nostri, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris. Communis nihilominus sententia catholicorum est post s. Thomam (3), posse justos alteri obtinere merito de congruo fallibili primam gratiam. Quare s. Jacobus, cap. V, 16. sic fideles hortatur: *Orate pro invicem, ut salvemini*. Nec desunt exempla conversionum, quae factae fuerint ad aliorum preces, qualis perhibetur s. Pauli, quem Stephani precibus patres conversum tradunt, et s. Augustini, quem piis lacrymis s. Monicae ad meliorem frugem revocatum ecclesia pro certo sumit.

Hactenus de gratia, de eo nempe coelesti munere, quo Deus per Christi merita gratis nos praevenit, quo operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate cui nos libere assentiendo consortes efficimur divinae ipsius naturae, ut fructus uberiores in dies emittendo ad futuram gloriam pervenire contendamus, quae revelabitur in nobis. Quam ut assequamur, a Deo enixe efflagitandum est, ut hac gratia sua semper nos praeveniat et sequatur, ac bonis operibus praestet jugiter esse intentos.

(1) Cfr. s. Thom. 2, 2, q. 186, a. 10.
(2) *De dono persev.* cap. 5, num. 10.
(3) 1, 2, q. 114, a. 6.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

PROOEMIUM

1. Homo, utpote non sola mente sed et sensibus praeditus, sensibilibus ritibus indiget, quibus ad pietatem excitetur et ad divinum cultum instituatur. Quaevis propterea religio, quod jam monuerat s. Augustinus (1), peculiares habuit ritus symbolicos ad hunc finem obtinendum institutos. In vera autem religione instituti a Deo externi ritus sunt et ad alium finem, ut scilicet tamquam vehicula quaedam, ad gratiam sive sanctitatem conferendam seu communicandam animis nostris, inserviant. Variis nominibus hi symbolici ritus appellantur. Interdum enim *signa*, *signacula*, interdum *mysteria*, *symbola* fuerunt vocati (2); communior demum facta est denominatio *Sacramenti* apud Latinos, Μυστήριου apud Graecos. Haec autem mysterii aut sacramenti vox rem

(1) *Contra Faustum Manich.* lib. XIX, cap. II: « In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur », etc. quod ibid. pluribus prosequitur.

(2) Tertullian. *Apolog.* cap. 47, *De praescript. haeret.* cap. 40; *De anima*, cap. 9. *Sacramenti* nomen eo sensu, quo nunc usurpatur, Tertullianum adhibuisse omnium primum, loquendo de baptismo et sacra coena, autumat Wegscheider, § 166, num. 2. Ast hic auctor aut Tertullianum non legit, aut se non satis ingenuum prodit. Siquidem in *Apologetico* loquitur Tertullianus generatim de Sacramentis; in lib. *De anima*, alio plane sensu accipit Sacramenti vocem; in lib. *De praescript.* loc. cit. tria expresse commemorat sacramenta, baptismum, confirmationem et eucharistiam.

arcanam, quaecumque demum sit, sive latentem significat (1). Varius extitit ejusdem vocis usus tum apud profanos, tum apud scriptores sacros et ecclesiasticos. Nunc jam sumitur primo pro re sacra, secundo pro re sacra ac latente, tertio pro signo sensibili rei sacrae.

2. Cum Sacramenta, ut innuimus, sint veluti quaedam vehicula seu instrumenta, quibus Deus, imbecillitati nostrae consulens, gratiam sanctificantem, et proinde justificationem confert, patet, intimam intercedere necessitudinem ac relationem inter ea, quae de gratia sanctificante et justificatione disseruimus, et Sacramenta, de quibus in praesentiarum disputare aggredimur. Sane ex contraria via, quam ecclesia catholica avitae fidei insistens tenuit, et quam novatores, qui cuncta perturbarunt circa justificationis notionem ac naturam, iniverunt, oritur doctrinae oppositio inter dogmata catholica et novatorum placita in re sacramentaria.

3. Etenim ecclesia catholica ex principio de identitate justificationis et gratiae sanctificantis, infert, Sacramenta esse signa practica gratiae, signa nempe, quae continent ac conferunt gratiam, quam significant. Hinc recepta apud catholicos Sacramenti definitio, quam tradidit Catechismus Romanus: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet* (2). Dicitur porro *res sensibus subjecta*, seu *signum*, quia hominum mentem adducit in cognitionem alterius rei, et quidem *sensibile*, quia sui ipsius speciem sensibus ingerit, *ex Dei institutione*, ut sciamus, solum Deum sive Jesum Christum auctorem esse Sacramentorum, cum ipse solus possit signis sensibilibus seu symbolicis producendae gratiae virtutem indere; dicitur demum: *sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet* ut edoceamur, Sacramenta non posse nisi rem sacram exprimere, et quod exprimunt efficere. Si verborum autem discrepantiam tollas, quoad rem ipsam, omnes quae a catholicis doctoribus traduntur Sacramenti definitiones in hanc conveniunt.

4. Contra vero novatores, qui gratiam sanctificantem a justificatione separarunt, ita ut haec non consistat nisi in sola forensi peccatorum remissione, seu potius in sola poenae peccatis debitae non imputatione, vi fidei apprehendentis instrumentaliter justitiam Dei vel Christi extrinsece imputatam, contrariam plane Sacramenti notionem invehere debuerunt. Sacramenta in hac hypothesi nuda signa evadunt, quae vel fidem excitent ad apprehendendam Christi justitiam, vel pignora justitiae per fidem jam imputatae, vel signa in ordine ad societatem ad quam quis pertinet. Nec sane aliam Sacramentorum ideam praebent variae, quas dederunt novatores, Sacramenti definitiones. Juxta Lutherum, Sacramenta sunt nuda *signa*, vel *sigilla* divinarum promissionum ad excitandam fidem, qua credatur, per Christum peccata dimitti (3). Juxta

(1) Haec autem res arcana tam potest consistere in verbis quam in actione. Si in verbis, quodcumque dictum obscurum aut allegoricum *mysterium* seu *sacramentum* nuncupatur; si in actione, ita vocatur actio certo modo consecrata et cum promissione quadam solemni conjuncta.

(2) Part. II, cap. I, n. 9.

(3) Lutherus, opp. edit. Jen. tom. III, fol. 266, *b*: *Omnia sacramenta*, inquit, *ad fidem alendam sunt instituta*. Melanchthon in *Loc. Theolog.* pag. 46: *Apparet*,

Zwinglium, et Calvinum, Sacramenta sunt *signa divinae gratiae;* nempe juxta Zwinglium, quibus *se homo Ecclesiae probat aut candidatum aut militem esse Christi, redduntque Ecclesiam totam potius certiorem de tua fide,* ut ipse loquitur, *quam te* (1); juxta Calvinum autem, quatenus electum certiorem faciunt de adepta fide ac divinis promissis (2). Anabaptistae decernunt, Sacramenta esse *signa allegorica* vitae spiritualis (3). Arminianis, mennonitis, socinianis Sacramenta sunt ceremoniae seu nudi ritus exteriores, quibus christiani ab aliarum religionum cultoribus distinguuntur (4). Quakeris Sacramenta sunt *actus spirituales* et interni *effectus coelestis luminis* (5). Schwedenborgianis Sacramenta sunt symbola, quibus Deus et homo invicem conjunguntur (6). Rationalistis denique Sacramenta sunt ritus longe praestantiores ritibus paganorum tum significatione symbolica tum fine morali (7).

5. Ex his definitionibus aut notionibus Sacramentorum constat; 1. Eas omnes fluere ex principio fundamentali protestantismi primitivi, prout illud Lutherus et Melanchthon excogitarunt circa justificationem. 2. Constat, sectas ex

scribit, *quam nihil Sacramenta sint nisi fidei exercendae μνημόσυνα;* et ibid. pag. 141 et seq. subdit: « Nostra imbecillitas signis erigitur, ne de misericordia Dei inter tot insultus peccati desperet. Non aliter atque pro signo favoris divini haberes, si ipse tecum coram colloqueretur, si peculiare aliquod pignus misericordiae qualecumque miraculum tibi exhiberet, decet de his te signis sentire, ut tam certo credas, tui misertum esse Deum, cum beneficium accipis, cum participas mensae Domini . . . Fidei excitandae gratia signa sunt proposita. Probabilis et illi voluntatis sunt, qui symbolis seu tesseris militaribus haec signa comparaverunt, quod essent NOTAE TANTUM, quibus cognosceretur, ad quos pertinerent promissiones divinae ».

(1) In *Confess. ad Carol. Imp.* opp. tom. II, pag. 447, qui ibid. pag. 541, addidit: « Credo, imo scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem et dispensent. Nam gratia ut a Spiritu divino datur, ita donum istud ad illum solum pervenit. Dux autem vel vehiculum Spiritui non est necessarium . . . Hoc libens admitto, Sacramenta dari in testimonium publicum ejus gratiae, quae cuique privato prius adest ».

(2) Non unam exhibet Calvinus Sacramenti notionem; *Instit.* lib. IV, cap. 14 Etenim, § 1, definit Sacramentum, *externum symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et Angelis quam apud homines testamur;* § 17, scribit, hoc munus tantum Sacramentis esse divinitus inditum, *testificari nobis ac sancire Dei in nos benevolentiam;* § 18, affirmat, esse signa, quae hominibus Deus mandavit *ut certiores securosque de promissionum suarum veritate redderet.* Et haec quidem quoad solos electos; etenim, juxta ipsius systema, reprobi praeter externum symbolum nihil recipiunt.

(3) Nam juxta Munsterum Sacramenta non sunt nisi actiones symbolicae et emblemata, quae significent patiendi necessitatem. Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. II, pag. 185 et seq.

(4) Ita sociniani in *Catech. Racov.* VI, 3, arminiani, *Confess. Remonst.* XXII, 3; De mennonitis cfr. Beck, *Comment.* pag. 772.

(5) Cfr. Moehler, op. cit. tom. II, pag. 235.

(6) Ibid. pag. 330 et seqq.

(7) Wegscheider, § 165.

lutheranismo progenitas proprias edidisse Sacramentorum notiones, evolvendo germen primitivi protestantismi. 3. Ejusmodi definitiones magis ac magis abscedere a vera Sacramenti notione, donec amiserint omnem relationem ad gratiam et justificationem, ac vix umbram et vestigium Sacramenti retinuerint.

6. Quomodo hoc idem novatorum principium circa justificationem influxerit in numerum Sacramentorum, in eorum ministrum ac ritus, evolvemus agentes de singulis his articulis. Interea ex iis, quae exposuimus, tum circa doctrinam ecclesiae catholicae, tum circa systemata haereticorum in ordine ad Sacramenta, patet, ad quatuor praecipua capita controversiam hanc, quam inimus, revocari posse: ad eorum scilicet numerum, efficaciam, ministrum ac ritus seu ceremonias, quae usurpantur in solemni eorum administratione. Ut propterea brevitati ac perspicuitati consulamus, in totidem capita totam hanc tractationem distribuemus; ex his enim singillatim constitutis ac vindicatis ceu totidem corollaria facile reliqua deducemus, quae sive definita sunt, sive communi ecclesiae et theologorum sensu tenentur, atque probantur. His adjiciemus nonnulla scholia, ad controversias theologicas exponendas et elucidandas.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NUMERO

7. Cum in doctrina catholica justificatio et sanctificatio ita identificentur, ut prior ex posteriori pendeat, sequitur, Sacramenta, quae ejusdem sanctificationis et justificationis signa practica sunt atque instrumenta, et per quae gratia et justitia nobis communicantur, plura esse debere, quibus non solum amissa justitia reparetur, sed et conservetur et augeatur. Hinc septem recensentur Sacramenta, quae in vita spirituali analogiam prae se ferunt ac quamdam veluti necessitudinem cum iis, quae contingunt in vita naturali, ut praeclare exponit s. Thomas (1). Quemadmodum enim homo nascitur in vita naturali, roboratur, alitur, ac, si in morbum incidit, a medicina valetudinem recuperat, deletisque omnibus morbi reliquiis, incolumitatem pristinam nanciscitur, propagatur, ac sub magistratibus cum ceteris civibus communem vitam ducit, haec ipsa in vita spirituali ope Sacramentorum homini contingunt. Haec proinde hominem semel in vitam spiritualem editum nunquam deserunt, jugiter comitantur in omnibus vitae vicibus ac variis conditionibus, in quibus reperitur; eum e mundo inferiori abducentes, evehunt ad mundum superiorem et invisibilem, ad quem ordinatus est.

8. In hypothesi vero novatorum, cum justificatio nonnisi immunitatem a poena peccatis debita per fidem in divinas promissiones significet, pronum erat minuere Sacramentorum numerum, eaque tollere, quae nullam relationem dicunt ad ejusmodi peccatorum remissionem. Quamvis porro in numero Sacramentorum, quem retinere protestantes constituerunt, magnam ab initio mobilitatem ostenderint, ac modo plura, modo pauciora admiserint (2), demum

(1) P. 3, q. 65, a. 1. Cfr. etiam Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 26.

(2) Lutherus lib. *De capt. Babyl.* fol. 276 *b*, edit. Jen. 1680, et Melanchthon, *Apol.* V, 167, VII, 200, scribit: *Vere igitur sunt Sacramenta, baptismus, coena Domini,* ABSOLUTIO, *quae est Sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus ha-*

tamen acquieverunt in numero binario, in baptismo scilicet ac sacra coena. Omnes sectae, seu potius frustula ac fragmenta, quae ex primitivo protestantismo prodierunt, licet idem principium circa justificationem non admiserint, in binarium tamen Sacramentorum numerum concesserunt, aut omnia potius rejecerunt, magis sibi cohaerentes (1).

Nos igitur avitam fidem de septenario Sacramentorum numero hic primum adstruendam suscipimus adversus sectarios omnes, qui ab ea recesserunt. Sit igitur :

PROPOSITIO

Sacramenta Novae Legis a J. C. D. N. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, baptismus videlicet, etc.

9. Haec propositio de fide est, his verbis a concilio Trid. sess. VII, can. I,

bent mandatum Dei et promissionem gratiae. Zwinglius matrimonium, Calvinus ordinationem interdum Sacramentis, quae latius dicuntur, adnumerarunt. Duo tamen primaria nominat Calvinus, *Inst.* lib. IV, 18. Iterum Melanchthon, *Apol.* VII, 200 : *Nec multum*, inquit, *referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerant aliter, si tamen recte conservent res in Scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numeraverunt*, etc. Ex quibus patet, quot quantisque dubitationibus novatores laborarent in recensendis Sacramentis ! Circa horum novatorum, Lutheri praesertim, instabilitatem in numero Sacramentorum constituendo cfr. praeter Bellarm. loc. cit. cap. 22, Starkius in *Convivio Theoduli*, seu *Entretiens philosophiques*, Paris 1818, pag. 13 et seqq. ; nec non Doctoris Christophori Besold, *Motiva sui reditus ad Rom. Cath. Ecclesiam elaborata, translata et edita*, per P. W. K. Augustae Vindel. 1828, *Appendix secunda*, pag. 319 et seq.

(1) Apposite observat Moehler, op. cit. tom. I, pag. 303 et seq. Juxta principia novatorum Sacramenta prorsus inutilia evadere ; quod et ipsi primi *Emendatores Sacrorum* viderunt. « Aussi dès le commencement de la réforme, *scribit cit. auctor*, remarquons-nous une indifférence commune pour les Sacrements ; et plusieurs, tels que Carlostad et Schwenkfeld allèrent même jusqu' à les nier d' une manière formelle. Déjà plus d' une fois Luther et Mélanchton avaient dit que l' homme ferme dans la foi aux promesses divines n' a pas besoin de ces moyens de salut. Les Sacrements, d' après cela, ne sont nécessaires qu' autant qu' ils sont le gage du perdon des péchés. Mais bientôt Carlostad fit cette observation : Celui qui a la mémoire du Sauveur a la paix avec Dieu par le Sauveur, si le Christ est notre assurance, comment des choses créées et sans âme pourraient-elles nous donner la paix et l' assurance » ? Sane Melanchthon, *Loc. Theol.* pag. 142 : « Sine signo, *inquit*, restitui Ezechias potuit, si nudae promissioni credere voluisset, vel sine signo Gedeon victurus erat, si credidisset. Ita sine signo justificari potes, modo credas ». Lutherus, *De captiv. Babyl.* fol. 280 : « Neque enim, *inquit*, Deus aliter cum hominibus egit aut agit quam verbo promissionis. Rursus nec nos cum Deo unquam aliter agere possumus, quam fide in verbum promissionis ejus. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines et cum hominibus et nobis ipsis agimus ». Ibid. fol. 280, *b* : « Qui eis credit, is implet ea, etiamsi nihil operetur ». Multo minus debuisset Calvinus admittere Sacramenta, cum in ejus hypothesi fides sit prorsus inamissibilis. Quid opus est confirmare aut excitare fidem, quae nec minui nec amitti potest ? Hinc etiam intelligimus, quare Zwinglius docuerit, Sacramenta instituta esse ad certiorem potius faciendam ecclesiam de fide, quam quispiam habet,

definita : *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Duo, ut patet, complectitur hic canon, septenarium videlicet Sacramentorum numerum et eorum institutionem a Christo Domino; probationes, quas in medium afferemus ad propositionem evincendam, utrumque conficiunt.

10. Argumenta, quae veritatem cujusque Sacramenti seorsum sumpti ostendunt, idoneo loco, cum de singulis disceptandum erit, producemus; hic interim, quae septenarium numerum proprius attingunt, eumque evincunt protulisse sufficiat.

11. Jam vero vetustissima Latinorum sacramentalia apud Martenium (1), Graecorum euchologia apud Allatium (2), Armenorum apud Serpos (3), aliarumque orientalium nationum apud Assemanum (4), etsi a Romana ecclesia pluribus ab hinc seculis fuerint separatae, septem signa ad gratiam conferendam divinitus instituta recensent. Mirae vero hujus consensionis non alia ratio afferri potest nisi apostolica traditio, juxta tritam Augustini regulam : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* (5). Augustino praeiverat Tertullianus, scribens : *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum* (6). Praesertim cum agatur de re usu quotidiano recepta, cujusmodi est collatio Sacramentorum (7).

12. Eadem est fides patrum tum Graecorum, tum Latinorum, qui, oblata sibi occasione, modo unum modo alterum Sacramentum recensent. De baptismo et sacra coena eos passim mentionem facere, adversarii ultro fatentur; sed non minus aperte de confirmatione loquuntur, tamquam de peculiari Sacramento a baptismo distincto, inter ceteros Tertullianus, Cornelius Papa, Cyprianus; de poenitentia disserunt Origenes, Tertullianus et quotquot deinceps sive adversus montanistas, sive adversus novatianos collatam a Christo Domino ecclesiae suae potestatem omnia dimittendi peccata vindicarunt; Sacramentum ordinis Joan. Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Optatus Milevitanus, Augustinus praecipue, et quotquot praeterea adversus donatistas et Aërium scripserunt, commemorant. Extremae unctionis Origenes meminit, Victor Antiochenus, Chrysostomus aliique

quam semetipsum : *Si enim :* (ait ipse, *De vera et falsa relig. comm.* tom. II, fol. 197-199) *fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo ceremoniali ad confirmationem egeat, fides tua non est.* Alia cfr. apud Moehler, loc. cit.

(1) *De antiquis Ecclesiae ritibus*, libri quatuor.

(2) *De perpetua occident. et orient. Eccles. consensione*, libri tres; tum in *Graecia ortodoxa*, et alibi.

(3) *Compendio storico di memorie cronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena*, vol. III, Venez. 1736.

(4) In *Biblioth. Orientali.*

(5) *De Bapt. contra Donat.* lib. IV; cap. 24, n. 31.

(6) Lib. *De praescript.* cap. 28, edit. Rigaltii.

(7) Cfr. Renaudot, *La perpetuité de la foi de l'Eglise Cathol. sur les Sacrements*, tom. V, liv. I, ch. I, ubi hoc argumentum egregie evolvit.

passim. Demum de matrimonio veluti de re sacra et sacramento Ignatius M., Tertullianus, Justinus, Athenagoras ac subsequentes scriptores loquuntur. Singulorum testimonia proferemus ac vindicabimus, cum de singulis sermonem instituemus.

13. Accedit argumentum ineluctabile praescriptionis, cum nulla epocha ab adversariis proferri possit, qua aliquod ex recensitis Sacramentis primum obtinuerit in ecclesia, cum patres et monumenta ecclesiastica omnia de iis loquantur tamquam de re communiter recepta et in usu posita, ut ex dicendis luculenter constabit.

14. Cum igitur Romana ecclesia nullo non tempore septem agnoverit sacramenta, ecclesiae omnes per orbem dispersae septem administraverint, sectae omnes licet antiquissimae septem admiserint, et singulorum tradendorum ritus et caeremonias diligentissime recensuerint, cum patres et monumenta omnia sacrae antiquitatis totidem a Christo instituta praebuerint, concludendum est, septem omnino esse ejusmodi Sacramenta a Christo D. N. instituta, neque plura neque pauciora, prout demonstrandum assumpsimus.

15. Si quis quaerat, utrum omnia Novae Legis Sacramenta fuerint immediate a Christo instituta, an vero quaedam solum mediate, respondemus, esse longe verisimilius omnia fuisse immediate a Christo instituta. Nam de solo Sacramento extremae unctionis esset dubitandi locus; ast concilium Tridentinum, sess. XIV, can. I, satis aperte adstruit, ipsum a Christo Domino Nostro institutum esse et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, licet tamen hoc definitum non sit.

DIFFICULTATES

16. I. Obj. 1. Nuspiam Scripturae, 2. nuspiam patres septem Sacramenta a Christo instituta commemorant. Ergo.

17. Resp. ad 1. *D.* Id est, nuspiam notis arithmeticis Scripturae *septem* Sacramenta commemorant, ea plane ratione, qua nec *duo* nec *tria* enumerant, *C.* id est, non tradunt unumquodque ex septem Sacramentis *N.* Protestantes prius privato sensu exponunt Scripturas, et alia omnino ratione sumunt, quae de Sacramentis in Scripturis occurrunt, deinde negant septem Sacramenta in Scripturis contineri. Verum enim vero, cum hic agatur de re practica, quamque ecclesia in usu quotidiano habuit etiam antequam Scripturae ederentur, ex sensu et usu ecclesiae germana interpretatio locorum sacrae Scripturae, in quibus de Sacramentis mentionem occurrere dicimus, eruenda est. Cum igitur ecclesia septem semper administraverit Sacramenta, ac aetates aetatibus ea per manus tradiderint, loca illa Scripturarum, quae catholici proferunt, de Sacramentis in usu receptis mentionem injicere nulla subesse potest dubitatio (1).

18. Ad 2. Eadem esto distinctio. Nam nonnisi data opportunitate patres de uno aut altero, quandoque etiam de

(1) Profecto, quum oboritur dubium circa sensum alicujus loci aut Demosthenis aut Ciceronis alteriusve antiqui scriptoris, in quo sermo sit de re practica, quid praestandum docent canones critices? Attendendum scilicet esse ad usus, qui in republica aut regno invalescebant: ad quos ea dicta referuntur; ex his enim usibus, praesertim si constantes sint ac universales, determinatur sensus eorundem scriptorum. Non alios canones sequuntur adversarii in interpretatione veterum scriptorum; at anticipatis judiciis abrepti in re nostra viam illam deserunt. Malunt nempe haeretici potius esse quam critici.

pluribus Sacramentis disseruerunt. Si simul conferantur patrum testimonia, in quibus aut alicujus Sacramenti virtutem exponunt, aut aliquod eorum vindicant ab haereticorum impugnatione, luculenter septenarius eorum numerus adstruitur, ut ex dicendis planum fiet.

19. Inst. Atqui septenarium numerum patres excludunt. Etenim 1. si alicubi de Sacramentis ex instituto loquuntur, bina aut terna a Christo instituta affirmant. Sic s. Justinus in *Apologia I.* solum meminit baptismatis atque eucharistiae (1). Idem praestitit s. Cyrillus Hierosolym. in *Catechesibus mystagogicis* nec non s. Ambrosius, quamvis sex de Sacramentis libros ediderit, ac in lib. VI. professus sit, se nihil de hoc argumento praetermisisse, dicens: *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia* (2). S. Gregorius M. in suo *Sacramentario* tria tantum recenset: *Baptisma, Chrisma, Corpus et Sanguinem Domini* (3). S. Augustinus vero duo sacramenta constanter adstruit, tum *Enarr. I. in Ps. CIII*, 14, ubi referens Sacramenta ob *disciplinam arcani* profanis abscondita, duo tantum profert, dicens: *Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, Sacramentum eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et pagani, Sacramenta vero occultantur illis;* tum lib. III. *De doctrina christiana*, cap. IX, ubi Sacramenta N. L. cum Sacramentis V. L. comparans: *Quaedam pauca*, inquit, *pro multis, eademque factu facillima et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis et Sanguinis Domini*. 2. Quod si interdum videtur plura commemorare Sacramenta, latiori quodam sensu ac improprio Sacramenti nomen usurpat s. Doctor, ut patet ex lib. II. *De Peccat. merit.* cap. XXVI. scribens: *Catechumenos secundum quemdam modum suum, per signum Christi, et orationem manus impositionis, puto sanctificari; et quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est*. 3. Hinc receptum passim apud patres, ut verba Joan. XIX, 34: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua*, exponant mystice de duobus Sacramentis, baptismate videlicet et eucharistia, quae ex Christi latere fluxerunt, ut Chrysostomus, Cyrillus Alex., Augustinus. 4. Unde ergo acceperunt Pontificii, septem esse Sacramenta, nisi ex visione mulieris fornicariae sedentis super bestiam habentem capita septem et cornua decem, prout hujus mysterii explicationem dedit Angelus, Apocalyp. XVII, 7 et seqq. (4), vel a septem morbis mulieris a Christo sanatae (5)? Ergo.

20. Resp. *Neg. min. subsumptam*. Ad 1. prob. *D.* Juxta scopum sibi propositum duo aut tria Sacramenta interdum patres commemorant, *C.* in sensu, ut ajunt, exclusivo *N.* Cum enim patres numquam ex instituto egerint de Novae Legis Sacramentis, factum proinde est, ut, nonnisi quando sese praebebat occasio, de uno vel altero scripserint, quin cetera excluserint, ut jam innui-

(1) N. LXV et LXVI.

(2) Cap. II, n. 5.

(3) Apud Gratian. in cap. *Multi secularium*. Cfr. apud Petrum Pitoeum, *Corpus juris canonici*, etc. Paris. 1687, tom. I, pag. 135.

(4) Ita Chemnit. II p. *Exam. conc. Trid.*

(5) Wegsch. § 166, n. (e).

mus, eo vel magis quod ita ferret recepta tunc temporis arcani disciplina (1).

21. Sane s. Justinus ideo quadam necessitate compulsus meminit baptismatis et eucharistiae, quia ethnici ex occasione nostrorum rituum calumniam struxerant in christianos, quod caedes thiesteas frequentarent, ac foeda quaeque in clancularis coetibus suis patrarent. His calumniis Judaeorum malitia et flagitiosa gnosticorum vivendi ratio ansam praebuerunt (2).

22. S. Cyrillus Hierosolym. et s. Ambrosius sibi non proposuerunt in laudatis operibus plenam fidelibus instructionem de omnibus Sacramentis suppeditare; volebant tantum ea docere catechumenos, quae spectabant ad tria illa Sacramenta, quae simul ipsis tradebantur, nempe ad baptismum, confirmationem et eucharistiam. Sane s. Ambrosius, ut refert ejus biographus Paulinus assiduus erat in excipiendis confessionibus, et potestatem clavium acriter defendit adversus novatianos (3).

23. S. Gregorius in *Sacramentario* ea potissimum complexus est, quae pertinent ad sacram liturgiam in celebratione Missae solemnis; attamen vel in hoc ipso *Sacramentario* ritum exponit administrationis olei infirmorum. Verba autem, quae a Gratiano referuntur, spuria sunt (4).

24. S. Augustinus in eadem *Enarrat.* jam dixerat: *Respice ad munera ipsius Ecclesiae. Munus Sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis* (5); ergo alia innuit esse Sacramenta proprie dicta praeter duo recensita. Quod si plura affirmat fuisse Sacramenta in Veteri Lege quam in Nova, non idcirco consequitur, eum duo tantum agnovisse Sacramenta in Lege Nova. Ideo vero hic baptisma tantum et eucharistiam in exemplum adducit, quia haec satis erant ad ostendendam majorem facilitatem Sacramentorum nostrorum prae Sacramentis Veteris Testamenti, prout sibi proposuerat.

25. Ad 2. *D.* Interdum latiori sensu s. Doctor Sacramenti nomen usurpat, *C.* semper, loquens praesertim de iis, quae nos vere et proprie Sacramenta esse contendimus *N.* Etenim, lib. II. *Contra Epist. Parmeniani*, ita loquitur de baptismo et ordine: *Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica* (Ecclesia) *utrumque non*

(1) Cfr. Emman. a Schelstrate in *Dissert. apolog. de disciplina arcani*, Romae, 1685, capp. II et III; ubi ostendit, Veteres consuevisse occultare infidelibus et catechumenis non solum Sacramenta baptismi et eucharistiae, verum etiam Sacramenta reliqua: quod speciatim ostendit de Sacramentis confirmationis, ordinis, olei sancti, in medium productis patrum et ecclesiasticorum scriptorum testimoniis. Hanc obtinuisse disciplinam, ex haereticis fatentur Tentzelius, Albertinius, Casaubonus apud eundem.

(2) De praecipuis christiano nomini affictis criminibus, eorumque origine cfr. Maran, *Praefat.* in opera s. *Justini M.* part. III, cap. 4, § 1 et seqq.

(3) Cfr. vita s. Ambrosii a Paulino ad B. Augustinum conscripta, n. 39, ad calcem opp. s. Ambros. edit. Maur. Cfr. etiam *Admonitio* eorundem editorum Maur. in libros *De poenitentia* ejusdem s. Doctoris, opp. tom. II.

(4) Scilicet recitata verba non sunt s. Gregorii, sed s. Isidori Hispal. *Originum seu Ethymol.* lib. VI, cap. 19, qui certe non loquitur sensu, ut ajunt, exclusivo; alibi enim de aliis Sacramentis disserit.

(5) Num. 9.

licet iterari (1); et lib. II. *Contra Litter. Petiliani : Sacramentum chrismatis*, inquit, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis* (2), scilicet propter characterem. En duo alia Sacramenta proprie dicta praeter baptismum, juxta s. Augustinum. De poenitentia vero, lib. I. *De adulterinis conjugiis*, scribit : *Quae baptismatis, eadem reconciliationis est causa* (3). Matrimonium pariter Sacramentum passim vocat sensu proprio in libro *de bono conjugali*, atque ita concludit : *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fecunditas uteri* (4). Denique extremam unctionem lib. V. *De Baptismo*, cap. XX. inter Sacramenta recenset, quae a malis ministris valide conficiuntur, vocatque *benedictionem olei* (5). Quibus si addas eucharistiam, habes septem Sacramenta vere et proprie dicta in s. Augustino.

26. Ad 3. *D.* Nonnulli patres mysticam illam interpretationem ediderunt, quin reliqua Sacramenta excluderent, *C.* omnes, et sensu exclusivo aliorum Sacramentorum *N.* Aliqui patres, mysticam significationem sectantes, adumbrata dixerunt duo illa Sacramenta, sive ob analogiam baptismi ad aquam, et eucharistiae ad Sanguinem manantes ex Christi latere, sive quia praecipua haec Sacramenta sunt; baptisma quidem propter summam suam necessitatem, eucharistia autem ob summam suam excellentiam ac dignitatem. Reliqua Sacramenta patres citatos noluisse excludere, vel ex eo abunde liquet, quod iidem reliqua alibi commemoraverint a Christo Domino instituta. Ceterum alii patres alias mysticas significationes in aqua et Sanguine agnoverunt, nec ii ipsi in illa expositione constantes fuerunt (6).

27. Ad 4. Resp. ejusmodi sannas et scurrilitates dedecere gravitatem controversiae summi momenti, qualis est ea, quam agitamus. Qui haec obtrudunt, non advertunt se inter capita bestiae connumerare baptismum et eucharistiam. Quo non impellit haereticus furor?

28. II. Obj. Frustra catholici jactant orientalium ecclesiarum consensionem. Etenim 1. notum est, nonnisi post seculum XII coepisse Latinos septenarium Sacramentorum numerum propugnare. 2. Porro ea ipsa aetate institutae sunt a Latinis expeditiones ad orientalis orbis plagas; Constantinopolim, Palaestinam, imo et Syriam occuparunt; a Latinis proinde tum Graeci tum orientales po-

(1) Cap. 13, n. 98.
(2) Cap. 104, n. 239.
(3) Cap. 38, n. 35.
(4) Cap. 28, n. 21.
(5) N. 27 et 28.
(6) Ita s. Ambrosius, qui *In Luc.* lib. x, n. 135, scribit; *Aqua et Sanguis exivit, illa quae diluat, iste qui redimat.* S. Augustinus ipse, *Tract.* CXX *in Joan.* n. 2. exponit etiam de commixtione aquae cum vino in celebratione eucharistiae, dicens : *Aqua illa salutare temperat poculum.* Tertull. lib. *De baptismo*, cap. 16, interpretatur de duplici baptismo aquae et sanguinis seu martyrii : *Hos duos baptismos*, inquit, *de vulnere perfossi lateris emisit;* ubi cfr. not. Rigalt. De duplici pariter baptismo eundem locum exponit s. Cyrill. Hierosolym. *Cathc.* III, n. 10, dicens : « Qui orbem per Crucem redemit Salvator, latus transfixus Sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore per aquam, alii vero persecutionum temporibus propriis sanguinibus baptizarentur. Nam et martyrium baptismi nomine significare suevit Servator », etc. Alii alias expositiones secuti sunt. Cfr. Cornel. a Lap. in Joan. cap. 19, v. 34. Cfr. etiam Bellarminus, lib. cit. cap. 27, num. 3.

puli illam doctrinam mutuati sunt. 3. Ceterum neque omnes constantes in hac professione fuerunt; siquidem plures missionarii, quos vocant, Graecos accusarunt, quod non omnia Sacramenta admittant. Thomas a Jesu et Guido Carmelitae, et Jobus Ludolfus eandem accusationem intentarunt adversus Aethiopes et Abyssinos (1), Maturinus autem Veyssierius Lacrozius adversus Armenos ac nestorianos Malabaricos (2). Mirum porro non est, ejusmodi gentes unum aut alterum Sacramentum non agnoscere; siquidem ea aetate, qua Latini appulerunt ad oras Asiaticas, nondum satis firmiter constitutus fuerat septenarius Sacramentorum numerus. 4. Nam Magister sententiarum, Hugo a s. Victore, b. Bonaventura autumarunt confirmationis et extremae unctionis Sacramenta ab Apostolis instituta fuisse, vel etiam a concilio Meldensi, sec. ecclesiae IX; ut de confirmatione affirmat Alexander Alensis. Jacobus autem de Vitriaco, Durandus aliique ab ipso adducti matrimonium a Sacramentorum albo excludunt. 5. Quae cum ita se habeant, merito Cyrillus Lucaris patriarcha Constantinopolitanus in fidei professione, art. XV. testatur: *Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum Sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo Legislatore Christo sancita*. Ergo.

29. Resp. ad 1. *D.* Id est, post seculum XII coeperunt scholastici conceptis verbis septenarium numerum Sacramentorum propugnare, *Tr.* in ecclesiam tum primum illum Sacramentorum numerum intulerunt *N.* Quemadmodum in reliquis fidei nostrae articulis factum est, ut per scholasticam methodum in certas classes redigerentur ac propugnarentur, id ipsum contigit in fidei articulis de re sacramentaria; at aliud est novam methodum adoptare in tradenda ac propugnanda doctrina catholica, aliud vero novam doctrinam obtrudere. Quomodo enim scholastici potuerunt primi invehere septem Sacramenta, si extant libri rituales Latinorum et Euchologia Graecorum et Orientalium, quae longe superant aetatem scholasticorum, et in quibus septem Sacramenta recensentur, et cujusque administrandi ritus describitur?

30. Ad 2. *N.* quia 1. Euchologia Graecorum pluribus seculis Latinorum expeditionem antecedunt (3); 2. quia summa viget rituum diversitas in administratione Sacramentorum, ob quam frequentes inter ecclesias orientales et occidentales extiterunt querelae; 3. quia spectata Orientalium indole, aemulatione, simultate adversus Latinos, impossibile id ipsis vel tentare fuisset (4).

31. Ad 3. *N.* Nam plerumque missionarii aut incertis testimoniis aut rituum

(1) Jobus Ludolfus, *Historia Aethiopica*, Francof. ad Moenum, 1681, vol. 1, fol. lib. III, cap. V, n. 44, ubi scribit: *Pergimus ad Sacramenta, quorum* (Abyssini) *neque commune nomen, neque numerum habent. Confirmationem et Extremam Unctionem plane ignorant*. Ac rursum in op. *Commentarius ad Hist. Aethiop.* edit. ibid. anno 1691, lib. III, cap. I, eadem confirmare nititur auctoritate Godigni et Tellezii S. J.

(2) *Hist. Christianismi Indor.* Hagae Comitum, 1724.

(3) Satis est oculos conjicere in syllabum Ritualium praemissum a Martenio operi suo *De antiquis Eccles. ritibus*, ut pateat, plures mss. cod. longe excedere aetatem, qua expeditiones in Palaestinam sub Urbano II coeperunt, post annum 1088. Cfr. etiam Renaudotius, *De perpet. Fid.* tom. V, lib. I, cap. 7.

(4) Si unquam alias viguerunt simultates

diversitate decepti sunt ; Ludolphus vero ac Lacrozius, utpote haeretica labe infecti, decipere voluerunt. Ceterum adversus eos omnes prostant publica documenta, quae omnem dubitationem amoliuntur (1).

32. Ad 4. *D.* Id est, censuerunt illi scholastici duo recensita Sacramenta non fuisse instituta a Christo immediate, sed solum mediate nempe per Apostolos, *Tr.* fuisse instituta ab apostolis auctoritate propria *N.* Nihil porro officit fidei illa sententia, quam adhuc tenent quidam theologi, nec detrahit numero Sacramentorum. Alex. Alensis cum ceteris convenit, confirmationem esse Sacramentum ; quod nobis satis est. Quod vero institutam ipsam censuerit in concilio Meldensi, peculiaris ejus fuit sententia, in qua graviter hallucinatus est ; nec quempiam habuit sectatorem (2).

33. Jacobus de Vitriaco et Durandus nunquam inficiati sunt matrimonium vere et proprie esse Sacramentum, ut suo loco ostendemus ; sed tantum voluerunt, matrimonium in remedium concupiscentiae praesertim fuisse institutum (3). Durandus praeterea suam sententiam emollivit, eo quod in aliorum reprehensionem incurrerit, ut pariter agendo de hoc Sacramento ostendemus.

34. Ad 5. Resp. Cyrillum Lucarim, qui sese auro hollandico devoverat, aperte mentitum fuisse, dum haereticam suam professionem pro confessione ecclesiae graecae obtrusit. Hinc jure merito in synodo Hierosolymitana, anno 1672 celebrata, dicitur : *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex apostolica traditione praxique perpetua, septem Ecclesiae Sacramenta, baptismum scilicet*, etc. . . . *sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita, baptismum scilicet et eucharistiam*. Eidem synodo jam praeiverat Jeremias patriarcha Constantinopolitanus (4). Nunc fraude de-

inter Graecos et Latinos, maxime istae exarserunt hoc ipso tempore, quo Latini Constantinopolim occupabant ; eo quod Graeci ob eam, quam prae se ferebant, indolem fraudulentam nimium ac versipellem duriuscule a Latinis tractarentur. Cfr. Renaudot. loc. cit.

(1) Cfr. Leo Allatius, *De eccles. Orient. et Occident. perpetua consens.* lib. III, disputans advers. Anton. Caucum Archiep. Corcyrensem, nec non Renaudotius, op. cit. cap. I et seqq. Certe Ludolphus plura conatur Abissynis et Aethiopibus affingere dogmata lutheranorum propria. Ex quo patefit nimia ejusdem Scriptoris propensio in suam sectam.

(2) Nonnulli quaerunt emollire aut alio vertere mentem Alexandri Alensis ; ast irrito labore. Ejus verba in *Summa Theol.* part. IV, q. IX, memb. I, *resol.* haec sunt : *Institutum fuit hoc Sacramentum* (Confirmationis) *Spiritus S. instinctu, in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi*. Cfr. edit. Venet. 1575. Digni aliqua venia sunt scholastici illi, qui ea aetate scripserunt, quae laborabat inopia monumentorum, quibus nos abundamus.

(3) Cfr. Estius *In lib.* IV *Sent.* dist. 26, § 9.

(4) De hoc Cyrillo Lucari simoniaco, intruso et haeretico patriarcha Constantinopolitano cfr. Leo Allat. op. cit. lib. III, cap. XI, qui fuse de eo scribit, et calvinistarum fraudes omnes detegit ; ac refert praeterea ingentes pecuniae summas ab iis erogatas tum ipsi Cyrillo Lucari ad extorquendam ab eo haereticam confessionem, tum etiam aliis ab ejus revocationem obtinendam ab exilio, in quod fuerat conjectus ob tumultus ac turbas in eundem excitatas a contribulibus suis ob haereticam, quam profitebatur, doctrinam. Cfr. etiam Renaudotius, op. cit. lib. I, capp. 5, 6 et 7.

tecta, ac veritate compulsi, protestantes ejusmodi patrocinatorem deseruerunt.

35. III. Obj. Si patribus et scholasticis standum esset, plura quam septem deberent admitti Sacramenta. 1. Etenim alii monasticam professionem et preces pro defunctis oblatas Sacramentis adnumerant, ut Graeci passim; alii virginitatem et martyrium, ut Tertullianus, et Hieronymus saltem quoad martyrium; alii aquam lustralem, cineres in capite jejunii benedictos, paschales cereos aliaque ejusmodi, ut Hugo Victorinus; 2. alii potissimum pedum lotionem, ut ss. Ambrosius et Bernardus. 3. Et sane huic neque divina deest institutio, nec ritus sensibilis, neque divinae gratiae promissio; ut colligitur ex illis Christi verbis ad Petrum, Joan. XIII, 8: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. 4. Hinc recepta olim ejusmodi lotio in ecclesia ante baptismi collationem. 5. Theologi insuper tria passim baptismata distinguere consueverunt, fluminis, flaminis et sanguinis; septem etiam ordines tamquam totidem habent Sacramenta. Ergo.

36. Resp. *Neg. antec.*, ad 1. prob. *D.* Analogice seu quoad effectum collatum cum effectu baptismatis et poenitentiae ex dispositionibus eorum, qui aut vota religiosa nuncupant aut virginitatem profitentur aut martyrium subeunt, *C.* vere et proprie dictis Sacramentis adnumerant *N.* (1). Quod praesertim attinet ad Hugonem Victorinum, quae recensita sunt, vocat Sacramenta latiori sensu pro *sacramentalibus*, quatenus *salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur*, ut semet fusius explicat (2).

37. Ad 2. *D.* Significatione, *C.* efficacia *N.* Ita exponendi sunt ss. Ambrosius et Bernardus, quando lotionem pedum vocant *Sacramentum*, quatenus scilicet significat remissionem peccatorum venialium, superbiae et concupiscentiae coërcitionem per opus humilitatis, quod per illam ablutionem exercetur; neuter enim affirmavit, remissionem peccatorum per se conferri ejusmodi lotione. Profecto, si ad hoc instituta fuisset pedum lotio quotidie frequentaretur in ecclesia; jam vero nonnisi semel in anno, nec ubique usurpatur.

38. Ita explicantur, quae scribit s. Ambrosius lib. *De Mysteriis: Ideo planta ejus abluitur, ut haereditaria peccata tollantur* (3), idest, superbia,

(1) Cfr. Renaudotius, ibid. cap. 8; ubi etiam solvit difficultatem petitam ex Dionysio vulgo Areopagita nuncupato, qui visus est aliquibus nonnulla alia numerare Sacramenta; ac ostendit hunc auctorem tantum agere de ministeriis, quae ab episcopis cum solemnitate celebrantur; et solvit, quod sibi objecerat Allatius loc. cit.

(2) Cfr. ipse Hugo de s. Victore, opp. tom. III, Venet. 1588, tum in opere *De ceremoniis, Sacramentis, officiis*, etc. lib. I, cap. 12, ubi expresse *septem* esse docet Sacramenta, quae in ecclesia ministrantur, de quibus etiam singillatim agit; tum in *Dialogo* de Sacramentis legis naturalis et scriptae, ubi fol. 184 *b*, distinguit inter Sacramenta, quae improprie dicuntur, et ea, quae proprie talia sunt. Priora affirmat in sola significatione consistere, posteriora in significatione et efficacia. Cum porro docuisset, Sacramenta in tribus consistere, *rebus*, *verbis*, *factis*, enumeraus res, in quibus potest haberi ratio signi affirmat esse: *in aqua*, *in pane*, *in vino*, *in sale*, *in cinere*, *in oleo*, *in igne et in ceteris hujusmodi*. Ex his patet, qua ratione haec dixerit Sacramenta, nempe ratione signi et significationis rei sacrae, ad quam adhibentur. Eadem tradit in tract. IV, *De Sacramentis in generali*, ibid. cap. I fol. 205.

(3) Cap. VI, n. 32. In quem locum adnotant Maurini editores, citatis s. Ambrosii

concupiscentia, etc., ut exponunt Maurini editores. Item quae scribit lib. III. *De Sacramentis*, cap. I, n. 5: *Mysterium est et sanctificatio* (1), nempe *dispositive*.

59. Sic cum s. Bernardus in *Serm. de Coena Domini*, n. 2. ait: *In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praestaretur. Ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus initium Sacramentorum omnium*. Et n. 4: *Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem*. Cum, inquam, haec hisque similia ibidem protulit s. Pater, nonnisi improprie ac sola significatione Sacramenta esse intendit, prout animadvertit Mabillonius. Quod pariter intelligi debet, cum hanc pedum ablutionem confert cum baptismate et eucharistia, quibus longe diversam efficaciam tribuit, in hoc ipso Sermone, quam tribuerit pedum ablutioni (2).

Eodem sensu exponendus Arnoldus

verbis non significari ipsum originale peccatum, sed concupiscentiam, quae, quatenus a peccato est et ad peccatum inclinat, ab Apostolo peccatum vocatur. Putavit igitur s. Antistes per pedum lotionem peculiarem gratiam conferri ad resistendum huic *lubrico delinquendi*, *lubrico calcanei*, *lubrico haereditatis*, ut ipse alibi loquitur, et quidem quatenus *majus subsidium sanctificationis* suppeditat ejusmodi fidei ac devotionis exercitium.

(1) In hunc locum cfr. pariter eorundem editt. notae. Ceterum s. Ambrosius, seu quisquis est auctor horum librorum *De Sacramentis*, de quo vid. praefat. Maurin. fatetur hoc ipso in loco, hanc consuetudinem pedes lavandi in administratione baptismatis apud ecclesiam Romanam non obtinuisse. Insuper, ibidem n. 7. subdit hic auctor: « Respondit illi Dominus... qui lavit etc. Quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio ». Ex his magis mens ejus dignoscitur.

(2) Hoc pro certo tenendum est, s. Bernardum noluisse alia Sacramenta admittere, quam quae in ecclesia Romana agnoscebantur et administrabantur, ac propterea *materialem* pedum ablutionem minime pro vero ac proprie dicto Sacramento habuisse. In quaestionem proinde criticam et exegeticam recidit controversia, quid nempe sibi voluerit mellifluus Doctor, dum talia de lotione pedum scripsit. Alii in alias sententias dilabuntur, cum illius verba explanant. Carol. du Plessis d' Argentrè in peculiari opusculo, quod exaravit de hoc argumento, censet, s. Bernardum sub materiali lotione pedum spiritualem ablutionem quotidianorum peccatorum per confessionem obtinendam designasse. Quod quidem ostendit, 1 ex scopo s. Patris, inducendi fratres suos ad harum levium noxarum confessionem; 2. ex disciplina, quae vigebat adhuc aetate s. Bernardi in ecclesia, ut fideles graviora peccata confiterentur in capite quadragesimae, leviora, quae contrahi poterant toto quadragesimae tempore, feria V in Coena Domini; 3. ex contextu ipso, ex quo patet, s. Doctorem per caput et manus seu brachia intellexisse peccata lethalia, per pedes autem venialia; 4. ex adhortatione ad frequentandam quotidianam hanc pedum ablutionem, quae certo de materiali ipsa pedum lotione intelligi nequit. Ex his concludit cit. auctor, s. Bernardum spectasse *materialem* lotionem pedum, in ultima coena a Christo institutam, ut figuram spiritualis ablutionis quotidianorum peccatorum per confessionem. Quod si de sacramentali confessione locutus est s. Doctor, patet nullam amplius ex

abbas Bonae Vallis, auctor Sermonis de Ablutione pedum, qui sub s. Cypriani nomine olim proferebatur (1).

40. Ad 3. *D. Non habebis partem mecum* ob inobedientiam, *C.* ex defectu pedum ablutionis in se spectatae *N.*

41. Ad 4. *D.* Recepta erat in aliqua particulari ecclesia, *C.* in ecclesia universali *N.* Etenim hunc ritum, latente ipso s. Ambrosio, non servabat ecclesia Romana; imo nec servabant ecclesiae Africanae, aliaeque permultae. Verum hoc ipso, quod in nonnullis ecclesiis ante baptismi collationem hic ritus in usu esset, liquet eum in Sacramentorum album minime fuisse susceptum. Nam baptismus velut Sacramentorum janua semper habitus est.

42. Ad 5. *D.* Improprie dicta, *C.* proprie dicta *N.* Baptismata enim flaminis et sanguinis nonnisi analogice baptismata dicta sunt; septem vero ordines Sacramenta interdum fuerunt vocati tamquam *partes totius potentialis*, ut loquitur s. Thomas (2), non autem quod habiti fuerint veluti totidem Sacramenta distincta.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS EFFICACIA SIVE EFFECTIBUS

43. Duo recensentur Sacramentorum Novae Legis effectus, gratia sanctificans et character. Prior competit omnibus Sacramentis, posterior tribus tantum, Baptismo scilicet, Confirmationi et Ordini. Rursum gratia in duobus Sacramentis, baptismo nempe et poenitentia, primo *confertur*, exitialis culpae labe profligata; eadem mirum in modum per Sacramenta reliqua *augetur*. Invaluit porro usus, ut gratia illa, qua primum justificatio per duo illa Sacramenta confertur, dicatur *gratia prima;* altera vero, quo adepta justificatio per Sacramenta reliqua augetur, appelletur *gratia secunda:* vel etiam ut Sacramenta, quibus primum justificatio tribuitur, nuncupentur Sacramenta *mortuorum;* cetera, quibus ejusdem justificationis incrementum confertur, dicantur Sacramenta *vivorum*. Praeter gratiam Sacramentis omnibus communem alia quaedam singulorum propria distinguitur, quae *gratia sacramentalis* vocari consuevit, ad peculiarem cujusque Sacramenti effectum exprimendum. Haec vero gratia Sacramentalis ratione sui non distinguitur a gratia sanctificante seu habituali; ratione effectus adjicit gratiae sanctificanti opportunam opem ad *Sacramenti finem* obtinendum.

44. *Character* vulgo definitur: *Signum quoddam spirituale et indelebile in anima impressum*, quo qui insigniti sunt, deputantur ad recipiendum vel

ejus verbis peti posse difficultatem. Sed cfr. auctor ipse in op. *Variae disputationes Theologicae ad opera Martini Grandin.* Paris 1712, pag. 208.

(1) Pamelius ad haec Arnoldi abbatis verba: « Ultima lavacri species quotidianis expiationibus commodata » *scribit:* « Poenitentiam haud dubie intelligit; nempe qua (ut paulo post inquit) adhaerentes animae sordes quotidiana satisfactione lavantur ».

(2) *Suppl.* q. 37, a. 1, ad 2: « Divisio Ordinis, *inquit*, non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potentialis, cujus haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius; et ita est hic; tota enim plenitudo Sacramenti hujus est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis . . . et ideo omnes ordines sunt unum Sacramentum ». Ad haec si attendisset Calvinus, minime scripsisset, ex mente catholicorum hoc Sacramentum esse *A-*

tradendum aliis ea, quae pertinent ad cultum Dei, ut loquitur s. Thomas (1).

45. Utrumque effectum novatores Sacramentis denegant. Nam 1. juxta systema superius expositum, gratiae conferendae vim fidei soli adscribunt, quae per Sacramenta excitatur vel nutritur; et ad hunc finem unice instituta esse Sacramenta autumant. 2. Nullum propterea intrinsecum discrimen agnoscunt inter Veteris et Novae Legis Sacramenta. 3. Contendunt, verba, quibus Sacramenta conficiuntur, esse concionatoria non autem consecratoria. 4. Invehuntur proinde in illam dicendi formulam, a Tridentinis patribus adscitam, quod scilicet Sacramenta novae legis gratiam conferant *ex opere operato*, tamquam in verborum monstrum calumnianturque catholicos, quasi docerent, Sacramenta gratiam adultis tribuere *absque bono ipsorum motu*, seu absque dispositionibus. 5. Denique characterem rident, utpote *Veteribus ignotum, et magis consentaneum incantationibus magicis, quam sanae Evangelii doctrinae*, ut loquitur Calvinus (2).

46. Catholici contra, ex opposito principio de fide dispositive tantum justificante, docent, 1. Sacramentis Novae Legis inesse propriam quamdam efficientiam vereque suam, seu Sacramenta continere gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre ex vi ipsis a Deo indita atque, ut ajunt, *ex opere operato* (3). Quapropter docent, 2. esse intrinsecum discrimen inter Veteris ac Novae Legis Sacramenta. 3. Quod consequens est, affirmant, verba, quibus conficiuntur Sacramenta, esse consecratoria, non autem concionatoria, nec tamen ex parte suscipientis, si adultus sit, necessarias dispositiones excludunt, imo plane eas requirunt, cum ex ecclesiae doctrina sine ipsis, seu sine *bono motu*, fructus nullatenus percipi possit. 4. Demum docent, in tribus, quae recensuimus, sacramentis imprimi characterem, quo fit, ut ea absque piaculo iterari non possint.

47. Cum igitur totius controversiae caput, ex quo cetera pendent, quae spectant ad hanc gratiae producendae vim, consistat quoad priorem effectum in efficacia, quam Sacramentis inesse diximus gratiae conferendae, in hoc praecipuo capite vindicando operam nostram impendemus.

Hoc enim semel constituto, reliqua in quibus a catholica doctrina dissident novatores, sponte veluti sua concidunt. Quare, ad temporis compendium faciendum, ex vindicata Sacramentorum Novae Legis efficacia, reliqua ceu totidem

deo foecundum, ut septem ex se Sacramentula pariat (*Instit.* lib. IV, cap. 19, § 22). Verum de hoc suo loco.

(1) P. 3, q. 63, a. 3.

(2) In *Antidoto Conc. Trid.* Sess. VII, can. 9 et alibi passim; ipsi praeiverant Wicleffus, *Trialogi* lib. IV, cap. 15; Lutherus, *De captiv. Babyl.* Quos ceteri haeretici secuti sunt; quorum dicteria non vacat proferre.

(3) Circa vim hujus locutionis seu dicendi rationis, *ex opere operato*, cfr. Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 1; ubi malam adversariorum fidem detegit in hujus dicti interpretatione, ut absurda affingant catholicae doctrinae. Hac enim perpetua fraude haeretici omnes usi sunt. Deinde clare ac nitide exponit sensum hujus formulae, dicens perinde esse dicere: « Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, ac, conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis vel suscipientis ». Id ipsum ceteri theologi toties declararunt, praesertim Estius, *In* IV *Sent.* d. 1, § 7. Sed haeretici aures habent, et non audiunt.

corollaria, quae ex eo dimanant, colligemus.

48. Permisceri autem non debet dogmatica haec controversia cum domestica concertatione, quae in scholis agitatur circa modum, quo Sacramenta gratiam producant, utrum scilicet, ut passim thomistae contendunt, per efficientiam *physicam*, an vero, ut plerique alii theologi cum scotistis existimant, per solam efficientiam *moralem*. Nostrum non est hanc attingere quaestionem. Posterior tamen sententia nobis longe clarior videtur juxta quam applicatio ritus, quo Sacramentum constat, Deum movet infallibiliter, ut vi datae a se fidei et factae institutionis gratiam et characterem recipientibus conferat. Scholastici de hac Sacramentorum efficientiae ratione fuse disserunt. Qui eam propterea intimius cognoscere cupit, eos adeat (1). Nos interim adversus fidei catholicae osores sequentes propositiones statuimus.

PROPOSITIO I.

Sacramenta Novae Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato

49. Est haec propositio de fide quoad omnes suas partes, ut constat ex quatuor canonibus conc. Tridentini, sess. VII, qui ita se habent: Can. V: *Si quis dixerit haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit*. Can. VI: *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit*. Can. VII: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus: anathema sit*. Can. VIII: *Si quis dixerit per ipsa Novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit*.

50. Sic porro veritatem nostrae propositionis adstruimus: Sacramenta Novae Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque conferunt non ponentibus obicem, et quidem ex opere operato, seu ex virtute sibi insita et propria, si Scripturae, patres, ac perpetuus denique et constans ecclesiae sensus ritibus ipsis officiisque exterioribus, quibus Sacramenta conferuntur, gratiam tribuunt hominisque sanctificationem; atqui ... ergo, etc.

51. Etenim Christus, Joan. III, 5 de baptismo loquens ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Item Paulus, Ephes. V, 25: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans la-*

(1) De statu quaestionis cfr. Bellarm. *De Sacram.* lib. I, cap. I. Circa controversiam scholasticam pro sententia de *causa physica* cfr. inter ceteros Drouenius, *De re sacramentaria*, lib. I, cap. 2; Suarez in 3 part. s. Th. q. 62, disp. 9 sect. 1 et 2, qui tuetur sententiam thomistarum. Pro sententia contraria cfr. Vasquez, in 1 part. s. Th. disp. 176; Card. Lugo, S. J. *De Sacrament.* disp. IV, sect. 5; Frassen O. M. *Scotus Academicus*, tom. III, disp. proœmiali, art. 1, q. 2, concl. 2.

vacro aquae in verbo vitae ; atque Ad Tit. III, 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*. Hinc etiam Petrus, Act. II, 38, dicebat compunctis Judaeis : *Baptizetur unusquisque vestrum ... in remissionem peccatorum ;* et ibid. XXII, 16, Ananias Saulo : *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua*. Si igitur per baptisma *renascimur, mundamur, salvamur, renovamur, remittuntur nobis peccata, imo et abluuntur*, dicendum profecto est, hanc ex Scripturis baptismo inesse virtutem, non vero per ipsum fidem tantum excitari ad ejusmodi effectus obtinendos, quod nuspiam Scripturae docent. Idipsum de ceteris Sacramentis dicatur, ut cum perhibetur *per manuum impositionem dari Spiritum Sanctum*, nempe per confirmationem, Act. VIII, 17 et 18, tum *remissionem peccatorum* per poenitentiam, Joan. XX, 23, aut per eucharistiam *vitam aeternam*, ibid. VI, 55 et seqq. Quibus sane nihil luculentius in rem nostram dici potest.

52. Quare patres constanter tradiderunt, Sacramenta vigere sanctitate propria et ex se parere gratiam, ubi suscipiens impedimenta non opponat. Unus vel alter audiatur sive ex Graecis sive ex Latinis. S. Basilius, *Homil. XIII*, affirmat, per baptisma *renovari animam;* et paulo post : *Baptismus ergo*, inquit, *est peccati mors, animae regeneratio, adoptionis gratia* (1). Sed praestat audire Gregorium Nyssenum, qui in *Orat. in Christi baptisma*, non solum ipsum vocat *expiationem peccatorum, remissionem delictorum, renovationis ac regenerationis causam ;* sed praeterea subdit : *Aqua cum nihil aliud sit quam aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quae mente percipitur, hominem renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursum dubitando et ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans et sciscitans, qua ratione aqua regeneret ? Dicam optimo jure ad eum : Ostende mihi modum nativitatis, quae fit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam* (2). Cyrillus Hierosolym. *Catech. III*, adhortatur catechumenos, ut spectent *ad gratiam Sancti Spiritus, quae una cum aqua datur* (3). Graecis patribus assentiuntur Latini. Nam Tertullianus, lib. *De resurr. carnis : Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur : Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de* Deo *saginetur* (4). S. Augustinus, *Tract. LXXX, in Joan.*

(1) N. 5. Βάπτισμα θάνατος ἁμαρτίας, παλιγγενεσία ψυχῆς ... υἱοθεσίας χάρισμα. Tom. I op. edit. Maur. pag. 117.

(2) Τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἄλλο τυγχάνον ἢ ὕδωρ, ἀνακαινίζει τὸν ἄνθρωπον εἰς τὴν νοητὴν ἀναγέννησιν, τῆς ἄνωθεν χάριτος εὐλογούσης αὐτό. ἐάν δὲ μοι πάλιν διστάζων τις καὶ ἀμφιβάλλων πράγματα παρέχῃ, συνεχῶς ἐρωτῶν καὶ διαπυνθανόμενος, πῶς ὕδωρ ἀναγεννᾷ, καὶ ἡ ἐπ' ἐκείνῳ τελουμένη μυσταγωγία ; ... λέξω πρὸς αὐτὸν δικαιότατα · στῆσόν μοι τὸν τρόπον τῆς γεννήσεως τῆς κατὰ σάρκα, κἀγώ σοι διηγήσομαι τῆς κατὰ ψυχὴν παλιγγενεσίας τὴν δυνάμιν. Edit. Paris. 1615, tom. II, pag. 803.

(3) Μετὰ τοῦ ὕδατος δεδομένῃ πνευματικῇ χάριτι · edit. Maur. n. 3. Plura alia in eundem sensum cfr. in hac ipsa Catechesi.

(4) Cap. 8, ubi adnotat Rigaltius : *Strictim hoc loco recensuit, sed appositissime declaravit, baptismum, unctionem,*

Unde, interrogat, *ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat* (1)? Demum s. Leo M. *Serm. VI, de Nativ. Domini: Omni homini*, inquit, *renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio* (2). Et ista sufficiant, quae adeo aperta sunt, ut ea Calvinus nulla alia ratione eludere potuerit, quam affirmando, ea *paulo magnificentius a Veteribus scripta fuisse, ac figuras esse hyperbolicas* (3). Quod tamen non est, nisi vanum haeretici hominis effugium.

53. Quod demum spectat ad perpetuum et constantem ecclesiae sensum, praeter verba Symboli Nicaeno-Constantinopolitani: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*, ipse liquet ex infantium baptismo, qui efficax semper habitus fuit, etsi in infantibus fidem excitare nequeat. Hoc exemplum et praxis ecclesiae semper torsit novatorum ingenium, qui nihil unquam invenire potuerunt ad ejus vim infringendam, cum luculentissimum ac evidens sit testimonium de veritate doctrinae catholicae.

54. Jam vero, ut ex dictis patet, talis est vis Sacramentorum Novae Legis, ut gratiam contineant eamque conferant ex opere operato non ponentibus obicem, consequitur, 1. haec ipsa Sacramenta intrinsece et quoad efficaciam a Sacramentis Antiquae Legis differre, non solum autem extrinsece, ut novatores contendunt. Hinc jure sanxit concilium Trident. Can. II: *Si quis dixerit, ea ipsa Novae Legis Sacramenta a Sacramentis Antiquae Legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus externi, anathema sit* (4). Consequitur, 2. verba quibus conficiuntur Sacramenta, consecratoria, non autem concionatoria esse, ut adversarii assumunt cohaerenter ad suum systema de fide, quae per Sacramenta excitatur ac nutritur. Consequitur, 3. non omnia Novae Legis Sacramenta esse inter se paria, nec esse ad salutem superflua, prout ex eodem suo principio deducunt novatores, secus ac definivit eadem Tridentina synodus, Can. III.: *Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit;* et Can. IV: *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Ex uno enim eodemque principio hae consecutiones a conc. Tridentino proscriptae profluunt; quod si subvertitur, et istae evanescant necesse est, quin opus sit diutius in his refellendis operam impendere.

signaculum crucis, *manuum impositionem* (confirmationem), *Eucharistiam*. Cfr. etiam Pamelius in hunc loc.

(1) N. 3.

(2) Cap. 3, edit. Ballerin.

(3) *Instit.* lib. IV, cap. 14, § 26. Ea integra ejus verba: « Forte miseros istos Sophistas (catholicos) deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quae de signis nostris apud Veteres leguntur. Quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantum promittebant, nostra vero dant salutem. Has et similes dicendi figuras, quum non animadverterent hyperbolicas esse, et ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt ».

(4) Circa sensum hujus canonis sessionis VII. vid. quae postremo capite in scholiis dicemus.

DIFFICULTATES

55. Obj. 1. Scripturae soli fidei justificandi virtutem tribuunt, non autem aut baptismati aut aliis Sacramentis. Ita, Act. XV, 9, Petrus loquitur : *Nihil* (Deus) *discrevit inter nos et illos* (gentiles), *fide purificans corda eorum;* qui praeterea, I Ep. I, 23 et seqq. de fidelibus scribit : *Renati . . . per Verbum Dei vivi et permanentis in aeternum . . . Hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos ;* et iterum, ibid. III, 21 : *Salvos facit Baptismus*, inquit, *non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum, per Resurrectionem Jesu Christi.* Quare et Jacobus, Epist. I, 18 scribit : *Genuit vos verbo veritatis.* Neque ab his discrepat Paulus, qui non solum, Hebr. X, 38 universim pronunciat : *Justus ex fide vivit*, sed praeterea, Rom. X, salutem et justitiam adscribit verbo fidei, quod praedicatur; sic etiam, Ephes. V, 26, mundandi virtutem, quae lavacro inest tribuit *verbo vitae*, id est, verbo doctrinae, ut exponit Hieronymus. 2. Neque id diffiteri possunt catholici, si sibi constare velint; cum et ipsi admittant, solum Deum esse auctorem gratiae, 3. et effectus Sacramentorum a dispositionibus suscipientium pendere. Ergo.

56. Resp. Ad 1. *D.* Scripturae justificandi virtutem tribuunt soli fidei tamquam primae dispositioni, a qua dispositiones reliquae atque ipsa justificatio pendent, *C.* tamquam causae formali ipsius justificationis *N.* Etenim *fides*, ut loquitur Tridentinum, *est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire* (1). Exinde responsio patet ad omnes adductos textus aliosque ejusmodi, qui proferri possent : nisi enim praecessisset praedicatio doctrinae evangelicae, eique per divinae gratiae adjumentum illi, quibus nunciata est, pronas aures praebuissent, assentiendo pio credulitatis affectu, neque tingi potuissent neque ad salutem pervenire. Huic proinde fidei tum baptismatis tum aliorum Sacramentorum effectum tamquam necessariae dispositioni adscribunt apostoli citatis verbis (2).

57. Ad 2. *D.* Admittunt catholici, Deum esse auctorem gratiae ejusque causam efficientem, qui eam conferat per Sacramenta tamquam per causam instrumentalem et secundariam, *C.* ad horum exclusionem *N.* Deus enim gratiam et sanctificationem communicat per Sacramenta velut per signa practica aut instrumenta.

58. Ad 3. *D.* Effectus Sacramentorum in doctrina catholica pendet a dispositionibus tamquam conditionibus, quibus indiget quaelibet creata causa, utut activa, ad agendum, *C.* pendet a dispositionibus tamquam vim ipsam causae conferentibus *N.* Quid enim actuosius est igne? Nisi tamen ad ipsum ligna arida admoveantur, non exerit ignis activita-

(1) Sess. VI, cap. 8.

(2) In eo decipiuntur adversarii, quod simul permiscent conditionem *necessariam*, sine qua non obtinetur ab adultis effectus Sacramentorum, cum causa formali ejusdem effectus. Haec conditio consistit in praerequisitis dispositionibus, quarum prima fides est, a qua ceterae gignuntur ac proveniunt. Has sublata verborum ambage, omnis difficultas evanescit, et omnia Scripturarum testimonia facile intelliguntur.

tem suam ; nec tamen dici potest, ligna vim urendi igni conferre (1).

59. I. Inst. S. Augustinus, *Tract. LXXX in Joan.* n. 3, allata Scripturarum eloquia ita exponit, ut a sola fide vim justificandi in Sacramentis repetat. Sane expendens s. Doctor Christi dictum, Joan. XV: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, scribit 1: *Quare non ait: mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum..... Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Unde in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum, et in Epistola sua B. Petrus: Sic et vos, inquit, baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio. Hoc est verbum fidei quod praedicamus; quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus. Christus quippe, nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat: Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquae in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo.* Ergo juxta s. Augustinum Scripturae verba de sola fide justificante accipi debent; ergo verba sacramentalia non consecratoria, sed concionatoria sunt ad excitandam fidem.

60. Resp. *Dist. antec.* In adultis a fide tamquam dispositione seu conditione, *sine qua* Sacramenta vim justificandi *non* habent, *C.* a fide tamquam causa formali justificationis *N.* Non aliud est propositum s. Augustini in hoc loco, nisi ut necessitatem fidei ex parte adultorum suscipientium baptismum commendet. Quoad parvulos autem fidem ecclesiae, cujus auctoritate baptizantur, satis esse docet; quod paulo infra videbimus.

61. Quo melius mens s. Augustini in objecto sermone dignoscatur, juverit per partes ipsius verba explanare, ut superstructis adversariorum argumentis planior responsio fiat.

62. Ideo a s. Doctore adducuntur Christi verba: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, ut inde conficiat, sine effectu percipi Sacramentum baptismi ab adultis, si non praecedat in eis, vel saltem comitetur fides in Christi doctrinam, quae complectitur ipsa verba, quibus Christus Sacramenta ecclesiae instituit; ut patet ex Joan. III, ubi Nicodemum sic allocutus est: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. atque ex Matth. ult. ubi deinde baptismi legem promulgavit, apostolis praecipiens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc.

63. Subdit porro: *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum;* id est accedente formula a Christo praescripta in collatione baptismi Sacramentum conficitur. Sane hoc verbum, quod accedit ad elementum, ex mente s. Augustini esse formulam baptismi:

(1) Cfr. Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 9.

Ego te baptizo etc. conceptis verbis tradit s. Doctor, *De baptismo, contra Donatistas*, lib. III. cap. XV, et alibi (1). Neque ulla ratione concio seu praedicatio evangelicae doctrinae dici potest verbum, quod *accedat* ad elementum. 1. Quia concio praecedit baptismum, non vero ad ipsum accedit; 2. quia in infantium baptismo prorsus omittitur; 3. quia, detracto verbo concionis, adhuc aqua baptismi collati *in nomine Patris*, etc. non est tantum aqua, sed sacra aqua et sacramentalis, ut recte observat Bellarminus (2); 4. denique quia alioquin haereticorum concio, in qua ipsi veram Christi doctrinam blasphemant, esset verbum quod accedens ad elementum faceret Sacramentum; quod est absurdum.

64. Sed ne quis sibi in animum induceret, baptismi verba per se mundare, etiamsi nulla adsit fides ex parte suscipientium, addit s. Augustinus: *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* ac si diceret: Ne tamen putetis, prolationem verborum quibus ecclesiae ministri in baptizando utuntur, ad mundationem animae sufficere. Nisi enim is, qui baptismum suscipit, credat in Christum juxta verbum fidei, quod apostoli praedicarunt, atque adeo firma fide persuasus sit, in materiali sono verborum, quibus aqua consecratur, divinam virtutem inesse (*nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens*, ut ibidem ait), spiritalis mundationis effectum non recipiet. Ex fide igitur, quam verbo Dei habemus, mundatio animae pendet.

65. Quod si parvulos baptizatos objicias, respectu eorum fides ecclesiae sufficit, cujus auctoritate baptizantur. *Hoc verbum fidei*, inquit, *tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam* (seu ut alii legunt (3) *per ipsum*) *credentem, offerentem, benedicentem, tinguentem, etiam tantillum, mundet infantem*; quae verba omittuntur ab adversariis. Quibus ita explanatis, sic jam juxta scholasticas formulas respondemus argumentis inde confectis ab adversariis.

66. Primo aiunt: s. Augustinus cit. loc. asserit, a se mentionem fieri ejusdem verbi, de quo Dominus ait: *Jam vos mundi estis propter verbum*, etc.; atqui his dictis verbum evangelicum significatur; haec enim genuina est sententia verborum Christi: *Jam vero mundi estis, quia sermonibus meis fidem adhibuistis*. Ergo. 2. S. Augustinus praeterea de illo verbo, quod mundat, *non quia dicitur, sed quia creditur*, ait: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, ait Apostolus*, etc.; atqui verbum

(1) N. 20, ubi ita scribit: *Quamobrem si evangelicis verbis: In nomine Patris*, etc. *Marcion. Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum*. Cfr. etiam ibid. cap. 14.

(2) *De Sacrament.* lib. 1, cap. 20, num. 3.

(3) Edit. Theologorum Lovaniens. Antwerp. 1576, legitur *per ipsam*; Maurini legunt *per ipsum*. Utraque lectio veram sententiam exprimit. Notandum tamen est, hic a s. Augustino fidem, quam necessariam esse dicit in ministris ad baptizandum non aliam intelligi nisi eam, qua pro certo habeant, eum ritum, quem ut ecclesiae ministri conferre intendunt, ab ecclesia catholica, cujus auctoritate agunt, ut sacrum et divinitus institutum haberi; nisi enim id credereut aut parentes aut ministri, nemo esset, qui aut traderet infantes baptizandos, aut qui baptisma conferret; seu requirit, uti nos dicimus, ut conferant cum intentione faciendi quod facit ecclesia.

fidei, quod apostoli praedicabant, in sermonibus Christi seu evangelica praedicatione versabatur; ergo s. Augustinus ibi non agit de singularibus verbis, quae sint forma Sacramenti.

67. Ad 1. *Dist. min.* Verbum evangelicum significatur, quatenus complectitur et formam a Christo praescriptam et efficaciam Sacramentorum, *C.* secus *N.*

68. Ad 2. *Dist. maj.* Verbum, quod mundat, quia creditur, appellatur a s. Augustino verbum fidei, quod apostoli praedicabant, *ratione objecti*, et quia partem constituit verborum Christi quibus suscipientes baptismum fidem adhibere debent, *C.* aliter *N.* Sic corruunt etiam ceterae conclusiones adversariorum (1).

69. II. Inst. Attamen s. Augustinus, 1. *De Trin.* lib. XV, cap. XXVI, n. 46, negat, ab apostolis datum esse Spiritum Sanctum, licet Sacramenta administrarent. 2. Quod si infantes non credunt ex se, credunt tamen fide ecclesiae, ut rursum idem s. Doctor affirmat, *Cont. Julian.* lib. VI. 3. Quare Apostolus nullum agnovit discrimen inter Sacramenta Veteris et Novae Legis. Etenim, I. Cor. X, 1. et seqq.: *Patres nostri*, inquit, .. *eandem* (nobiscum) *escam spiritalem manducaverunt*. Cum vero comparationem eo loci instituat inter christianorum et Judaeorum scelera, quibus spiritualis esca subsidio non fuit, ne a Deo punirentur, ut apta esset comparatio, oportuit ostendere, nihil esse inaequalitatis inter nos et ipsos in iis bonis, quibus falso gloriari nos vetabat. Ergo in Sacramentis pares nobis eos facit s. Paulus (2). 4. Quod probe novit s. Augustinus; qui in *Tract. I. in Joan.* paria esse docet Veteris et Novi Foederis Sacramenta. 5. Nec alia est ceterorum patrum sententia, qui Sacramenta vocant *signa*, *sigilla*, *symbola*, *pignora*, etc. gratiae nempe per fidem adeptae. Ergo.

70. Resp. Ad 1. *D.* Negat s. Augustinus ab apostolis datum esse Spiritum Sanctum virtute propria, eo modo quo datur a Patre et Filio, *C.* negat datum esse ab ipsis ut causa ministeriali *N.* Mens s. Augustini patet ex contextu (3).

71. Ad 2. *D.* Ut baptizentur, *C.* ut justificentur ea fide sine baptismo *N.* Infantibus enim ex eodem s. Augustino: *Credere est baptizari, non credere autem est non baptizari* (4).

(1) Cfr. de hoc s. Augustini textu Bellarm. loc. cit. necnon Carol. du Plessis d' Argentré in opusc. *Genuina s. Augustini de verbo fidei*, etc. cit. pag. 205 et seqq.

(2) Ita Calvin. *Instit.* lib. IV, cap. 14, § 23.

(3) Eo integrum textum: « Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum S.? Immo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia ». Ubi aperte loquitur s. Doctor de Sacramento confirmationis, quod per orationem et manus impositionem confertur. Ex eo autem quod Christus miserit seu dederit Spiritum S. die Pentecostes, colligit s. Doctor ipsius Christi divinitatem.

(4) *De peccat. mer. et remiss.* lib. I, cap. 27, n. 40: *Quis autem nesciat*, inquit, *credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?* Cfr. Bellarm. op. cit. lib. I, cap. 20, n. 23 et seqq. qui nitide exponit, qua ratione intelligi debeat, quod vulgo dicitur: Necesse est, ut infans baptizetur *in fide Ecclesiae*, vel *in fide parentum;* non quatenus requiratur fides actualis, ita ut sine illa baptismus infructuosus sit, sed quatenus de facto, si nullus esset fidelis, nullus moveretur ad baptizandum infantes.

72. Ad 3. *Neg.* Ad prob. *D.* Si a simili argumentatus ibi esset Apostolus, *C.* si a minori ad majus *N.* Eo enim redit Apostoli sententia : Si illi, qui male *signis* et *figuris* usi sunt, perierunt, quanto magis peribunt, qui male utuntur *re* et figurato ? Nam ibidem subdit s. Paulus : *Omnia in figuris contingebant illis* (1).

73. Ad 4. *D.* Quoad significationem, *C.* quoad rem significatam *N.* Hinc, *In Ps. LXXIII.* n. 2. scribit : *Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

74. Ad 5. *D.* Patres vocarunt Sacramenta *signa* practica, *C.* speculativa *N.* Vel etiam appellarunt *sigilla, symbola, pignora*, etc. *D.* Gratiae adeptae vel adipiscendae per haec eadem Sacramenta, *C.* adipiscendae per fidem *N.*

75. III. Inst. I. Saltem haec formula : *ex opere operato* barbara est et contra grammaticae leges (2). 2. Eo magis ea est a sacramentis removenda, quod pium motum omnemque dispositionem a suscipiente excludat. Ergo.

76. Resp. ad 1, *D.* Quae tamen aptissima est ad omne effugium haereticorum praecludendum, *C.* in se *Tr. Non requirenda aurea vel argentea clavis* (uti apposite in simili casu reponebat Vincentius Lupoli (3)), *quae aperiendo sit impar ; desideranda ferrea vel etiam lignea, modo ad aperiendum claudendumque idonea videatur*. Cum itaque formula haec puram fidem exprimat, satis est, etsi ad puram phrasim non sit exacta (4).

77. Ad 2. *Neg.* Haec enim est mera calumnia, a Tridentinis patribus sess. IV. de justificatione et alibi passim depulsa, et a qua nos liberant doctiores ipsi protestantes, Fabricius (5), Gro-

(1) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc.

(2) Ita Calvin. in *Antid. Conc. Trid.* sess. VII ; Kemnitius vero in *Examin.* II, part. pag. 115, addit, Concilium, cum hoc verbum protulit, non servasse inviolatam verborum formam, quam teneri jubet Apost. II Timoth. I, 13, eo quod sit contra grammaticae leges assumere *operatum* in sensu passivo ; ita illi nugantur !

(3) *Juris Eccles.* tom. III, cap. I, § 3.

(4) Cfr. Bellarm. *De Sacrament.* lib. II, cap. I, n. 9 ; ubi observat, in Ep. ad Hebr. XIII, 16, contra grammaticae legem accipi passive *promeretur : Talibus enim hostiis promeretur Deus ;* et s. Augustinum maluisse dicere *ossum, ossi*, quam *os, ossis*, ut facilius intelligeretur, dicens : *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi* (*Enar. in Ps.* CXXXVIII). Mirum est, Oberthur, in *Idea Biblica Ecclesiae Dei*, Salisbaci, 1822. p. I, ubi agit de Sacramentis nuspiam docere, Sacramenta gratiam conferre ex *opere operato*. Ast plura habet hic auctor, quae potius protestantium quam catholicorum doctrinam praeseferre videntur.

(5) Joan. Fabricius in *Consideratione controversiar. quae Evangelicos inter et Romano-Catholicos Reformatosque agitantur*, Helmstadii, 1705, in art. *De Sacrament. N. L. efficientia ex opere operato*, relata accusatione Confessionis August. art. 13, Kemnitii et Gerhardi, quod Pontificii asserant : *Sacramenta valere et efficacia esse sine bono motu utentis, adeoque sine fide*, profert plures scriptores protestantes, qui catholicos ab hac criminatione purgant, inter ceteros ipsum Kemnitium, qui tradit hanc sententiam esse *quorumdam* dumtaxat *Scholasticorum*, Callixtum, Fabricium, Daubaver, Carpzovium, Forbesium, etc. ac ingenue fatetur, post datam declarationem Alphonsi et Bellarmini illam phrasim admitti posse, nec ullam amplius superesse controversiam.

tius (1), Leibnitzius aliique. Nobis satis sit, hic subjicere verba Leibnitzii : *Interim*, inquit, *ut gratia Sacramenti suscipiatur, animam suscipientis bene constitutam esse necesse est, ne obex ponatur ; et ita aliquod opus operantis (hoc est, status suscipientis) est requisitum operis operati* (2).

PROPOSITIO II.

In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt

78. De fide hoc est, ut constat ex can. IX. conc. Tridentini, his verbis expresso : *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

79. Licet vero haec veritas satis aperta significetur in Scripturis, omnem tamen firmitatem suam mutuatur potissimum ex constanti traditione et ecclesiae sensu.

80. Ac primo quidem significatur in Scripturis ; etenim, II. Cor. I, 22. scribit Apostolus : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (3) ; seu juxta graecum textum : *Unxit nos, qui, et obsignans nos, dedit pignus*, etc. ; tum Ephes. I, 13 : *In quo* (verbo veritatis) *et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto ;* tum ibid. IV, 30. ubi eos hortatur, ne velint, *contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo* (inquit) *signati estis in diem redemptionis*. Quibus verbis Paulus cum *unctionem* ab *obsignatione* distinguat et asserat fideles post auditum veritatis verbum conceptamque fidem *signatos fuisse*, non obscure baptismi illic et confirmationis *sigillum* et *characterem denotat* (4).

81. Deinde ex constanti traditione firmissime haec veritas constat. Hujus testes sunt patres, quorum auctoritates diligenter collegit Trombellius (5). Etenim ex patribus alii docent, per baptismum imprimi *sigillum sanctum, indelebile*, ut Chrysostomus (6), Cyrillus Hieros. (7),

(1) *Adnotat. ad consult. Cassandri*, art. XIII.

(2) In *System. Theolog.* p. 212 et seqq.

(3) Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸ ἀρῥαβωνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν.

(4) Hoc magis constabit ex eo, quod patres omnes, qui commemorant characterem, in ejus confirmationem proferant haec Apostoli dicta.

(5) *De Bapt.* tom. V, diss. XV, p. III, q. III, cap. I, et *De Confir.* tom. I, diss. IV, sect. II, cap. I.

(6) *Hom.* II *in Epist. ad Ephes.* n. 2, ubi scribit : Ἐσφραγίσθησαν καὶ οἱ Ἰσραηλῖται, ἀλλὰ περιτομῇ, καθάπερ καὶ τὰ βοσκήματὰ, καὶ τὰ ἄλογα. « Signati fuerunt etiam Israëlitae, sed circumcisione sicut pecora et bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filii, Spiritu ». Similia scribit, *Hom.* III *in Epist. ad Cor.*

(7) *Catech.* III, n. 3. Ἐνώπιον μυριάδων στρατιῶν ἀγγέλων μέλλει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σφραγίζειν ὑμῶν τὰς ψυχάς. « Multis, *inquit*, angelicorum exercituum myriadibus praesentibus Spiritus S. animas vestras obsignaturus est ». In quem locum cfr. not. Touttei, qui ostendit, tum hic tum aliis in locis, quos citat, s. Doctorem loqui de charactere proprie dicto, atque confirmat ex doctrina aliorum ss. patrum.

Basilius (1), Epiphanius (2), Gregorius Nazianz. (3); atque hujus exempla petunt vel a nota sanguinis, qua Hebraeorum domus in Aegypto fuerunt insignitae, vel a circumcisione, qua Abrahami soboles a reliquis gentibus secernebatur, vel denique a militari tessera; alii vocant *signaculum spiritale*, ut s. Ambrosius (4); alii demum conceptis verbis *characteris* nomen praedicant, ut Augustinus passim, praesertim vero *Tract. VI. in Joan.* n. 16. scribens: *Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur; character est Regis mei, non ero sacrilegus, corrigo desertorem, non immuto characterem* (5).

82. Pro certo demum semper habitum est apud omnes characterem imprimi peccatoribus ad ejusmodi Sacramenta accedentibus, cum sit gratia gratis data; ideoque Augustinus affirmat, manere eum etiam in apostatis et schismaticis: *Sed unde damnentur, non unde coronentur*. Atque hinc factum est, ut haec tria Sacramenta numquam iterari potuerint aut possint, prout constanter ecclesia docuit; neque id diffitebantur ipsi donatistae (6).

DIFFICULTATES

83. I. Obj. 1. Ex Scriptura characteris doctrina evinci nequit, cum adducta loca alio omnino sensu exponi possint, de interiori nempe Spiritus Sancti gratia. 2. Patres eandem doctrinam penitus ignorarunt. Quod si eorum aliqui characterem nominant eo nomine vel significant *signaculum visibile* seu ipsam Sacramenti collationem, vel *fidei professionem*. Ut s. Augustinus, qui in *Serm. ad plebem Ecclesiae Caesariensis: Ego*, inquit, *attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius com-*

(1) *Hom.* III *in s. Bapt.* n. 5, vocat baptismum *Sigillum*, *quod conatu nullo frangi potest*. Σφραγὶς ἀνεπιχείρητος. Vid. etiam ibid. n. 4.

(2) *Haeres.* V, edit. Petav. n. 6: Ἐκεῖ γὰρ ἡ περιτομὴ σαρκικὴ . . . ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι τοῦ βαπτίσματος τοῦ . . . σφραγίσαντος ἡμᾶς εἰς ὄνομα Θεοῦ. « Nam illic corporis praescripta circumcisio est . . . quoad ingens est illa circumcisio subsecuta, baptismus videlicet, quo . . . in Dei nomine signamur ».

(3) *Orat.* XL, n. 4. Huic adde s. Greg. Nyss. *Orat. de poenit.* tom. II, pag. 168.

(4) *De Spir. S.* lib. I, cap. 6, n. 78 et 79. Sub quo posteriori numero haec praeclare scribit in rem nostram: « Signati ergo Spiritu a Deo sumus . . . Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem ». Hoc autem testimonio refellitur Bingham, qui, vol. IV *Origin. Eccles.* lib. XI. cap. I, § 7, negat, a veteribus characteris nomine fuisse significatam internam qualitatem ceu spiritualem virtutem a baptismo distinctam et animae impressam.

(5) Plura alia ejusdem s. Doctoris testimonia cfr. apud Trombellium, *De Bapt.* loc. cit. Cfr. praeterea Joan. Morinus, *De sacris ordination.* p. II, sect. III, cap. 2, § 1 et seqq.

(6) Nam donatistae, perinde ac s. Cyprianus aliique, qui contendebant, rebaptizandos aut ab haereticis aut a peccatoribus ablutos, non ex amissione baptismi semel rite collati id faciendum autumabant; sed ex eo quod nullum omnino ac irritum et inane censuerint baptisma sive ab haereticis sive a publicis peccatoribus collatum. Hinc valde abhorrebant hi omnes a *rebaptizantium* nomine.

militibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, praecepit, dicens: Ite baptizate gentes in nomine, etc. (1). Ergo ex s. Doctore ipse baptismus collatus in nomine Trinitatis est character, quin alium quaeramus. Pergit praeterea ibidem s. Augustinus: *Si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret; ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem*. Porro quod exterminari, deleri aut aboleri potest, externum ac visibile est; atqui talis est character ex mente s. Augustini. 3. Quod si res deducatur ad scholasticos, clarius adhuc patebit ejusdem doctrinae novitas. Alii enim de charactere penitus siluerunt, ut Magister Sententiarum; alii contenderunt characterem non esse nisi *ens rationis*, ut Durandus; alii inficiati sunt, ex Scriptura et patribus characterem ostendi posse, ut Scotus, qui professus est, se ejus existentiam solum admittere ex auctoritate ecclesiae, et quidem non valde antiqua, subdit Cajetanus. 4. Et recte id quidem, cum ipsum omnium primus in ecclesiam invexerit Innocentius III. 5. plures proinde theologi in concilio Tridentino, ut refert Card. Pallavicinus (2), volebant, ut articulus de charactere tamquam *probabilior* adstrueretur; nec nisi opera Seripandi factum est, ut articulus de fide declaratus fuerit. Ergo.

84. Resp. ad 1. *D.* Characteris doctrina ex sola Scriptura evinci nequit, *Tr.* e Scriptura per sensum traditionalem exposita *N.* Jam vero nullus est ex patribus, qui adstruunt characterem imprimi, qui uno vel altero ex adductis Scripturarum testimoniis non nitatur, vel saltem iis eam doctrinam non communiat.

85. Ad 2. *N.* Etenim nos contrarium productis eorum testimoniis ostendimus. Falsum praeterea est, patres characteris nomine designasse *signaculum visibile*. Ut constat 1. ex antithesi ab iis instituta inter circumcisionem, quae in corpore, et characterem baptismi, qui in anima imprimitur; 2. ex eo, quod aperte dicant, hoc signaculum esse *spiritale* et *invisibile*; ex quo versutia Binghami deprehenditur, qui haec obtrudit (3).

86. Quare ad primum testimonium s. Augustini, qui collationem baptismi in nomine SS. Trinitatis vocat characterem, *D.* Sumpta causa pro effectu, *C.* ipsum formalem characterem *N.* Cum invocatio SS. Trinitatis sit ratio, quare imprimatur character, ideo s. Doctor, causam pro effectu sumendo scribit illam invocationem esse characterem imperatoris sui, non quod illam invocationem aut fidem characterem ipsum esse censuerit. Invocatio enim illa transit, et fides etiam interdum amittitur; character autem indelebilis juxta s. Augustinum perseverat etiam in iis, qui foras exeunt, veramque fidem amittunt. Hinc ibid. praemiserat: *In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris*.

87. Ad alterum vero, quod ex Augustino objicitur, *D.* Id est, pro nullo haberet s. Doctor baptismum in hypothesi impossibili, quod collatus esset in nomine et auctoritate Donati, *C.* secus *N.* Omnes enim locutiones, quas hic sensu figurato congessit s. Augustinus, eo tendunt, ut significet nullum fore baptisma,

(1) Num. 2.

(2) Lib. IV, cap. 5.

(3) *Origines*, etc. loc. cit.

quod conferretur in nomine et auctoritate Donati, cum unius Dei sit, tum gratiam infundere tum characterem imprimere.

88. Ad 3. *N.* Etenim Petrus Lombardus seu Magister Sententiarum prius implicite meminit characteris, dum negavit tria illa Sacramenta iterari posse, quia juxta Augustinum *quadam consecratione dantur* (1). Deinde etiam explicite, dum nominat *characterem spiritualem Ordinis* (2). Ceteri autem scholastici prolixas disputationes de ejusdem characteris natura instituunt.

89. Durandus solum contendit, characterem nihil reale praeseferre, sed tantum relationem rationis, seu denominationem externam, qua homo deputatur ad aliquid agendum vel recipiendum (3). Pro certo igitur habebat existentiam characteris; alioquin in ejus essentiam minime inquisivisset.

90. Scotus pariter, admissa characteris existentia, vult, ipsum consistere in quadam relatione reali extrinsecus in animam adveniente velut effectu Sacramenti (4). Dum igitur affirmat se characterem admittere ob ecclesiae auctoritatem, hoc ipso innuit, ex divina revelatione ejusdem existentiam constare, cum ecclesia non aliam doctrinam tradat praeter eam, quam a Christo et ab apostolis didicit.

91. Cajetanus in eam venit sententiam, quod falso putaverit, quaestionem rebaptizantium ortam esse ex nondum satis constituta in ecclesia doctrina de charactere. At non leviter in hoc deceptus est. Omnes enim, non exceptis ipsis donatistis, unitatem baptismi agnoscebant. Controversia igitur tantum agitabatur de valore baptismi, aut extra ecclesiam collati, aut administrati a pravo ministro. Hinc non sine stomacho a se repellebant veluti calumniosam *rebaptizantium* denominationem. Ceterum haec etiam verba, inter cetera in ejusdem Cardinalis operum editione, quae Romae adornata est, jussu sancti Pii V. expuncta sunt (5).

92. Ad 4. *N.* Profecto dum Chemnitius Innocentio III doctrinam characteris tribuit, ostendit se parum admodum critices peritum. Innocentius enim anno 1215 floruit, porro ante Innocentium de characteris indelebilis impressione,

(1) Part. IV, dist. VIII, ubi agens de confirmatione, scribit: « Nec debet iterari, sicut nec Baptismus, vel Ordo; nulli enim Sacramento facienda est injuria, quando non iterandum iteretur . . . Nam de Baptismo et Ordine, quod non debeant iterari, aperte Augustinus dicit. Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione datur, illud quidem cum baptizatur, istud vero cum ordinatur . . . . . Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est ». Cfr. Estius, *In* IV *sent.* dist. 1, § 20 et 21.

(2) Ibid. dist. XXIII.

(3) Ejus sententia cfr. apud Vasquez, in 3 part. s. Thom. disp. 134, cap. 2, ubi eam refellit.

(4) Cfr. Vasq. ibid. qui praeterea observat, cap. 1, n. 20: « Testimonia, quae adduci solebant ab scholasticis tempore Scoti, nullius esse momenti ». Eadem porro ratione exponendus Albertus M. dum, *In* IV *sent.* dist. 6, a. 4, scripsit: « De charactere, in sensu quo Magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis Sanctorum ».

(5) Verba expuncta ex vetustioribus editionibus Venet. 1525 et 1567, ita se habebant. « Adverte hic duo: primum, quod Sacramenta imprimere characterem ex sacra Scriptura non habetur, sed ab ecclesiae auctoritate, et non multum antiqua, ut patet ex sacris canonibus et priscis quaestionibus patrum de reiteratione baptismi, quae locum non haberent, si ecclesia jam determinasset, imprimi in anima characterem per baptismum », etc.

tamquam de re omnibus explorata, locutus jam fuerat Petrus Pictaviensis (1). Ante hunc ejusdem characteris meminerat Gratianus (2). Ante Gratianum Petrus Lombardus. Ante hos scholasticos s. Joan. Damascenus (3), qui antiquiorum patrum doctrinam in unum collegit.

93. Ad 5. *D.* Id est *nonnulli* in privatis ac praeparatoriis congregationibus, nec re satis discussa, *C. plures* et in ipso concilio *N.* Ex hoc enim facto, uti et ex aliis non paucis, ostenditur, liberum in congregationibus fuisse patribus propriam promere sententiam. Imo, quo majori fervore articuli hinc inde discussi sunt, eo melius patet, nonnisi cum magno delectu et singulari maturitate edita esse decreta. Quod evenit in concilio Tridentino, jam evenerat in omnibus superioribus conciliis, atque in ipso concilio ab apostolis Hierosolymis celebrato, in quo antequam ederetur decretum, *magna conquisitio* facta est (4).

94. II. Obj. Rationum momenta, quae adduci solent ad constabiliendum articulum de charactere, satis ejus futilitatem produnt; 1. ideo quippe scholastici contendunt imprimi characterem, quia tria illa Sacramenta iterari non possunt; at neque iteratur prima tonsura, nec matrimonium utroque vivente conjuge. 2. Si quis porro ab iis quaerat, quare tria haec Sacramenta iterari nequeant, illico reponunt: quia imprimunt characterem; quod si quis iterum e converso ab iisdem sciscitetur, quare haec Sacramenta imprimant characterem respondent: quia iterari non possunt; in quo quidem latet *circulus vitiosus*. 3. Sed nec validior est ratio, quae a quibusdam affertur, petita a *consecrationis* natura, quae postulat indelebilem notam: per omnia siquidem Sacramenta nos Deo mancipamur et consecramur. 4. Natura ejusmodi characteris aenigma aedipodeum redolet; nil mirum proinde, si tot fere sint circa eam sententiae, quot capita. 5. Nemo profecto mente concipere potest, quî demum fiat, ut signum et quidem spirituale et invisibile in anima item spirituali et invisibili imprimi possit. 6. Demum cui bono ejusmodi character imprimeretur? Homines enim illum videre nequeunt; Deus eo non indiget, ut agnoscat homines sibi speciali ratione consecratos. Ergo.

(1) Ad dist. 24, lib. IV; obiit porro Petrus Pictaviensis anno 1205. Cfr. Praefat. Domni Hugon. Mathoud, Ord. s. Bened. in lib. V *Sentent.* Paris. 1655.

(2) *De consecrat.* dist. IV, cap. 41, cujus verba haec sunt: « Ovem, quae foris errabat, et Dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad christianae unitatis salutem, ab errore corrigi (debere), characterem tamen dominicum in ea agnosci potius, quam improbari ». Edit. Pithoei, tom. I, p. 473.

(3) *De fide ortodoxa*, lib. IV, cap. 9, ubi: Νῦν μὲν οὖν διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία καὶ ΣΦΡΑΓΙΣ, καὶ φυλακτήριον, καὶ φωτισμός. *Et nunc quidem*, inquit, *Spiritus S. primitias per baptismum accipimus; et regeneratio, alterius nobis vitae initium, et* SIGNACULUM, *et praesidium, et illuminatio efficitur*. Edit. Lequien, tom. I, p. 261.

(4) Cfr. Pallavic. *Storia del Conc. di Trento*, lib. IX, cap. 5, ubi ostendit, a Theologis disputatum esse in congregationibus privatis de *natura*, non de existentia characteris, et concludit: *In tali materie, il* SE È, *appartiene a certezza di fede: il* CHE È, *ad esercizio d' ingegno*. Id est: *In hujusmodi argumentis, quaestio:* UTRUM SIT? *pertinet ad certitudinem fidei; quaestio:* QUID SIT? *ad ingenii exercitium*. Ibid. valide confutat Paulum Sarpium.

95. Resp. *Neg. ant.* Non enim rationum momentis, quas comminiscuntur protestantes, hic fidei articulus innititur, sed revelatione divinitus facta, quae nobis innotescit per Scripturam et sensum ecclesiae traditionalem, prout ostendimus. Reliqua, quae adduci solent non sunt nisi rationes conjecturales, ut vocant, ac rem ipsam probabiliorem tantum efficiunt.

96. Ad 1. prob. *D.* Suppositis probationibus ex Scriptura et traditione deductis, *C.* ad illarum exclusionem *N.* Quod vero haec Sacramenta iterari nequeant, est illius doctrinae consecutio.

97. Ad 2. *D.* Si haec esset unica ratio, qua veritas characteris ostenderetur, *Tr.* si praeterea, imo praecipue ex divina revelatione eadem constat, ut vidimus, *N.* Ceterum circulus vitiosus non cadit in argumentationem, qua probatur effectus per causam, et vicissim causa per effectum, cum de utroque constat.

98. Ad 3. *D.* Per omnia Sacramenta Deo consecramur; at diversa ratione ab ea, qua consecramur per tria illa, de quibus disserimus, *C.* eadem ratione *N.* Etenim per tria illa tantum fideles vel Christi familiae, vel militiae, vel ministerio speciali modo addicuntur; confertur praeterea iisdem fidelibus potestas aliquid recipiendi vel tradendi aliis, quod pertinet ad divinum cultum, secus ac fiat in Sacramentis reliquis (1).

99. Ad 4. *D.* Prout in ceteris omnibus, quae spiritualia sunt, contingit, quorum adaequatam ideam nobis efformare non possumus, *C.* quod peculiare sit hujus characteris *N.* Cum agatur propterea de re in se obscura, nil mirum, si scholastici, qui subtilius in ejus essentiam inquisierunt, in diversas sententias distracti sint. Porro controversia nostra est de existentia, non autem de natura. Quamdiu illa in tuto est, sufficit.

100. Ad 5. *D.* Si signum istud per modum cujusdam rei materialis ac sensibilis concipiatur, *C.* secus *N.* Jam vero juxta s. Thomam: *Character habet* RATIONEM SIGNI *per comparationem ad Sacramentum sensibile, a quo imprimitur; sed secundum se habet* RATIONEM PRINCIPII. Vidimus praeterea aliquot scholasticos contendere, characterem non habere nisi *rationem relationis*. Ceterum nihil vetat, quominus eum concipiamus per modum cujusdam permanentis animae modificationis, in quo nihil est quod repugnet (2).

101. Ad 6. *D.* Si daretur character

(1) S. Thom. part. 3, q. 63, a. 1, et Estius loc. cit.

(2) Cfr. de hoc argumento Vasquez, loc. cit. ubi diversa scolasticorum placita expendit. Sed placet adversus novatores hic proferre, quae scribit Leibnitzius, *Syst. Theol.* pag. 210: « De charactere, *inquit*, seu signo indelebili, quod imprimitur in anima ejus, qui Sacramenta Baptismi, Confirmationis aut Ordinis suscipit, multa nonnulli disputant ex Scholasticis; sed res plana est, si tantum cogitetur, hominem, suscepto hoc Sacramento, aliquam qualitatem permanentem nactum esse, quae et invalide et illegitime iteratur. Et tales qualitates reperiuntur et in jure civili. Nam nemo rem suam acquirere potest, seu qui in solidum dominus rei est, dominus ejus amplius fieri non potest; quod si eam non posset ex toto vel parte ulla ratione alienare, lege forte aliqua id impediatur, quemadmodum jus regni, vel etiam alicubi dominium constat esse inalienabile, jam habemus aliquod characteri simile, quod scilicet invalide iteratur; eo ipso autem, dum actus (iteratus scilicet) administrandi Sacramentum est irritus sive nullus, etiam fit illegitimus sive prohibitus. Sacrile-

ad solam distinctionem, *Tr.* si ad aliquam praeterea datur potestatem, seu *habilitatem*, ut vocant, obtinendam, prout dictum est, *N.* Addo perennem haerere hanc notam, ut et beatis in gloriam et damnatis in poenam cedat.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

102. Si Sacramenta nullam aliam vim habent nisi excitandi fidem juxta protestantium systema, ex eodem plane profluit, valide ea posse administrari seu conferri a quovis sive clerico sive laico, sive masculo sive femina, imo et a diabolo ipso, prout colligit Lutherus (1). Hic enim articulus est corollarium, quod necessario sequitur ex illo principio. Ejusdem pariter principii est corollarium alterum, quod inde pariter colligit Lutherus, valere scilicet Sacramenta utcumque administrata, etiam absque ulla intentione, imo irrisorie aut mimice.

103. Contrariam semitam tenuerunt veteres donatistae, quibus subscripserunt sec. XII. waldenses et albigenses, sec. XIV. wicleffitae et hussitae. Hi omnes autumarunt, nulla ac irrita esse Sacramenta ab improbis ministris collata (2). Donatistae tamen eo progressi sunt, ut irrita assererent Sacramenta a publicis peccatoribus ac scelestis, a fortiori vero ab haereticis (3) administrata.

104. Quamvis porro cum errore donatistarum permisceri nequeat error, quem non pauci episcopi Orientales et Africani professi sunt sec. ecclesiae III. contendentes, irritum ac nullum esse baptisma ab haereticis collatum, vix tamen ob argumenti affinitatem ac necessitudinem alter ab altero sejungi potest. Hi, qui denuo tingebant ab haereticis baptizatos, communi jam *Rebaptizantium* nomine nuncupari solent; quamvis ipsi summopere ab ejusmodi appellatione tamquam sibi valde injuriosa, ut diximus, abhorrerent.

105. Priorem novatorum errorem

gium enim est, vel certe grave crimen, Sacramentum inaniter celebrare scientem; per Baptismum autem homines christiani reddunturtur, per confirmationem novo auctiore quasi sacramento (scilicet jurejurando) christianae militiae adstringuntur, per Ordinem susceptum Ecclesiae ministri fiunt; quae sane qualitates sunt permanentes ».

(1) In lib. *De Missa privata*, apud Bellarm. *De Sacram.* lib. 1, cap. 24, num. 2.

(2) Cfr. Nat. Alex. *Histor. Eccles.* sect. XI et XII, cap. 4, art. 13, § 2, *De erroribus Waldensium;* tum sec. XIII et XIV, cap. 3, art. 1, *De Albigensibus*, § 2, *De Albigensium erroribus*, et art. 22, § 4, *De erroribus Wicleffi;* item sec. XV et XVI, cap. 2, art. 1, § 2. Ex his si excipias wicleffitas, ceteri nonnisi indirecte hunc errorem professi sunt.

(3) Hic adnoto, a pluribus theologis una simul vindicari validitatem Sacramentorum, quae fuerint collata tum ab *haeretico*, tum ab *impio* ministro. At, quamvis pleraque argumenta, quibus valor Sacramentorum sive ab *haeretico* sive a *pravo* catholico ministro confectorum aut adstruitur aut impugnatur, communia sint, nec possunt tamen nec debent ambae hae theses permisceri; cum inter se differant, nec par utriusque sit ratio. Ceteris enim omissis, valere Sacramenta omnia a pravo ministro catholico confecta, de fide est, cum sit expresse definitum; sic pariter de fide est, ratum esse baptisma ab haeretico administratum; at de fide non est, valida esse cetera Sacramenta ab haeretico collata. Sane, ut suo loco dicemus, non desunt auctores catholici, qui, licet immerito, id negent.

commodius refellemus agendo de Sacramentis singillatim, praesertim vero in Tractatu de Ordine. Posteriorem vero, qui est de intentione, nec non errorem rebaptizantium, uti et donatistarum ceterorumque haereticorum, qui eos secuti sunt, hic perstringimus. Tribus propterea propositionibus rem totam complectimur. Quarum prima erit de valore Sacramenti, ac praecipue baptismi absque fide a ministro collati, altera de probitate ministri Sacramentorum, tertia demum de necessitate intentionis ad validam eorumdem administrationem.

PROPOSITIO I.

In Sacramentorum ministro ad valide conferenda Sacramenta non est necessaria fides; adeoque validus est baptismus ab haereticis rite collatus

106. Haec propositio, quod spectat ad baptismum, de fide est, ut constat ex can. IV, *De bapt.* concilii Tridentini: *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit*. Quod vero attinet ad Sacramenta reliqua (si poenitentiam excipias, non quidem ex defectu fidei, sed ex defectu jurisdictionis, qua carent haeretici), certa est ac fidei proxima. Licet enim nulla expressa habeatur de illis ecclesiae definitio, jam ex communi consensu probatur atque ex ejusdem ecclesiae praxi, pluribus saltem abhinc seculis confirmata, ut suo loco ostendemus. Eadem sane ratio, quae suffragatur valori baptismi collati ab haereticis, suffragatur pariter valori ceterorum Sacramentorum, quae omnia Christi sunt. Quare quae de baptismo dicuntur, ob intimam analogiam de reliquis Sacramentis dicta etiam intelligi debent. De solo autem baptismo hic agimus, quia major de ejus valore extitit contentio; eo vel magis quod disceptationes excitatae circa valorem aliorum Sacramentorum, quae ab haereticis conficiuntur, magna ex parte a priori illa quaestione pendeant. Propterea, valore baptismi ab haereticis collati in tuto posito, de valore reliquorum sacramentorum pariter constabit. Ceterum de his peculiariter agemus, cum in tractatibus de Sacramentis in specie quaestio haec iterum recurret.

107. Vehemens igitur, ut innuimus, olim agitata est circa valorem Sacramenti baptismi controversia, postquam scilicet Agrippinus Carthaginiensis episcopus, saeculo circiter ecclesiae III. omnium primus usum invexit iterum tingendi ab haereticis tinctos (1). S. Cyprianus Agrippini successor eandem consuetudinem retinuit, ratus, nullum esse baptisma, quod extra ecclesiam administraretur. Coacto Carthagine concilio hanc sententiam, seu potius praxim adstruxit (2), misitque de more Romam

(1) Censent nonnulli, Tertullianum omnium primum invexisse hanc doctrinam de invaliditate baptismi ab haereticis administrati ob ejus verba, quae leguntur, lib. *De baptismo*, cap. 15; ubi de haereticis: « Non idem, *inquit*, Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem; quem quum rite non habeant, sine dubio non habent ». Alii tamen refragantur. Cfr. Rigalt. in hunc loc. et De la Cerda, tom. II, not. 175.

(2) Et est Carthagin. II ex Cyprianicis de baptismo. Cfr. tum in opp. s. Cypr. *Epis.* LXXII., tum apud Hard. *Acta Conc.* tom. I, col. 158 et seq.

ejusdem concilii acta, ut a Rom. Pontifice confirmarentur. Asperius Synodi legatos excepit s. Stephanus, qui tunc Rom. ecclesiae praeerat, ac novitati restitit, rescribens: *Nihil innovetur, nisi, quod traditum est, ut manus imponatur in poenitentiam* (1). Judicio Rom. Pontificis non acquievit s. Cyprianus: sed numerosiori ex Africa pene universa accito concilio sententiam suam confirmare conatus est (2). Vicit demum, ut par erat, Stephani decretum, quod defervescentibus studiis tum in Africa tum in Oriente paulatim praevaluit (3), donec omnis contentio sublata est.

108. Veritatem porro assertae propositionis quoad baptisma ostendimus ex verbo Dei tradito constantique ecclesiae praxi, prius quam haec qualemcumque immutationem subiisset. Hujus siquidem traditionis ac praxis testis est s. Stephanus, ut patet ex verbis seu decreto, quod opposuit s. Cypriano; ex quo constat, haereticos non iterato baptismate, sed sola manuum impositione in ec-

(1) In *Epist.* LXXIV. s. Cypr. ad Pompejum.

(2) Est autem Carthag. III, de baptismo, collectum ex tribus provinciis Africae, cui interfuerunt episcopi LXXXVII, in opp. s. Cypr. edit. Maur. pag. 329, et apud Hard. loc. cit.

(3) Ut enim videbimus, non pauci episcopi non solum post Stephani decretum, sed etiam post concilia Arelatense et Nicaenum I. perrexerunt hanc tenere consuetudinem baptizandi ab haereticis ablutos. Atque hic animadverto, totam hanc controversiam a recentioribus quibusdam aut negari aut in dubium revocari. Alii enim, admissa controversiae veritate, inter scripta apocrypha, aut saltem dubia rejiciunt concilia Carthaginensia commemorata, Epistolam Firmiliani, Epistolas omnes s. Cypriani de hoc argumento ad Magnum, Pompejum, Jubajanum, etc. Hoc primum tentavit Tourneminius, « Conjectures sur la supposition de quelques ouvrages de saint Cyprien et de la lettre de Firmilien »; quae insertae sunt *Documentis Trevoltiensibus*, mens. Decemb. an 1734, art. CXVIII, pag. 2246 et seqq. Ast p. Raym. Missorius Ord. Conv. hic non stetit, sed in *Dissert. critica*, quam vulgavit Venet. 1733, *In epist. ad Pompejum*, inter Cyprianicas LXXIV, totam controversiam anabaptismi, quae inter Orientales Africanosque et s. Stephanum viguit, veluti confictam ab Eusebio traduxit, et citata monumenta conficta esse contendit a donatistis. Cl. Morcelli S. J. in erudita et eleganti, quam Brixiae 1817 edidit, *Africa Christiana*, vol. II, admissa controversiae hujus veritate, ad annum CCLX, n. 11, anceps haerere videtur circa Epistolam s. Martyris ad Pompejum; non tamen audet eam tamquam confictam omnino respuere. Nobis in animo haud est, criticam hic instituere quaestionem. Animadvertimus tamen, 1. nonnisi perpaucos, eosque non magnae auctoritatis controversiam universam de anabaptismo veluti fabulosam rejicere; 2. nullis positivis momentis duci eos, qui vel tamquam dubia vel tamquam apocrypha rejiciunt scripta Cypriani et Firmiliani, quae ad rem praesentem referuntur; contra quae nec levia nec pauca stant argumenta positiva; 3. eosdem permoveri solis conjecturis parvi, ut nobis videntur, momenti; 4. hanc eorum agendi rationem, si reciperetur, inducere quemdam pyrrhonismum in universam fere historiam Ecclesiasticam. Ceterum cfr. *Vita s. Cypriani* a Maurinis edit. conscripta, cap. 29 et seqq. *Acta Bollandiana*, tom. IV. mens. Sept. ad diem XIV, pag. 295. a § XXXVIII ad LVI; nec non Joan. H. Sbaralea, Ord. Conv. in op. *Germana s. Cypriani et Afrorum, nec non Firmiliani et Orientalium opinio*, etc. Bonon. 1741; praeter Tillemont, *Memoires*, etc. ad annum 256, Natalem Alex. etc.

clesiae gremium admissos fuisse; testis est antiquissimus anonymus scriptor seculi III, qui librum edidit ad rebaptizantium confutandum errorem (1); testis est s. Augustinus, qui affirmat avitam consuetudinem recipiendi haereticos sola manuum impositione *ex Apostolorum traditione* derivatam esse; qui praeterea id ipsum conficit ex confessione ipsius s. Cypriani asserentis: *Hanc saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum quasi coepisse corrigi, sed verius corrumpi* (2); testis est Vincentius Lirinensis, qui publicis factis innixus, *Communit.* cap. VI. scribit: *Agrippinus Carthaginiensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat*. Similia occurrunt apud Hieronymum (3), atque Pontifices Siricium ac Innocentium I. (4). Hinc decretum Stephani confirmatum est a plenario illo concilio, de quo loquitur s. Augustinus (5); quodque alii censent esse Arelatense, alii autem oecumenicum Nicaenum I. (6); quod reipsa, can. VIII, decrevit, sola manuum impositione recipiendos esse novatianos ab schismate ad ecclesiam revertentes (7).

109. Sed, quod sedulo notandum est, ipsimet episcopi Asiatici et Africani rebaptizantes totidem testes locupletissimi sunt hujus traditionis et praxis, quam propugnamus. Quod ut intelligatur, animadvertere debemus ecclesiae patres interdum esse traditionis testes, interdum simplices disputatores aut philosophos. Dum patres assertiones quasdam historice proponunt, ut ita loquar, tamquam a Deo revelatas et in communi totius ecclesiae doctrina inclusas, tunc patres sunt universae traditionis testes, eamque obtinent auctoritatem, qua patres et ecclesiae doctores praestant. Nam christiana fides revelatione divina fulcitur, revelatio autem, quum in *facto* consistat, evinci unice per testimonia potest, nequaquam vero per solas doctrinales discussiones et ratiocinia. Dum patres solum ratiocinantur, tunc vix aut ne vix quidem a philosophis differunt; qui ea tantum auctoritate gaudent, quam sibi vindicat vis intrinseca rationum, quae ab ipsis proferuntur. Quo posito, Africani et Orientales episcopi, confitentes consuetudinem ab Stephano assertam, se praebebant velut testes traditionis, eo nimirum praeditos charactere, per quem solum possunt et debent haberi sicut ecclesiae patres; ideoque, nedum baptismi ab haereticis collati valorem oppugnent suis testimoniis, luculenter confirmant. Contra vero cum istius baptismi validitatem ratiociniis et cavillationibus evertere nituntur, tunc ii nobis sunt veluti disputatores, quibus obsequium illud mi-

(1) Cfr. ad calcem opp. s. Cypriani ita inscript. *Anonymi liber de Rebaptismate*.

(2) *De baptismo*, lib. II, c. 7, n. 12.

(3) In *Dialogo advers. Lucifer.* n. 8. et 9.

(4) Siricius, *Epist.* I *ad Himerium Episc. Tarrac.* apud Coustant, *Epistolae Rom. Pontif.* tom. I, col. 624 et seq. Innocentius, *Epist.* XVII, *ad Rufum et soc.* ibid. col. 836.

(5) *De Bapt.* lib. I, cap. VII, n. 9.

(6) De hac quaestione cfr. inter ceteros Card. Norisius, *Hist. Donatist.* part. I, cap. 10, p. 175 et seqq. edit. Veron. cum appositis adnotationibus Fratrum Ballerinio-rum.

(7) Apud Harduinum *Acta Conc.* tom. I, col. 326.

nime debetur, quo ecclesiae patres semper catholici prosequuti sunt (1).

DIFFICULTATES

110. I. Obj. Scriptura ea passim docet, quae cum valore baptismi ab haereticis administrati componi nequeunt. 1. Etenim Apostolus, Eph. IV, 5, clamat: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Sed haeretici carent fide, ergo et baptismo. 2. Hinc ecclesia, Cantic. IV, 12, dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium;* nequeunt proinde haeretici extra ecclesiam constituti hortum illum ingredi, ut fructus ac de fonte illo aut puteo aquas hauriant. 3. Adde ex Apostolo, Galat. III, 27, Christum induere, quicumque in Christo baptizantur; jam vero quomodo poterunt Christum induere, qui in haeresi tinguntur? 4. Nonne praeterea filii Dei gigni tantum possunt a vera Christi sponsa, quae est ecclesia? 5. Mèrito proinde, I. Pet. III, 20 ecclesia arcae comparatur, *in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma*. Ergo extra hanc arcam baptizati diluvio peribunt.

111. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Unum baptisma a Christo institutum, quod idem est a quovis administretur sive in ecclesia catholica sive extra ecclesiam, *C.* unum eo sensu, quod nullum sit extra ecclesiam collatum *N.* Sic etiam una est fides objectiva, *C.* subjectiva *N.* Nec enim fides, prout complectitur veritates a Deo revelatas, pro uniuscujusque credentium arbitrio multiplex evadit (2). Hinc, ex eo quo quispiam veram fidem amiserit, non consequitur, eum amisisse verum baptisma, utpote quod independens omnino sit ab hominum vitio aut voluntate.

112. Ad 2. *D.* Ecclesia est hortus conclusus, fons signatus, etc. quoad effectum seu regenerationis gratiam idque respectu adultorum, *C.* quoad ipsa Sacramenta in se spectata, seu quatenus Christi sunt *N.* Neque enim, si fur ex horto, fonte aut puteo quidpiam surripiat, illud, quod furtive sublatum est, desinit in se esse aut bonus fructus, aut aqua vivens (3).

(1) Cfr. in hanc rem egregium opus, cui tit. *De optima legendorum Patrum methodo*, August. Taurin. 1742, praesertim part. III, cap. XI. Adversus Launojum, *ferocis ingenii hominem*, ut eum vocat Norisius, contendentem, antiquam traditionem potius s. Cypriano quam s. Stephano favere, cfr. idem Norisius, op. et loc. cit. ac Gottefridus Lumper Mon. Bened. *Historia Theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina ss. Patrum*, Augustae Vindelicorum, 1795. Hic enim auctor, part. XI, sect. III, in peculiari dissert. cap. 5, *De doctrina s. Cypriani*, art. II, § IV et seqq. enucleavit, quantum erat necesse, universam hanc controversiam, ostenditque, Stephani sententiam ortam ab Apostolis esse. Qui praeterea et illud efficit, prout doctissimi scriptores jam ante ipsum praestiterant, s. Stephanum non probasse baptismum haereticorum indiscriminatim, sed illorum tantum, qui rite illum contulissent, id est, juxta legitimam materiam et formam.

(2) Bernard. a Pic. in hunc loc.

(3) Apposite observat cit. Lumper, § V, Cyprianum et Firmilianum sic semper adversarios refellere, quasi isti peccata ab haereticis baptizantibus dimitti contenderent, ac proinde in hac hypothesi difficili iis non fuisse manifestam pugnam in suis adversariis demonstrare. Ast talis non fuit mens s. Stephani, qui id unum docuit, per baptismum ab haereticis rite collatum tunc solum peccata dimitti, cum abjurata haeresi ad ecclesiam reverterentur;

113. Ad 3. *D.* Quantum ad perceptionem Sacramenti, ut loquitur Augustinus (1), *C.* quantum ad vitae sanctificationem *N.* Illud enim et bonis et malis potest esse commune, alterum proprium bonorum est atque piorum.

114. Ad 4. *D.* Si ecclesia filios gignere non posset nisi utero suo, *C.* si praeterea eosdem gignere potest utero ancillarum *N.* Ita rursum s. Augustinus (2).

115. Ad 5. *D.* Ecclesia arcae comparatur ratione baptismi, quo cooptantur in ecclesiam, si infantes sint, *C.* si adulti, *subdist.* Si bona fide ab haereticis baptismum suscipiant, iterum *C.* si mala fide *N.* In hoc enim casu, si respectu istorum baptismus arca non est, provenire id unice debet ex prava suscipientium dispositione, non autem ex defectu rei susceptae.

116. II. Obj. Perperam catholici ad traditionem appellant. Etenim tinctos ab haereticis rebaptizandos praecipiunt 1. Canones Apostolici XLVI, et XLVII, nec non Constitutiones Apostolicae, lib. VI, cap. 15. 2. Anabaptismus viguit Tertulliani aetate; et s. Dionysius Alex. testatur: *Superiorum Episcoporum temporibus in ecclesiis populosissimis et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada et apud alios plurimos idem* (institutum baptizandi) *sancitum fuisse* (3). Huic consonat Firmilianus, Cesareae in Cappadocia episcopus, qui in *Epist. ad Cyprianum* affirmat: *Ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando coepisse; cum semper isthic observatum sit, ut nonnisi unam Dei ecclesiam nossemus, et sanctum Baptisma nonnisi sanctae ecclesiae computaremus* (4). Verum quod rem hanc conficit est 3. auctoritas ss. Optati Milevitani, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni et Cyrilli Hierosol. qui, non obstantibus decretis Stephani et conciliorum Arelatensis ac Nicaeni I. unanimiter tenuerunt, haereticos rebaptizandos esse; quod 4. et constituit s. Gregorius M. (5) relate ad Bonosiacos, licet in *Trinitate* eos baptizatos esse declaraverit concilium Arelatense II, can. XVII, Ergo.

117. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *N.* Ejusmodi enim constitutiones et canones, utpote ab auctoribus rebaptizantium errore infectis exarati, nullius sunt

cum soli ecclesiae datum sit peccata dimittere per baptismum et reconciliationem, si sermo sit, ut supponitur, de adultis. Paulo aliter Coustant mentem s. Stephani exponit; sed res eodem recidit. Cfr. op. cit. *Epist. Rom. Pontif.* tom. I, pag. 227, *Dissertatio, qua vera Stephani circa receptionem haereticorum sententia explicatur*, § IV. Sane, si bene perpendantur, quae tum a s. Cypriano et Firmiliano tum a rebaptizantibus reliquis objiciebantur, patebit, eos semper in eo errasse, quod non distinguerent inter Sacramentum et usum seu effectum Sacramenti, qui est gratiae collatio et per eam peccatorum remissio, et quod hunc posteriorem sensum affingerent Stephano aliisque catholicae veritatis assertoribus.

(1) Lib. *De unico Baptismo*, cap. 8 et alibi passim.

(2) *De Bapt.* lib. I, cap. 10, num. 14.

(3) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VII, cap. 7. Περὶ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συννάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν. In quem locum cfr. adnot. Valesii.

(4) Inter Cyprianicas *Epist.* LXXV, edit. Maur. pag. 149.

(5) Lib. XI, *Epist.* LXVII.

auctoritatis si tamen in iis de nova collatione baptismi rite administrati sermo sit (1).

118. Ad 2. *D.* In particularibus nonnullis ecclesiis, *C.* in ecclesia universali *N.* Etenim Firmilianus in hac ipsa, quae objicitur, Epistola admittit, diversam in ecclesia Romana consuetudinem viguisse (2). S. Cyprianus id pariter non diffitetur, dicens: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem* (3). Et in concilio Carthag. III, ea vox erupit: *In Evangelio Dominus: ego sum inquit, veritas; non dixit: ego sum consuetudo* (4). Dionysium Alex. S. Hieronymus inter rebaptizantes recenset (5); attamen ex s. Basilio contrarium constat (6). Quin etiam ipsemet de se testatur, se ad Heraclae praedecessoris sui exemplum singulos ad ecclesiam venientes, nullo illorum baptismo iterato, suscepisse (7).

119. Ad 3. *Trans.* Mirum enim esse non debet, si, non obstantibus editis decretis illorum conciliorum, in hac sententia nonnulli perstitisse visi sunt. Etenim: *Nisi prorsus fallimur*, inquit Trombellius, *horum Conciliorum decreta illis non innotuerunt; quae si innotuissent, aut, ut equidem puto, iisdem decretis paruissent, aut saltem ea sibi objecissent, et aliqua explicatione eludere studuissent; quod minime fecerunt. Neque enim locum aliquem afferre poteris, in quo ab iis fiat mentio canonum*

(1) Circa originem Canonum Apostolicorum cfr. *Iudicium Cotelerii* in hos canones, tom. I, pag. 424 et seqq. nec non Guilielmi Beveregii, *De Canonibus Apostolicis judicium*, ibid. pag. 427. Nunc exploratum ac fere certum est apud eruditos, hanc collectionem confectam esse seculo circiter ecclesiae III, ex canonibus seu decretis synodorum particularium, quae per id temporis celebratae fuerunt. Haec potissima ratio est, quare Firmilianus et Cyprianus, licet alludant ad canonem antiquum (synodi fortasse Iconiensis), nunquam tamen provocent ad aliquem canonem apostolicum. Sed nec illud omittendum est, quod Beveregius observat tum *Codicis canonum primitivae ecclesiae vindicati ac illustrati*, lib. II, cap. 12, *de baptismo haereticorum*, § IV, tum in annotat. ad can. XLVII, in hoc canone irritum pronunciari baptismum, qui collatus sit ab haereticis formam vitiantibus; cujusmodi fere omnes erant haeretici duorum aut trium priorum seculorum, hermogeniani, praxeani, cataphrygae, valentiniani, marcionitae, quintilianistae, gnostici, etc. Siquidem in can. seq. constituitur, ut baptismus rite collatus denuo non administretur. Huic observationi congruit titulus antiquus can. XLVII vulgatus a Cotelerio, sic inscriptus: *De iis, qui iterum baptizant baptizatos ab haereticis*. Caput vero XV libri VI *Constit. Apost.* nil aliud constituit, nisi quod a canone Apostolico sancitum jam fuerat. Atque hinc eos deceptos existimo, qui praetendebant, sibi favere antiquam consuetudinem alicubi receptam iterum baptizandi tinctos ab haereticis.

(2) Cfr. cit. *Epist.* pag. 144.

(3) *Epist.* LXXIV, *ad Pompejan.* p. 141.

(4) Inter op. Cypriani cit. edit. p. 333.

(5) *De viris illustribus*, cap. 69.

(6) *Epist. Canon.* CLXXXVII, *ad Amphiloch.* cap. 5; ubi mirari se ait, quod haereticorum baptismum Dionysius susciperet, et nec illum quidem pepuzenorum rejiceret, *qui in Patrem et Filium, Montanum, Priscillamque baptizabant*. Cfr. not. Maurin. edit. opp. S. Basilii in hunc loc.

(7) Cfr. Vallarsius, tom. II *Opp. s. Hieron.* ad loc. cit. *De viris illustribus*. Inde concludit Vallarsius, s. Hieronymum memoriae lapsu deceptum esse. Interim ex his patet, duas ecclesias metropolitas, matrices et apostolicas, Romanam et Alexandrinam, consentientes fuisse in admittendo juxta traditionem apostolicam baptismo haereticorum.

aut Arelatensis aut Nicaeni, in quibus de hac quaestione actum sit. Neque mirum id est; Arelatense enim celebratum est, ut Donatistarum ecclesiae se jungere recusantium, evasiones tollerentur..... Canones porro hujus Concilii ab antiquis citatos minime inveni.... Quod vero attinet ad Nicaenos canones, indubitatum est per universam ecclesiam non fuisse admodum notos (1).

120. Nec illud omittendum est, quod scite adnotavit Ballerinius, nullum scilicet Nicaenum canonem exhibere expressum atque generale decretum de haereticorum baptismo, sed ex duobus canonibus, VIII. videlicet ac XIX, legitima tantum deductione colligi; quippe can. VIII. catharos ad ecclesiam venientes impositione manuum recipi, can. vero XIX paulinianistas omnino baptizari jubet. Discrimen si quis attente inquirat, in eo situm deprehendet, quod, ut notavit Innocentius I. (2), cathari sive novatiani in nomine Patris et Filii et Spiritus S. baptizabant; paulinianistae vero non item. Hanc discriminis rationem quicumque observavit, quaestionem de Baptismo Nicaenis canonibus definitam deprehendit. Cum vero haec discriminis ratio ex ipsorum canonum verbis non incurrat statim in oculos, nil mirum, si non omnes, qui legerunt ipsos canones, eandem quaestionem ipsis canonibus definitam cognovere; nihilque pariter mirandum, si ob ejusdem animadversionis defectum s. Basilius ad eam quaestionem definiendam aliquod concilium desiderans, et a Nicaenis patribus definitam non animadvertens causam varietatis ea in materia diversae disciplinae et oeconomiae vindicavit. Eadem animadversio pariter fugit s. Cyrillum Hierosolym. episcopum, qui etiam post Nicaenum concilium scripsit in *Prologo* ad suas *Catecheses: Soli haeretici rebaptizantur, siquidem prius illud non fuit baptisma* (3).

121. His adjiciendum, catharos sive novatianos spectatos potius fuisse ut schismaticos quam ut haereticos; porro rebaptizantes baptisma schismaticorum ratum habebant. Hinc hac fortasse de causa quidam putarunt, Nicaenos patres illorum baptisma validum declarasse (4). Adde, plerosque ex objectis patribus, non exclusis Cypriano et Firmiliano, spectasse hanc quaestionem veluti disciplinarem, minime vero ut dogmaticam; ac proinde satius esse duxerunt, propriae ecclesiae, ad quam spectabant, consuetudinem sequi, quin contrariam praxim, quam in aliis ecclesiis praesertim vero Romana, vigentem noverant, impugnarent aut reprehenderent (5).

(1) *De Baptismo*, tom. IV, diss. VIII, p. II, art. III, q. I, cap. VIII, § 3, qui fuse adversus Launojum de hoc argumento disserit.

(2) *Epist. ad Macedones*, n. 10, apud Coustant.

(3) Petri Ballerinii, *De vi ac ratione primatus Rom. Pontif.* Veronae 1766, cap. 13, § IX, pag. 166, not. 1.

(4) Cfr. Sbaralea, op. cit. *Germana s. Cypriani*, etc. diss. I, cap. I, § 32; nec non edit. Maur. opp. s. Basilii in nota ad citat. *Epist.* CLXXXVIII, tom. III, pag. 268; Card. Noris. *Hist. Donat.* edit. cit. pag. 188 seqq. Toutteus, opp. s. Cyrilli Hierosol. diss. III, *De doctrina s. Cyrilli*, cap. 8, n. 67; *De baptismo ab haereticis collato*.

(5) Cfr. Norisius, Ballerinius, Coustant loc. citt. Hic distingui debet quaestio in sua, ut ita loquar, natura spectata, a ratione, qua veteres plerique eam considerarunt. In se certe dogmatica est, secus ac Launojus contendit; ast veteres plerique consueverunt veluti disciplinarem controversiam hanc habere, ut ex certissimis documentis constat, quae apud citatos auctores videri possunt, quaeque hic prae-

122. Ad 4. *D.* Vel errore facti deceptus, vel quia bonosiaci post Arelatense concilium baptismi formam vitiarunt, *C.* quasi censuerint nullum esse haereticorum baptisma *N.* Certum enim est, bonosiacos interdum baptizasse in nomine ss. Trinitatis, interdum vero non item (1).

PROPOSITIO II.

Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert Sacramentum

123. Est de fide haec propositio; totidem siquidem verbis eam definivit Tridentina synodus, sess. VII, can. XII: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia; quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

124. Est autem adversus donatistas, qui sec. IV, ecclesiam diro schismate laceraverunt. Hi nomen et errores hauserunt a duobus Donatis, altero in Numidia episcopo veluti eorum auctore, altero antistite Carthaginiensi veluti promotore. Privata quorumdam seniorum et Lucillae factiosae feminae vindicta factum est, ut pulso Coeciliano legitimo praesule, sub obtentu quod ipse a proditore sacrorum codicum ordinatus fuerat, in ejus sedem Carthaginiensem intruderetur Majorinus. Hinc ortum schisma, quod brevi in haeresim declinavit (2). Donatistae igitur, ut proprium schisma cohonestarent, docuerunt, Sacramenta a proditoribus, ac deinde etiam a peccatoribus quibuscumque, saltem manifestis, collata, nulla ac irrita esse. Hunc errorem proscripsit Melchiades Papa in conc. Romano, ac denuo proscripsit concilium Arelatense (3). Cum eundem errorem renovaverint, ut diximus, waldenses, albigenses, wicleffitae et hussitae, iterum eum proscripsit concilium Constantiense, a quo damnatus est IV articulus Wicleffi: *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat* (4). Cum denique anabaptistae hanc doctrinam suam fecerint, concilium Tridentinum tulit adversus eam canonem citatum.

termittimus, ne longiores simus. Huic sententiae etiam adstipulatus est doctissimus D. Maurus Cappellari, qui virtute ac sapientia ad Summi Pontificatus verticem sibi viam paravit, appellaturque GREGORIUS XVI, in opere Venetiis 1832 iterum edito sub titulo: *Il Trionfo della Santa Sede*, (quod opus gallice prodiit Lovanii 1834) cap. 20, ubi non solum naviter ac erudite confecit quod sibi proposuit, verum etiam solvit difficultates quae obstare videntur.

(1) Cfr. Christ. Lupus, opp. edit. Venet. 1725, tom. IV, dissert. secunda prooem. pag. 106 et seqq. et nota edit. Maur. ad cit. Epist. s. Gregorii Magni, qui in objecto loco diserte scribit, bonosiacos perinde ac cataphrygas minime baptizasse in ss. Trinitate.

(2) Praeter Natalem Alex. *Hist. eccl.* sec. IV, cap. 3, art. 1, et Tillemont, *Mémoires pour servir à l' Hist. ecclés.* tom. VI, pag. 1 et seqq. et 697 et seqq. cfr. *Historia Donatistarum* Card. Norisii, edita a fratribus Ballerinis, Veron. 1732, opp. auct. vol. IV. Haec siquidem historia longe copiosior et accuratior est.

(3) Cfr. Norisius opere cit. p. 1, cap. 7 et cap. 10.

(4) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. VIII, col. 909.

125. Hac porro ratione assertam fidei veritatem adstruimus: Sacramenta vim suam a Christo institutore et causa meritoria totam habent; ergo valida sunt a quovis ministro conficiantur et conferantur. Jam vero Sacramenta totam vim ac virtutem suam a Christo ipsorum auctore et causa meritoria haurire, patet ex iis, quae Joannes Baptista testatus de Christo est, Joan. I, 33, dicens: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Quamvis Christus per se minime contulerit baptisma, sed per discipulos suos, ut legitur, Joan. IV, 2, attamen ipse dicitur baptizasse. Hinc optime s. Augustinus, *Tract. VI. in Joan.* n. 7 et 8 recitata verba commentatur: *Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat... Illud, quod datum est, unum est; nec impar propter impares ministros; sed par et aequale, propter,* HIC EST QUI BAPTIZAT (1). Haec confirmantur ex iis, quae scribit Apostolus, I. Cor. III, 7: *Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Tota igitur in Sacramento potestas Christi est, sacerdotis vero seu ministri tantummodo administratio. Malus autem sacerdos seu minister cum Christi vi ac potestati impedimentum afferre nequeat, rata ac valida esse debent Sacramenta illa, quae mali sacerdotes confecerint, quorumque administratores fuerint.

126. Eadem veritas hoc altero ejusdem s. Augustini argumento mirifice illustratur: *Dedit Judas baptisma nec baptizatum est post Judam: dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem*, Act. XIX, 5; quia, qui datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. At, qui abluti fuerunt a Juda tingendi iterum fuissent, si ministri improbitas officeret valori Sacramentorum, nec Joannis baptismati baptisma a Juda collatum praeponendum esset (2).

127. Argumentatur deinde s. Augustinus in hunc modum: semina, sive puris sive impuris agricolarum manibus terrae mandentur, fructuosa sunt; ergo etiam Sacramenta, sive a justis sive a peccatoribus fuerint administrata (3).

(1) Cfr. etiam in lib. *De unitate Eccles.* cap. 21, n. 58.

(2) Lib. *De unitate Eccles.* loc. cit. et *Tract.* V *in Joan.* n. 18, et alibi passim.

(3) *Contr. Crescon.* lib. III, cap. 8. Qui praeterea, *Tract.* cit. *in Joan.* n. 15, hac pulchra utitur similitudine: « Per lapideum canalem transit aqua ad areolas; in canali lapideo nihil generat; sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus Sacramenti ita est ut lux; et ab illuminandis pura excipitur, et, si per immundos transeat, non inquinatur ». Nec omittenda hic est elegans similitudo, qua ad hoc ipsum declarandum utitur s. Gregor. Nazianz. *Orat.* XL, n. 25: Σκόπει δὲ οὕτως, ἔστω χρυσὸς, ἔστω σίδηρος. δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικήν, εἶτα κηρὸν ἐντυπούτωσαν· τί διοισει σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης; Οὐδέν. Ἐπίγνωθι τὴν ὕλην ἐν τῷ κηρῷ, κἂν ἧς σοφώτατος. εἰπὲ τί μὲν τοῦ σιδήρου, τί δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἐκσφράγισμα, καὶ πῶς ἔν ἐστι; τῆς γὰρ ὕλης τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. Οὕτως ἔστο σοι πᾶς βαπτιστὴς, κἂν τῇ πολιτείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥ γε τοῦ βαπτίσματος δύναμις ἴση. « Sint, *inquit*, duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce . . . Dic utrum e duobus signis, aureo annulo, utrum ferreo, expressum sit, quoque modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi

Nam si non essent fructuosa, id maxime esset, quia peccatorum faece contaminata spoliarentur omni virtute; quo nihil absurdius fingi potest. In hac praeterea hypothesi salus nostra non levi parte a ministrorum probitate aut improbitate penderet, ac sortes nostrae in istorum manibus quodammodo repositae essent (1).

128. Hanc eandem veritatem demum perpetuus ac constans ecclesiae sensus traditionalis luculentissime evincit. Nunquam enim in ecclesia excitatum dubium est de valore Sacramentorum, quae ab impiis fuerint administrata. Vix donatistae coeperunt innovare adversus receptam hanc ecclesiae doctrinam, dum statim impugnati sunt et condemnati (2). Ergo.

DIFFICULTATES

129. I. Obj. Scriptura pravos ministros ineptos esse ad Sacramenta administranda aperte docet. Nam 1. Exod. XIX, 22, dicitur: *Sacerdotes, qui ascendunt ad Dominum sanctificentur*. Item Levit. XXI, 17: *Homo . . . qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo.* Prov. XV, 8: *Victimae impiorum abominabiles Deo* declarantur. Quare, Jerem. III, 15, promittit Deus, se posthac daturum *pastores juxta cor suum*. Deus enim, ut dicitur Joan. IX, 31, *peccatores non audit;* et Christus, Matth. VII, 18, ait: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Largiturus propterea apostolis suis potestatem dimittendi peccata, prius illis Spiritum Sanctum tribuit iis verbis, quae leguntur Joan. XX, 22: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Cum igitur improbi ministri Spiritum Sanctum non habeant, nec potestate proinde fruuntur dimittendi peccata, aliaque Sacramenta conficiendi aut administrandi. 2. Accedit, absurdum esse, ut ii, qui sunt contra Christum, imo et *ex patre diabolo*, ut dicitur Joan. VIII, 44, possint esse ejusdem Christi ministri. 3. Sane aliquod debet intercedere discrimen inter bonum pravumque ministrum; jam vero, si uterque aeque valide administraret Sacramenta, par esset utriusque conditio. 4. Hinc ecclesia ipsa a sacris tractandis arcet pravos ejusmodi ministros. Ergo.

130. Resp. *D. A.* Docet Scriptura, pravos ministros ineptos esse ad licite et honeste administranda Sacramenta, *C.* ad valide ea conficienda et conferenda *N.* Omnes porro adductae probationes ex sacris Litteris praesens argumentum non attingunt; cum vel de honestate et sanctitate loquantur, qua sacrum ministrum ornatum esse decet, ut licite ac sancte fungatur officio suo, vel disserant de materia omnino diversa ab ea, de qua hic agimus. Etenim.

131. Exod. XIX, sermo est de purificatione legali praemittenda a sacerdotibus, antequam ad sacra accederent

munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est ». Opp. edit. Paris. 1630, tom. I, pag. 656.

(1) Hoc pariter argumentum urget s. Augustinus, *Contr. Cresc.* lib. III, capp. IX, X et XI, ostenditque innumera prope incommoda, quae ex hypothesi donatistarum orirentur, et schismata, quae necessario exinde deberent efformari. Cfr. S. Th. p. 3, q. 64, a. 5 et lib. IV *Cont. Gent.* capp. 77, ubi hoc argumentum, ut solet, egregie evolvit.

(2) Cfr. auct. citt. qui scripserunt historiam donatist. Quibus addi potest inter ceteros Henric. Valesius, qui ad calcem versionis a se adornatae opp. hist. Eusebii, satis prolixam adjecit et accuratam dissert. *De schismate Donatistarum.*

ut licite et honeste ea attingerent. Levit. XX. agitur de dotibus exterioribus, quibus instructus esse debebat summus Sacerdos.

132. Prov. XVI. victimae impiorum dicuntur abominabiles ex prava offerentium dispositione, non vero ex parte rei oblatae.

133. Jerem. III. promittit Deus, se posthac daturum moderatores sibi gratos et acceptos; non quales reges Israëlis et Judae fuerunt, qui populum ad idolorum cultum detorserunt.

134. Joan. IX. dicitur, Deum peccatores non audire ad patranda miracula, quae confirment falsam doctrinam.

135. Matth. VII. ait Christus, arborem malam non posse fructus bonos facere, cum arbor mala, id est, homo, fructus producit ex propria virtute, non autem cum producit ex virtute aliena, nec prout arbor mala est.

136. Joan. XX. dedit Christus potestatem remittendi peccata; hinc, si pravi ministri non habent in se Spiritum Sanctum inhabitantem per gratiam, habent tamen operantem per Sacramenta ad aliorum salutem.

137. Ad 2. *D.* Pravi ministri sunt contra Christum et ex parte diabolo, prout peccatores et mali sunt, *C.* prout operantes ex virtute Christi *N.*

138. Ad 3. *D.* Quoad vitae meritum, *C.* quoad facultatem in Sacramentis administrandis *N.* Alioquin innumera prope incommoda sequerentur.

139. Ad 4. *D.* Ne illicite sacra pertractent, *C.* quasi invalide Sacramenta administrarent *N.*

140. II. Obj. 1. Patres aperte professi sunt, nullum esse Sacramentum ab impiis collatum. Etenim s. Ambrosius, lib. *De mysteriis*, cap. IV: *Non sanat*, inquit, *baptisma perfidorum, non mundat, sed polluit;* et s. Hieronymus, *In cap. III. Sophoniae*, testatur, quod sacerdotes, *qui Eucharistiae serviunt, et Sanguinem Domini populis ejus dividunt impie agant in legem Christi, putantes, Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam; et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita.* Hinc s. Leo M. *Epist. CLVI*, pro certo sumens, irrita esse Sacramenta a nefariis hominibus confecta deflet miserum ecclesiae Alexandrinae statum: *Manifestum*, inquiens, *quippe est, per crudelissimam insanissimamque saevitiam, omne illic coelestium Sacramentorum lumen extinctum.* Quare vel ipse s. Augustinus, lib. III. *De Baptismo*, id demum agnovit, scribens: *Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant ... Si sola illa columba* (ecclesia) *simplex et casta et perfecta baptizat* (1)? Et infra: *Tales* (avari et raptores) *ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coëpiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur ... Remissionem tamen peccatorum non dabant ... Non enim raptoribus et foeneratoribus diceret Dominus: si cui dimiseritis peccata, dimittentur illis* (2). 2. Atque haec procul dubio causa extitit, cur fuerit constans, ut affirmat Morinus (3), atque universalis sensus et praxis reiterandi saltem Sacramentum confirmationis in iis, qui fuerint ab haereticis vel schismaticis chrismate consignati; in quam sententiam concessit quoque Maldonatus (4). Adde auctoritatem Romani Pontificis Eusebii, in *Epist. ad Tusciae et Campaniae Episcopos;*

(1) Cap. 17.
(2) Cap. 18.
(3) *De poenit.* lib. IX, cap. 11, num. 7.
(4) *De Sacram. Confirmat.* tom. I, quaest. II, edit. Paris. 1677, col. 79.

Nicolai I, jubentis iterum confirmari Bulgaros a photianis chrismate inunctos; ac patrum asserentium, Baptismum datum ab haereticis non esse repetendum, sed solam iterandam esse confirmationem, quia effectus proprius confirmationis est conferre Spiritum Sanctum; quod omnes antiqui contenderunt fieri non posse apud haereticos, qui eo carent. Haec porro ratio pariter valet quoad peccatores. Ergo.

141. Resp. ad 1. *D.* Patres professi sunt, nullum esse Sacramentum ab impiis collatum, quoad effectum seu fructum in iis qui scienter illorum impietati participant *C.* nullum, id est, irritum in se ob improbitatem ministri *N.*

142. Sane s. Ambrosius loc. cit. loquitur de baptismatibus Judaeorum et infidelium, et quidem superstitiosis, non autem de ecclesiae baptismate ut ostendit contextus; prosequitur enim: *Judaeus urceos baptizat et lavat* (1).

143. S. Hieronymus reprehendit improbos illos sacerdotes, qui putabant, se *digne* posse eucharistiam consecrare ex hoc solo, quod fuerint sacerdotes, quamvis essent sceleribus inquinati (2); nec alia mens potuit esse s. Doctoris, qui, in *Dialogo adversus Luciferianos*, donatistarum errorem data opera confutat (3).

144. S. Leo M. conqueritur de extincto coelestium Sacramentorum lumine, non eo sensu, quod putaverit, nulla aut irrita esse Sacramenta ab impiis administrata de quo nec suspicari critica permittit; sed quod cessaverit eorundem Sacramentorum administratio ob Dioscori saevitiem. Nam, ut ibidem subdit s. Pontifex: *Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria* (4).

145. S. Augustinus negat, prodesse Sacramenta suscipientibus ea a ministris improbis et schismaticis; ut constat ex tota orationis serie. Tria enim ibi affirmat s. Doctor, quae ejus mentem luculenter declarant: 1. ubique inveniri *Sacramenti integritatem*, non autem peccatorum remissionem; 2. non posse quempiam juvari precibus sanctorum, dum pessime vivere perseverat, non

(1) Cfr. not. editorum Maur. in hunc loc. qui, expenso quaquaversus hoc s. Ambrosii dicto, concludunt; « Utcumque porro res se habeat, certum est, perperam in hac controversia citari hunc Ambrosii locum; non enim in eo de haereticorum (multo minus impiorum catholicorum), sed Judaeorum, aut etiam de infidelium, quae tertia acceptio est, baptismo agi, tum ipsa orationis series, tum auctor operis de Sacrament. lib. II, cap. 1, n. 2, testatum reddunt ».

(2) Ita s. Th. p. 3, q. 82, a. 5, ad 1. Cfr. not. Vallars. in hunc loc. Id unum enim hic cavet s. Doctor, ne, dum de sola sibi sacerdotes potestate blandiuntur, rectam vivendi deserant normam, et quod potestate construunt, exemplo destruant. Clarius etiam constat hic sensus ex iis, quae paulo post (col. 721 edit. cit.), subdit, ubi hoc ipsum inculcat.

(3) Cfr. Lib. *Cont. Lucifer.* n. 5 et seqq. ubi haec ipsa argumenta a luciferianis objecta solvit.

(4) Cap. 5. Ut autem magis pateat, eandem semper haereticos indolem patefecisse, placet verba exscribere, quibus eutychianorum saevitiem et audaciam sacrilegam ibid. describit: « Nec ullo modo, *inquit*, ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui post nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi Sacerdotis effusum et concremati corporis cinerem in contumeliam aeris coelique dispersum, audent sibi jus perversae dignitatis expetere, et apostolicae doctrinae inviolabilem fidem ad concilia provocare ». Edit. Ballerin.

obstante *pio columbae ministerio*. 3. Si convertantur, *non rebaptizantur*, et tamen incipiunt *ad columbam pertinere* (1).

146. Ad 2. *Neg.* Ostendit enim eruditissimus Christianus Lupus, deceptos illos scriptores fuisse; cum in monumentis, quae illi adducunt, non agatur nisi de poenitentiae Sacramento, quod juxta diversos effectus, quos producit in illis, quibus confertur, interdum a veteribus dicebatur dari in aliis *in poenitentiam*, in aliis *in Spiritum Sanctum* (2). Animadvertit praeterea, Eusebii Pontificis Decretalem nullius ponderis esse, utpote supposititiam.

147. Ad responsum vero, a Nicolao I. Bulgaris datum, idem auctor concedit, sanctum Pontificem in hac parte secutum esse opinionem satis suo tempore communem, qua irrita habebatur, ac proinde iteranda chrismatio ab haereticis facta. Idemque sensisse autumat eundem Pontificem circa ordinationem, re nondum tunc temporis eliquata, prout postea factum est (3). Ast perperam. Hac siquidem sententia minime permotus fuisse videtur Nicolaus I. dum jussit iterari confirmationem a Photianis collatam; sed quia Bulgaria spectabat ad patriarchatum Occidentis, in quem nullam poterat Photius exercere auctoritatem; quare a Romanis Pontificibus Bulgariae presbyteris delegatio et jus conferri debebat administrandi sacramentum confirmationis; ex hujus propterea delegationis defectu irritam declaravit Nicolaus chrismatis consignationem factam a Graecis presbyteris (4). Quod vero spectat ad ordinationem, destruitur per ea

(1) En ejus verba ex cap. 17, lib. cit.: « Sacramenti autem integritas ubique cognoscitur; sed ad peccatorum illam irrevocabilem remissionem extra unitatem ecclesiae non valebit. Nec in haeresi aut schismate constitutum sanctorum orationes, id est, illius unicae columbae gemitus, poterunt adjuvare; sicut nec intus positum possunt, si adversum se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum, non solum si per accipitrem, sed etiam si per ipsius columbae pium ministerium baptizetur ».

(2) *Diss. de octava Synod.* edit. Venet. 1724, tom. III, *Column.* IV, pag. 341 et seqq., ubi hoc argumentum pluribus evolvit, confutans Morinum et Maldonatum. Ceterum Morinus ipse in altera sui operis, *De poenitent.* edit. nempe data Antverp. 1682, hanc opinionem retractavit. Cfr. edit. cit. « Auctoris de recognitione operis sui ad lectorem admonitio ». Hic enim expositis rationum momentis, quae favere videbantur sententiae a se assertae, quae tamen reperit eidem adversari, concludit: « Puram puto fuisse ceremoniam, quam in haereticorum reconciliatione et ecclesiae incorporatione adhibebant » (veteres). Quod attinet ad Maldonatum, P. Alegambe in *Bibliotheca Scriptorum Soc. Jesu*, Antverp. 1643, pag. 257, scribit: « Disputationum ac controversiarum decisarum circa VII Ecclesiae Romanae Sacramenta tomi II in 4. Lugduni sine Typographi nomine 1614 vulgati, sub Maldonati nomine, nec illius nec ullius de societate sunt, et suos etiam errores continent ». Attamen eidem Maldonato hoc opus vindicat editor opp. Theologic. ejusdem auctoris adversus P. Alegambe. Cfr. Joan. Maldonati, *Opera varia Theologica tribus tomis comprehensa*. Lutet. Paris. 1677. Vid. Praef. *De vita et scriptis Maldonati*. Certe in hoc opere non videntur reperiri illi errores, quos autumat in eo esse P. Alegambe.

(3) Cfr. ibid. pag. 343. Cfr. de hoc argumento Bellarm. *De Sacram.* lib. I, cap. 25, Estius, *In* IV *lib. Sent.* d. 1, § 25 et seq. Vasq. *in* 3 *p. s. Thom.* disp. 137.

(4) Cfr. idem auct. *Schol. in Can.* IV *Synod.* VIII, p. 268.

ipsa quae idem auctor alibi scripsit (1). Ast de hoc alias iterum.

PROPOSITIO III.

In ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia

148. Hoc est de fide juxta definitionem datam a Tridentino, sess. VII, can. XI: *Si quis dixerit in ministris non requiri, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Tridentinis patribus praeiverat Martinus V. in conc. Constantiensi et Eugenius IV. in conc. Florentino. Est autem illa propositio adversus protestantes, qui, cum in Sacramentis non aliam agnoscant virtutem nisi fidei excitandae, ea proinde valere inferunt, quamvis mimice ac irrisorie conferantur.

149. Intentionis nomine hic venit illa animi deliberatio, qua quis intendit facere rem sacram, quam Christus instituit, aut quae in ecclesia fieri consuevit (2). Si haec intentio habeat tantum pro objecto rem illam sacram materialem, ut ajunt, seu externam actionem, *intentio externa* nuncupari consuevit; si praeterea habeat pro objecto intimam rei sacrae naturam seu actionem, ita ut quis intendat efficere reipsa actionem sacramentalem, vocatur *intentio interna*. Controversia, quae inter catholicos et protestantes agitatur, est de intentione externa. Quid porro sentiendum verisimilius sit de intentione interna, de cujus necessitate disceptant inter se theologi catholici, aperiemus in scholiis, quae ad calcem tractatus apponemus. Intentio potest esse aut actualis aut virtualis, quae nempe perseverat virtute deliberationis, quae praecessit; prior est optima, sed non necessaria in Sacramentorum collatione; posterior, quae sufficit ad actum humanum constituendum, omitti nequit, ac ea est, de qua disceptatur.

150. Ejusmodi porro intentionem, saltem externam et virtualem, necessario requiri in Sacramento conficiendo et conferendo, ea omnia Scripturarum testimonia evincunt, in quibus Sacramentorum administratores vel exhibentur tamquam *Ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, ut I. Cor. IV, 1; vel jubentur a Christo, eucharistiam conficere in sui ipsius commemorationem, ut Luc. XXII, 19; vel demum judiciaria potestate donantur, illis ejusdem Christi verbis Joan. XX, 23: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Jam vero nec tales esse possunt nec talia peragere, qui indeliberate ac temere delirantium more operantur.

151. Accedit, quod ad Sacramenti valorem requiratur, ut actio, quae fit, ut diximus, sit actio humana ac deliberata; talis vero actio esse nequit, nisi ex intentione procedat; praesertim cum de aliqua actione agatur, quae ad

(1) Cfr. in Dissert. secunda prooemiali *De simoniae crimine*, etc. cap. 17, edit. cit. tom. IV, pag. 104 et seqq.

(2) Diligenter animadvertendum est non semper opus esse, ut conferens baptisma sciat illud esse a Christo institutum, aut intendat facere quod Christus instituit; sed satis est, ut intendat facere, quod novit in ecclesia seu in coetu christianorum fieri. Alioquin, si paganus ignoraret Christi institutionem, invalide conferret baptisma, dum intendit ponere id, quod in ecclesia novit fieri. Hinc addidimus: *Aut in ecclesia fieri consuevit*.

varios fines referri possit, neque ad unum possit determinari nisi ex operantis voluntate et intentione (1) : alioquin pater ad balneum ducens puerum suum ob solam munditiem et sanitatem, si, dum illum immergit, more christiano invocet nomen ss. Trinitatis, puer revera baptizatus censeri deberet, quo nihil absurdius. Talia porro sunt pleraque Sacramenta.

152. Demum omne dubium removet ecclesiae praxis, ex qua edocemur, ordinationem Novatiani pseudopontificis ab episcopis temulentis factam, *adumbratam et inanem manuum impositionem* appellari a Cornelio in *Epistola ad Fabium Antiochenum* (2). Baptismus item a femina praestigiatrice collatus sub finem sec. II. incunctanter ab omnibus irritus est declaratus (3) ; quia nempe et in illis episcopis et in hac femina non credebatur esse praesens rationis usus, unde necessaria intentio posset haberi. Alioquin, si psittacus ita edoctus aquam profunderet ac verba pronunciaret, baptisma conferret, quod nec protestantes admittunt ; et nihilominus ex eorum principiis actio ista apta esset ad fidem excitandam. At psittacus, dices, non est homo. Repono, quare ergo ab homine conferendum est Sacramentum, nisi ut humano modo conferatur, ac propterea cum intentione, voluntarie et libere ?

DIFFICULTATES

153. Obj. 1. Ado Viennensis, cui adstipulatur Martyrologium Romanum, VIII. kal. Sept. refert, Genesium mimice in theatro baptizatum. 2. Rufinus, Socrates atque Sozomenus tradunt, a puerulo Athanasio alios pueros ludicre baptizatos, atque ab Alexandro episcopo Alexandrino rata habita esse ejusmodi baptismata (4). 3. Idem sensit s. Augustinus de baptismo a Nicephoro archiatro *nugaciter* suscepto, qui, abjecta nugacitate, reiteratus non est (5). Hinc, 4. *Tract. V. in Joan.* n. 14. loquens idem s. Doctor de ministro baptismi : *Non timeo*, inquit, *adulterum, non timeo ebrium . . . quia columbam attendo, per quam mihi dicitur ; hic est qui baptizat.* 5. Et lib. VII. *De Baptismo*, propositis sibi quaestionibus, an valeat baptismus *in mimo cum fide, si quispiam inter agendum repentina pietate moveatur ;* tum, an valeat illud, *quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat*, anceps haesit, et *divinum judicium* per alicujus revelationis oraculum implorandum dicit ad decernendum, an valeat, quod *totum ludicre et mimice et joculariter ageretur* (6). Quomodo igitur, post XII. ferme secula, ecclesia potuit decernere, illud minime valere? 6. Rur-

(1) Apposite s. Th. p. 3, q. 64, a. 8: « Quando, *inquit*, aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quae in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi ; sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiem corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis ».

(2) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 43.

(3) Hoc factum refert Firmilianus *Epist. ad Cyprian.* quae inter Cyprianicas edit. Maur. est, n. LXXV, cfr. p. 146.

(4) Rufin. *Hist. eccl.* lib. X, cap. 14 ; Socrat. *Hist. eccl.* lib. I, cap. 15 ; Sozomen. lib. II, cap. 17, atque ex iis Nicephorus, lib. VIII, cap. 44.

(5) *Epist.* CCXXVII, *ad Alipium*.

(6) Cap. 53.

sum idem Augustinus, *Contra Crescon-nium*, lib. III, cap. VIII, Sacramenta semini comparat, quod operarium quidem exposcit, sed, *qua mente operetur, qua laboret intentione*, non curatur. 7. Augustino consonat Chrysostomus, dicens: *Pater et Filius et Spiritus S. omnia facit; neque enim justum est, propter alterius malitiam ad salutis nostrae symbola fideles accedentes offendi* (1). 8. Consonat Isidorus Pelusiota, qui nefarios Sacramentorum ministros comparat *Balaami asinae* (2); quae pariter Chrysostomi similitudo est. Ergo.

154. Resp. ad 1. *D.* Attamen non dicitur validum ejusmodi baptisma, *C.* secus, *Tr.* Addo, Genesium in sanguine suo baptizatum fuisse (3).

155. Ad 2. *D.* Illud tradunt laudati scriptores ex dubia fama, quaeque falsa ex chronologia deprehenditur, non solum a Tillemontio sed et ab ipso Basnagio (4), *C.* vere, *subdist.* rata habita sunt ab Alexandro ejusmodi baptismata, postquam deprehendit in Athanasio animum imitandi, adeoque et faciendi, quod in ecclesia fieri vidit, prout subdunt iidem historici, *C.* alias *N.* Id ipsum dicendum de puero hebraeo in ora maritima a pueris ludentibus baptizato, testante Nicephoro Callixto (5).

156. Ad 3. *D.* Id est, deposita, quam

(1) *Hom.* LXXXVII, *in Joan.* n. 4, edit. Maur.

(2) *Epist.* XXXVII, lib. II, edit. Billii, Paris. 1638.

(3) De hoc Genesio diversi diverse sentiunt. Nonnulli in dubium revocant ejus historiae veritatem; sed perperam. Cfr. *Acta ss. Bolland.* tom. V, mens. August. p. 119 et seqq. Ruinart. *Acta Martyrum sincera*, edit. Veron. pag. 236. Alii saltem dubia movent circa collationem ejus baptismi in scena; quia, inquiunt, nemo de hoc baptismo in scena collato mentionem injecit usque ad Adonem Vienn. qui est seculi IX scriptor; defunctus siquidem est Ado anno 880. Ast vero Ado non proprio marte haec scripsit; sed refert Acta antiqua, quae simplicitate sua se commendant, ac propterea a Tillemontio aliisque recensitis scriptoribus praeferuntur actis Surianis. Cfr. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'hist. ecclésiastique*, tom. IV, pag. 694 et seqq. Ceterum duobus modis exterior ecclesiae ritus per jocum exerceri potest: altero quidem, ut ritus simulate tantum repraesentetur; et hic modus, utpote ille in quo sistit tota agentis ratio, Sacramenti veritatem impedit; altero vero, cum quis intendit, facere, quod facit ecclesia, etsi ad jocum, lucrum aliumve malum finem; hac porro posteriori ratione administratum baptisma valet, cum hic modus extrinsecus sit ipsi baptismo, aut alii cuilibet Sacramento. Cfr. S. Th. 3, p. q. 74, a. 2, ad 2. Potuit propterea hoc posteriori modo baptisma administrari Genesio in hypothesi illorum, qui pugnant pro ejus validitate.

(4) Diversa pariter, imo contraria sunt eruditorum judicia circa hoc baptisma, quod perhibetur a s. Athanasio adhuc puero collatum. Hanc Rufini historiam, ex qua postea eandem hauserunt Socrates et Sozomenus, rejiciunt Tillemontius, *Mémoires*, etc. tom. VIII, pag. 651, not. II, *Sur l'histoire du baptême de s. Athanase*; Maurini editt. in *Vita s. Athan.* opp. tom. I, pag. 3, n. 2. Quibus assentitur ex heterodoxis Basnagius, *Annal. politico-eccles.* tom. II, ad annum 326, n. XIV. Eam vero recipiunt praeter Baronium, ad annum 311, num. 61; Pagius, *Critica*, an. 311, n. 20; Papebrochius ad diem 2 Maj pag. 288, § 20. Henschenius autem ad diem 26 Febr. pag. 636, *c*, haeret dubius. Quidquid porro sit, saltem valde suspecta ea est, ac difficile omnino cum chronologia conciliatur.

(5) *Hist. eccl.* lib. III, cap. 37. Refert tamen idem historicus ibid. puerum illum a ludentibus infantibus prius in mari tinctum, jussu Constantinopolitani episcopi denuo fuisse baptizatum saltem, ut innuit, sub conditione.

prius ostenderat, animi levitate et inconstantia ob eam, quam Nicephorus expertus est, Dei punitionem, *C.* id est, mimice seu ficte *N.* (1).

157. Ad 4. *D.* Scilicet *ebriosum* seu *malum* juxta s. Augustini scopum et emendatiores editiones (2), *C.* vere *ebrium N.*

158. Ad 5. *D.* Haesit s. Doctor, si quispiam *repentina pietate moveatur*, vel *subito fideliter commotus accipiat*, *C.* haesit circa haec baptismata in se spectata *N.* In priori igitur tantum casu praecise anceps fuit s. Augustinus, ut ejus verba declarant; ac in tali casu implorandum censuit divinae revelationis oraculum, quod postea editum est ab ecclesia, cui divina assistentia praesto erat, utpote legitimae Scripturarum et Traditionis interpreti. Quod si in hypothesi adversariorum ecclesia post XII. secula non potuit definire quaestionem circa quam haesit dubius s. Augustinus, quare ipsi affirmant, valida esse haec ipsa baptismata post XII. secula?

159. Ad 6. *D.* Non attenditur juxta s. Augustinum in ministro, an ejus intentio fuerit bona vel mala, ad sensum Cresconii donatistae, *C.* an *nulla* omnino fuerit *N.* (3).

160. Ad 7. *D.* Non obstante bona vel mala sacerdotum vita, de qua loquitur s. Joan. Chrysostomus, *C.* deficiente intentione *N.* De hac enim ibi non disserit s. Doctor.

161. Ad 8. *D.* Similitudine utens inadaequata, *C.* adaequata *N.* Alioquin etiam bruta animantia possent Sacramenta administrare. Ceterum sensus s. Isidori colligitur ex iis, quae ibidem scribit: *Is qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba Sacerdotum vita nullo damno afficitur* (4). De sola proinde ministrorum improbitate loquitur.

162. I. Inst. 1. Innocentius IV, in III *Decret.* scribit minime requiri, *quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia .... nec quod gerat in mente, facere quod facit Ecclesia; immo, si contrarium gereret in mente, scilicet et non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat*, nihilominus valere baptismum. 2. Ratio est, quia minister est instrumentum; in instrumento autem nulla requiritur intentio. 3. Praeterea, uti Sacramentorum, ita divini verbi dispensatores sunt sacerdotes; porro divini verbi efficientia non pendet ab intentione ministri, ita neque efficientia Sacramentorum, ut luculenter patet in eucharistia, quae sine ulla intentione vere distribuitur; sic etiam oratori regio satis est, si mandantis litteras ostendat, quidquid demum animo verset. 4. Demum, si vera esset catholicorum doctrina, illinc perpetuus metus et graves ambages exurgerent in animis Sacramenta suscipientium, nunquam satis tuti essent, utrum ea legitime susceperint necne. Ergo.

163. Resp. ad 1. *D. Dummodo ba-*

(1) Ut patet ex toto contextu. Cfr. ibid. s. Doctor.

(2) Ita legunt Lovanienses, Maurini, Clericus ipse; et exigit orationis series. Scribit enim loc. cit. s. Augst.: « Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam ».

(3) Nempe ibi agitur de intentione mala extrinseca ipsi actioni baptismatis, ut paulo ante declaravimus.

(4) Ὁ τελούμενος οὐδὲν παραβλάπτεται εἰς τὰ σωτηριώδη σύμβολα, εἰ ὁ ἱερεὺς μὴ εὐβίους εἴη. pag. 137. Idem prorsus est sensus s. Joan. Chrysostomi qui loc. cit. quaerit reverentiam conciliare sacerdotibus, etsi isti interdum non ea, qua ipsos decet, morum sanctitate viverent.

ptizare (minister) *intendat* , ut ibidem declarat Innocentius , *C.* si non intendat baptizare *N.* Non debuit propterea Turretinus , qui nobis Innocentii auctoritatem objicit , haec verba omittere . Rom. Pontifex declarat , quod superius dixerat , exemplo Saraceni baptizantis , qui tamen ignorat , quid sit ecclesia (1) .

164. Ad 2. *D.* Ast vivum , animatum et liberum , *C.* inanimatum *N.* (2) .

165. Ad 3. *Neg.* has paritates , quia verbum divinum est speculativum , non autem practicum , cujusmodi sunt Sacramenta ; cum eucharistia porrigitur , jam confecta est ; oratoris regii exemplum pariter non est ad rem , cum non agatur de actione practica .

166. Ad 4. *D.* Quae exoriri aeque possent ex defectu aliquo vel materiae vel formae , *C.* ex sola intentione , etsi nullum adsit externum indicium *N.* Censet etiam s. Thomas , ministrum agere ex nomine ecclesiae , ac proinde in verbis , quae profert , exprimi intentionem ecclesiae , quae sufficit ad perfectionem Sacramenti (3) .

CAPUT IV.

DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CEREMONIIS

167. Relicta philologis cura investigandi originem et ethymologiam vocis *ceremoniae* (4) , nos per eam intelligimus *ritum externum ac religiosum , institutum ut majori pompa atque splendore peragantur sacra ;* nam *mentes fidelium* , ut inquit Tridentinum , *per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitantur* (5) .

168. Variae sunt ceremoniarum species . Aliae consistunt in verbis , ut exorcismi ; aliae in actionibus et corporis motibus , ut crucis signa , genuum flexus ; aliae in externarum rerum usu , ut aqua lustralis , lumina , vestes . Quaedam Christum ipsum auctorem habent , quaedam apostolos , quaedam ecclesiam . Ex his aliae in universa ecclesia usur-

(1) Cfr. *Innoc.* IV , *In quinque libros Decretalium Commentaria*, Venet. 1588, fol. 187 ; ubi inter cetera scribit : « Et ipse (Saracenus) baptizans tamquam minister conferat , quod alii baptizantes conferunt ; licet non credat ipsum posse aliquid operari , vere baptizatus est ; sed , si hoc non intenderet , non baptizaret ; nec est necesse , quod aliquis sciat , quid in his Ecclesia intelligat , vel etiam quod sciat , vel credat Ecclesiam esse » . Non poterat profecto hic Pontifex clarius mentem suam aperire . Adde , haec commentaria juris canonici non prae se ferre auctoritatem , utpote ab ipso exarata , cum adhuc in minoribus esset .

(2) Cfr. s. Th. 3 , p. q. 65, artt. 8 et 9, ad 1.

(3) Cfr. S. Th. loc. cit.

(4) Cfr. praeter s. Isidorum , *Originum* lib. VI , tit. *De officiis* , fratrum Domin. et Carol. Macri *Hierolexicon ;* Jos. Vicecomitis , *Observationes eccles. de antiquis Baptismi ritibus* , Paris. 1618 , cap. 2; Ger. Joan. Vossii *Etymologicon* , ad vocem *ceremonia* , opp. edit. Amstel. 1695 , tom. I. Ceterum accurate Domin. Macri observat in op. *Notizia de' vocaboli ecclesiastici* , illud intercedere discrimen inter *Ritum* et *Ceremoniam* , quod habetur inter aquam et lotionem; etenim ceremonia juxta mentem conc. Trid. est *ipsa actio* , ritus est *modus praescriptus* , quo fit ipsa actio . Promiscue tamen usurpari hae voces consueverunt .

(5) Sess. XXII , cap. 5.

pantur, aliae vero in peculiaribus ecclesiis tantum obtinent. Nos de iis, quae universim receptae sunt, hic agimus. Hunc ceremoniarum apparatum in solemni Sacramentorum administratione plerique protestantium, praesertim ex calviniana secta, rident et aspernantur. Adversus quos sit:

PROPOSITIO

Recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt

169. Est hoc de fide. Concilium enim Trident. sess. VII, can. XIII, tulit his verbis expressum: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

170. Haec porro definitio directe afficit potestatem, qua ecclesia a Christo instructa est ea instituendi, quae spectant ad Sacramentorum administrationem, salva eorum substantia; prout declaravit eadem synodus, sess. XXI, cap. II, dicens, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret*. Quare perinde est receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus contemnere aut pro libito omittere aut in novos privata auctoritate mutare, ac denegare potestatem ecclesiae a Christo collatam; quod, salva fide, fieri omnino nequit (1).

171. Hac autem potestate ecclesiam a Christo instructam esse constat 1. ex Apostolo, qui, I. Cor. XI, cum plura de eucharistiae Sacramento scripsisset, concludit. v. 34: *Cetera, cum venero, disponam*. Quibus verbis nonnulla, quae ad majorem conciliandam huic Sacramento venerationem et ad uberiorem fructum ex eo percipiendum spectant, se constituturum pollicetur Apostolus, prout probe animadvertit s. Augustinus, qui haec ipsa verba expendens: *Unde intelligi datur*, inquit, (*quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia*), *hoc ipso ordinatum esse; quod nulla morum diversitate variatur* (2).

172. Id constat 2. ex horum rituum

(1) Hic notandum tum quoad hanc tum quoad alias ejusmodi theses, eatenus eas de fide esse, quatenus continent factum cum jure conjunctum. *Factum* in praesenti propositione sunt ritus ipsi seu ceremoniae, quae usurpantur in solemni Sacramentorum administratione; hae profecto neque sunt divinitus institutae, neque in divina revelatione continentur. *Jus* est potestas a Christo ecclesiae collata ejusmodi ritus seu ceremonias instituendi; porro de hoc jure ex divina revelatione constat. Negare propterea, contemnere aut docere, posse hosce ritus sine peccato omitti, est indirecte saltem impetere jus ipsum, quod ex divina institutione ecclesiae competit; hoc siquidem contra fidem est.

(2) *Epist.* LIV, *ad Januar.* cap. 6, n. 8. Tum haec tum sequens altera Epistola, ad Januarium datae, sunt de hoc argumento ac legi merentur.

institutione, quae coepit ab ipso christianae religionis exordio. Illorum enim meminerunt Justinus (1), Tertullianus (2) aliique II. et III. seculi scriptores, qui de iis loquuntur tamquam a tempore immemorabili ubique receptis, eosque repetunt ab apostolica traditione. Horum testimonia ac monumenta reliqua, quae id ipsum confirmant, summo studio collegerunt et expenderunt praeter Bellarminum, Bona, Casalius, Vicecomes, Robertus Sala, Pellicia aliique (3).

173. Constat illud 3. ex antiquissimis Constitutionibus, quae Apostolicae dictae sunt et Clementis Romani; ex liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus, quae in iis, quae ad substantiam spectant, omnes mire consentiunt, ac produnt propterea hoc ipso consensu communem originem, quod vel ipsi doctiores protestantes animadverterunt (4).

174. Quare vel ipsi pseudo-reformati, qui prius ecclesiae catholicae succensuerant, eo quod tali potestate uteretur, postea eandem sibi arrogarunt; nam in praefatione *Confessionis Helveticae* fatentur: *Semper in ritibus et ceremoniis Christi Ecclesias usas esse libertate*, idque ex historia innotescere. Eandemque potestatem sibi vindicarunt ac in praxim deduxerunt non ita pridem lutherani in regno Borussiae (5).

175. Non posse autem sine peccato ejusmodi ritus, in universa ecclesia receptos, a quolibet ecclesiae pastore privata auctoritate aut omitti aut mutari, vel inde patet, quod hi ritus valde conferant ad instructionem fidelium, utpote arctissime conjuncti cum doctrinis dogmaticis et moralibus; quarum, ut ita loquar, expressio sunt (6). Hinc est, quod quicumque novitates in ecclesia machinati sunt, semper coeperint a receptis his ritibus immutandis ac innovandis, non sine ingenti pacis et tranquillitatis jactura et populi offensione (7). Hoc pariter demum fassi sunt iidem protestantes, qui in *Confessione Augustana atque Saxonica* aperte affirmant: *Peccare illos, qui ceremonias cum scandalo*

(1) *Apolog.* 1, n. 61, ubi meminit jejunii, orationis, immersionis in collatione baptismi; et num. 65, ubi memorat osculum, acclamationem, preces, gratiarum actiones, distributionem in celebratione eucharistiae.

(2) *De Corona*, cap. 3 et 4.

(3) Casalius, *De veteribus sacris Christianorum ritibus*, vol. 1 fol. Romae, 1647 praesertim lib. II; Jos. Vicecomes, op. cit. *De antiquis Baptismi ritibus*; Rob. Sala in notis et illustrat. *Rerum liturgicar.* Card. Bona, vol. IV fol. Augustae Taurin. 1747; Pellicia, *De Christianae Ecclesiae primae, mediae et novissimae politia libri sex*, vol. 2, Venet. 1782. Sed cfr. etiam Gab. Albaspinaei, *De veteribus Ecclesiae ritibus Observationum* lib. II, Paris. 1623.

(4) Cfr. apud Rob. Sala, op. cit. tom. 1, lib. 1, cap. 6, pag. 90 et seqq. tum apud Coteler. *Patrum Apostol.* tom. 1, ubi etiam cfr. Guil. Beveregii, *De canon. apost. judicium*.

(5) Paucis ab hinc annis Borussiae rex proposuit *Liturgiam cultus Evangelici* ecclesiis protestantibus lutherano-calvinianis, quae numerantur 7782. Ex his Regis jussioni statim 5343 obtemperarunt, et in praxim eam deduxerunt. Argumenta siquidem illius Regis multum valent ad persuadendum. Cfr. *L'Ami de la Relig.* n. 1143.

(6) Sane s. Augustinus ex ritibus exsufflationis, exorcismorum, etc. adhiberi solitis in ecclesia, argumentum instruit adversus pelagianos, ad constabiliendam fidem, in eadem ecclesia receptam, de peccato originali.

(7) Haec non ita pridem in jansenistarum molitionibus tum ad antiquas ac ubique receptas consuetudines abrogandas tum ad novas inducendas contigisse comperimus tam in Galliis quam in Italia.

violant, atque superbe contemnunt, quippe ordinem disciplinae ac regiminis intervertentes et turbantes tranquillitatem. His consonat Melanchthon, Oecolampadius, Hoffmeisterus, Grotius (1).

176. Sive igitur hujus potestatis originem spectemus, sive perpetuam ecclesiae praxim et sensum traditionalem sive ipsorum adversariorum confessionem et praxim ac intimam ipsius rei naturam, luculenter patet, quod proposuimus, receptos nempe, etc.

DIFFICULTATES

177. Obj. 1. Ceremonias suas ac ritus ecclesia ab usibus Hebraeorum et ethnicorum derivavit, ut pluribus ostendit Spencerus (2). 2. Aliquae praeterea ex illis ridiculae sunt, 3. et omnes inutiles; cum nihil conferant ad Sacramentorum fructum, qui juxta catholicos ex opere operato producitur. 4. Sed et improbatae fuerunt ab Apostolo, qui, Coloss. II, 8, docet, non esse ab hominibus petendam doctrinam de vero Dei cultu, ne per inanem fallaciam adducamur a grege Christi *secundum traditionem hominum*. 5. Eadem habet s. Augustinus, monito Apostoli obtemperans (3). 6. Sane primitiva ecclesia cultu admodum simplici mysteria celebrabat in spiritu et veritate; 7. praesertim cum semper instet periculum, ne ejusmodi rituum apparatu ac multitudine fidelium mens obruatur, et quae ceremonialia sunt cum essentialibus commisceantur, prout contigit Cornelio Pontifici, qui dubitavit de validitate baptismatis Novatiani, eo quod absque his ritibus ei fuerit administratum; 8. imo et contigit theologis ipsis, qui propterea nunc disputant de materia essentiali et integrali Sacramentorum. Ergo.

178. Resp. ad 1. *D.* Omnes ceremonias ecclesia ab usibus Hebraeorum et ethnicorum derivavit, *N.* nonnullas *Tr.* vel *subdist.* mutato objecto et fine, *C.* secus *N.* Cum ritus ipsi per se indifferentes sint, ac totam suam bonitatem vel malitiam ex objecto et fine mutuentur, mirum esse non debet, si nonnullos ritus ecclesia ab Hebraeis aut ethnicis adoptaverit, purificatos tamen ac mundatos ab omni superstitionis specie, ut faciliorem iisdem viam sternerent ad veri Numinis cultum amplectendum, ut observat Benedictus XIV (4). Non de-

(1) Grotius *Adnotat. ad Cassandrum*, tom. IV, pag. 622; Hoffmeisterus, *Harmon. confess. August.* pag. 325; Oecolampadius in *Epist. ad Erasmum Ritterium*; Melanchthon, in *Epist. ad Rom.* Cujus tantum verba, ne longior sim, hic adducam: « Non probo, *inquit*, petulantiam illorum, qui ritus et traditiones sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quam aspernari publicos mores, praesertim si videantur disciplinae causa instituti »? Hinc Alphons. Virvesius, *Philippica* XIV, catholicos a suorum dicteriis liberat, quod in his ceremoniis vim agnoscant: « Nemo est, *inquit*, inter Catholicos tam stupidus et superstitiosus, qui credat, vestium colorem aut formam, et ceremonias alias hujusmodi justificare ».

(2) *De legibus Hebraeorum ritualibus*, libri tres, praesertim lib. III, diss. I, cap. 2, sect. IV et cap. 8.

(3) *Epist.* LV *ad Jan.* cap. 19.

(4) Cfr. *De Sacrif. Missae*, lib. I, tum *De Beat. et canon. Sant.* lib. I, cap. 1. Cf. etiam erudita Epist. Emman. de Azevedo S. J. *Ad Liturgicae Academ. Conimbrinc. auditores*; praemissa opp. Bened. XIV. edit. Rom. 1747. Recolantur quae diximus, *Tract. de Cultu SS.* n. 101.

sunt eruditi viri qui negent, ecclesiam nonnullos ritus ab ethnicis desumpsisse, sed contendant, eos vel ex naturae lege et instinctu, vel ex Hebraeorum institutis divinitus praescriptis, vel ex quibusdam divinorum librorum effatis, vel ex catholicis dogmatibus originem habuisse. Verum hoc omisso, si ex eo, quod ritus quidam nostri hebraicis ethnicisque ritibus communes sunt, illi abrogandi essent, ergo et templa et altaria essent destruenda; siquidem et ea tum apud Hebraeos tum apud ethnicos in usu fuere; quod nemo profecto contendet (1).

179. Ad 2. *D.* Si pravis aspiciantur oculis, neque attendatur ad eorum significationem, *C.* si debito pietatis sensu et ratione habita significationis *N.*

180. Ad 3. *N.* Apposite multiplicem sacrorum rituum utilitatem sic exponit Card. Bona: *Licet ipsae ceremoniae nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudo-christianis et heterodoxis discernuntur* (2). Ad illud vero, quod additur de fructu Sacramentorum ex opere operato, reponimus, nihil obesse hanc doctrinam fructui accidentali, qui ex rituum apparatu colligi potest, pro majori vel minori pietatis ac fervoris sensu, ut aiunt qui in animis nostris excitari potest, et *opus operantis* vocari consuevit.

181. Ad 4. *N.* Loquitur enim Apostolus in adducto textu de sublimitate fidei, non autem de ritibus aut ceremoniis. Merito autem asserit s. Paulus, fidem nostram non esse petendam ab doctrinis hominum, qui Christo contraria docent, agit enim hic de superstitioso pharisaismo et de hebraizantibus (3).

182. Ad 5. Vel *N.* vel *D.* Loquitur

(1) Profecto idem Spencerus hunc veluti scopum sibi proposuit in op. cit. Deum scilicet voluisse, ut Moyses plures ex Aegyptiis et Zabiensis ritus adoptaret, ut hac ratione populum sibi commissum ab idololatria atque a superstitione averteret, commutando eisdem objectum. Certum est, lotionem seu baptismum in usu fuisse tum apud Hebraeos, praesertim post captivitatem, tum apud ethnicos in mysteriis Isidis et Mithrae. Num propterea abjicere debemus baptismum, quem constat a Christo fuisse institutum et praeceptum? Huc porro conducunt principia adversariorum. Ad haec profecto non advertit Ant. Thysius, dum, *Exercit.* VI, contendit, ex gentilibus pontificios aspersionem suam accepisse. Cfr. apud Th. Crenium, fascic. IV *Opusculorum*, Rotterod. 1694, pag. 477. Haec omnia praeoccupata fuerant a nostris. Satis est oculos conjicere in opus mox citandum Card. Bona, qui ejusmodi nugas non minus docte quam pie disjicit.

(2) *Divin. Psalmod.* cap. 19, § 3; Benedict. XIV, *De Sacrif. Missae*, lib. 1, et Trombellius, *De Baptismo*, inter ceteros rituum sacrorum usum et dignitatem late exponunt. Nec defuerunt ex ipsis protestantibus, qui apologiam texuerint nostrorum rituum; inter quos non infimum locum tenet Claudius Harmes Kiel archidiaconus protestans, qui pluribus editis operibus sese opposuit pseudo-reformatorum semper novis pullulantibus opinionibus, et catholicorum vindicias suscepit annis 1824 et 1825; qui propterea calumniis ac dicteriis a suis lacessitus fuit.

(3) Cfr. Bern. a Pic. in hunc loc. Etiam Georg. Rosenmüller id fatetur, qui, explanans hunc locum, inter cetera scribit: « Verba: Secundum decreta et doctrinas hominum: conjungenda sunt verbo δογματίζεσθε, v. 20,

Augustinus de iis ceremoniis, quae a privatis hominibus inductae fuerant, quaeque nullum in Scriptura, Traditione aut publico ecclesiae universalis usu habebant fundamentum, *C.* loquitur de iis, quas nos propugnamus *N.* Id patet ex orationis serie (1).

183. Ad 6. *D.* Ea scilicet aetate, qua fideles metu persecutionum compulsi in cryptis plerumque ac coemeteriis delitescentes, sacra peragere cogebantur absque illo magnifico rituum apparatu, quo, postea pace reddita, illico ab iisdem celebrata sunt, *C.* absque ullis prorsus ceremoniis, *N.* Contrarium enim constat ex iis, quae retulimus.

184. Ad 7. *N.* Ex dictis enim patet, fidelium mentem mirifice ad pietatem adjuvari, neque timendum est periculum, quod jactant adversarii, ex ceremoniarum usu, dummodo accedat opportuna instructio. Sane nemo est qui nesciat, validum esse baptisma in casu necessitatis absque ceremoniis collatum; id ipsum de ceteris dicatur. Nunquam porro dubitavit Cornelius de baptismi fructu ex defectu ceremoniarum Novatiano dati; sed dubitavit de ejusdem dispositione, prout suspectum ecclesiae semper fuit hac ipsa de causa baptisma clinicorum, eorum scilicet qui nonnisi in extremo vitae exitu baptismum suscipiebant (2).

185. Ad 8. *D.* Quoad omnia Sacramenta *N.* quoad aliqua, *subdist.* quia adhuc reipsa incerta est essentialis materia ob traditionis obscuritatem, et quia ecclesia nihil circa eam decrevit, *C.* ob rituum inductionem *N.* Addo, ejusmodi theologorum disceptationes speculativas esse nec quidpiam praxi officere.

CAPUT V.

IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA

186. Ne cogeremur disputationis seriem abrumpere, quam adversus haereticos instituimus, intexendo peculiares controversias, quae in scholis catholicis agitantur, maluimus nonnulla adjicere scholia, quae simul et quaestiones istas complectantur, et lucem affundant iis, quae disputata sunt.

187. 1. Circa Sacramenta, quae antiquitus viguerunt, inquiri solet a theologis in primis, num in statu innocentiae Sacramenta fuerint, aut saltem futura fuissent si diu status ille permansisset. Porro nulla fuisse aut etiam futura fuisse Sacramenta in illo innocentiae statu,

et sensus totius loci v. 20, 21, 22, est: quid suscipitis aut fertis, si quis vobis ingerit ista decreta (qualia sunt: noli tangere, neve gustare, neve contrectare hujus rei aliquid, quod est vetitum lege mosaica veterumque praeceptis, cibos in primis interdictos, quod omne perit tamen, scilicet conficitur ipso usu), quae certe decreta proficiscuntur a praeceptis doctrinisque humanis ».

(1) Nam in hac ipsa *Epist.* LV probavit, quae ab universa ecclesia instituta sunt et ubique servantur; demum cap. 19, n. 35, invehitur in illos, qui nova semper obtrudunt, quique *servilibus*, ut ipse loquitur, « oneribus (Ecclesiam) premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur ». Existimat proinde, ubi facultas tribueretur, haec esse resecanda. Sed haec nihil commune habent cum ritibus, de quibus nos disserimus.

(2) Adeo semper ecclesia abhorruit ab ejusmodi baptismi dilatione ut, irregulares declaraverit eos, qui in mortis periculo susceperint baptisma. Causas vero, quibus plures inducebantur ad differendum baptismum, suo loco recensebimus.

si diutius ejusmodi status permansisset, censet s. Thomas; cum neque ut homines per ea sanctificarentur, neque ut depellerentur sensuum illecebrae, quae nullae in eo erant, Sacramenta essent instituenda (1). Alii tamen contrariam sententiam tuentur (2). Res incerta est, nec nos quidpiam affirmabimus aut negabimus.

188. Inquiri praeterea solet, num in statu legis naturae tam pueris quam adultis, aliquo sensibili signo fuerit applicata fides, qua illi ab originali peccato, isti praeterea a peccatis actualibus ablui ac sanctificari potuerint. Quoad adultos fere omnes conveniunt, aut per preces aut per sacrificia una cum interioribus dispositionibus eos consequi potuisse remissionem peccatorum (3). Verum quoad pueros res valde incerta est; cum Scripturae de hoc remedio ad delendam in ipsis originariam labem penitus sileant, patres vero in diversas abeant sententias. Certe Tertullianus (4), s. Gregorius M. (5) et s. Bernardus (6) censuerunt, per *solam parentum fidem* absque sensibili peculiari signo parvulos fuisse justificatos, alii autem docuerunt, etiam infantibus opus fuisse ad justificationem aliquo externo Sacramento, ut s. Augustinus. S. Thomas priorem sententiam probabiliorem arbitratur (7). Nihil proinde certi constitui posse videtur.

189. In statu legis scriptae, ad quam

(1) Cfr. p. 3, q. 61, a 2.

(2) Ut Suarez, *In* III, *p. s. Th.* quaest. 61, art. 2, disp. 3, sect. 3; Isambertus, *De Sacram. in genere*, ad quaest. 61, disp. 1, art. 2. aliique, quos non vacat enumerare. Quod tamen magis mireris, est, nonnullos protestantes, qui vix duo Sacramenta a Christo instituta agnoscunt, contendere tamen, Sacramenta fuisse in statu innocentiae. Jos. Volf. Jaegerus lutheranus, in *Jure Dei foederato cum hominibus*, quaest. V, autumat, arborem vitae Sacramentum fuisse; Joan. Braunius, in *Doctrina foederis*, v. 1, part. III, cap. 11. agnoscit *duo* Sacramenta *paradisum* scilicet, et *arborem vitae;* Herman. Wistius, in lib. 1, *De oeconomia Dei cum hominibus*, censet fuisse *quatuor: paradisum, arborem vitae, sabbatum, et arborem scientiae boni et mali*. Si quis cupiat ulterius inquirere, utrum forent Sacramenta quoad posteros Adae, si ipse non peccasset, consulat Vasquez, *In* III *p. s. Th.* tom. II, disp. 130, cap. 2 et seqq.

(3) Dixi: *Fere omnes conveniunt;* nam non desunt ex theologis scholasticis, qui inficiati fuerint, extitisse Sacramenta in statu legis naturae, ut Dom. Soto, Ledesma, Durandus apud Vasquez, loc. cit. art. 3, quibus accessit Vasquez ipse.

(4) *Lib. de Bapt.* cap. 13, ubi respondens difficultati sibi propositae contra necessitatem baptismi, eo quod prius *satis* fuerit fides: « Fuerit, *inquit*, salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem ».

(5) *Moral.* lib. IV, cap. 3. Cujus verba haec sunt: « Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii ».

(6) Tract. *De Baptis.* cap. 1, n. 4. « In nationibus, *inquit*, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem ».

(7) Nam *In* IV *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 6, scribit: « Quidam dicunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum . . . sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorii . . . ideo alii probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo ». Hugo Victorinus, *Summa*, tract. III, cap. 1, censuit, etiam pro parvulis necessaria fuisse Sacramenta. Cfr. tom. III, fol. 205.

refertur circumcisio, licet jampridem haec fuerit Abrahae a Deo praescripta, certum est, plura in eo Sacramenta fuisse, agnum paschalem, sacerdotum ac pontificum consecrationem ac diversi generis sacrificia.

190. Doctrina conciliorum Florentini ac Tridentini est, plurimum differre Sacramenta Antiquae a Sacramentis Novae Legis. In quo autem discrimen istud ponendum sit, theologis investigandum reliquerunt. Porro differunt inter se quoad ceremonias, facilitatem, numerum, et quia vetera ad tempus, nova usque ad consummationem seculi instituta sunt. Atque ista apud omnes rata sunt.

191. Controversia autem viget circa gratiae conferendae vim. Communiter theologi, Angelico praeceptore duce, existimant, Sacramenta mosaica omnem conferendae gratiae virtutem *ex opere operantis* habuisse, seu ex merito fidei vel ministri vel suscipientis. Etenim Apostolus, Galat. IV, 9. Sacramenta illa vocat *infirma et egena elementa;* et Hebr. IX, 9. scribit: *Munera et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem;* et ibid. 13: *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, id est, tribuunt sanctitatem legalem; quia addit, ibid. X, 4: *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Communem hanc sententiam adoptavit Eugenius IV. (1), et insinuavit Tridentinum.

192. Alii autem nec pauci nec ignobiles theologi sentiunt, Veteris Testamenti Sacramenta, utpote signa protestativa fidei, vim habuisse remittendi peccata *ex opere operato*, non quidem *per se*, sed, ut ajunt, *per accidens*, quatenus Deus his signis fide protestativis alligaverit gratiam suam. Nam, ajunt hi theologi, Sacramenta Veteris Legis *per se* instituta sunt ad significandum Christum; ratione autem hujus significationis gratiam producebant. Ita Hugo a S. Victore, s. Bonaventura, Estius, aliique (2). Hi propterea hoc agnoscunt discrimen inter utriusque Legis Sacramenta, quod mosaica primo et per se ordinata fuerint ad significationem futurorum, non autem ad efficiendum aliquid nisi exterius circa carnem. Attamen, quia significabant id, quod fides credit, in eorum susceptione fuerunt fidei protestatio, atque idcirco per accidens et secundario illa Sacramenta justificabant; Sacramenta vero Novae Legis cum primo et per se ordinata sint ad gratiam conferendam, et non tantum ad significandum aliquid, justificant per se. Ita fere s. Bonaventura, qui concludit, Sacramenta Novae Legis justificare per se, Sacramenta autem Veteris Legis non justificasse nisi per accidens (3).

(1) *Instruct. Armen.* Recensitis enim septem Novae legis Sacramentis prosequitur Summus Pont.: « Quae multum a Sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt ». Apud Hard. *Acta Concil.* tom. IX, col. 439. Prolixam porro hanc doctrinam, quam ibi tradit Eugenius, descripsit ex s. Thomae *Opusculo* V, *de Sacramentis*.

(2) Cfr. Estius *In* IV, dist. 1, § 28.

(3) *In* IV *Sent.* dist. 1, q. 5: « Multo probabilius est, *inquit*, quod Magister Hugo posuit, quod cum in illo opere operato esset professio fidei facta, quod ratione fidei conjunctae erat in illis primo, et per illa (per accidens tamen) justificatio ». Opp. edit. Rom. fol. tom. V, pag. 13.

193. Haec sententia his theologis commodior videtur ad componenda Scripturarum et patrum testimonia, quae videntur vim aliquam tribuisse V. T. Sacramentis. Sic, Levit. I, VI. et XVII. et Num. XV. sacrificiis leviticis, quae pro peccato offerebantur, effectus remissionis peccatorum tribuitur his atque similibus verbis: *Orabitque pro eo Sacerdos, et dimittetur ei, et propitius erit ei Dominus . . . Sanguis pro animae piaculo est*. Haec confirmantur ex iis, quae scribit Apostolus; Hebr. V, 1. de sacrificiis V. T.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Quibus consonant, quae de Sacramentis V. T. habent s. Augustinus et s. Ambrosius, quorum prior dicit, ea *inenarrabiliter plurimum valere* (1); alter vero: *Circumcisio*, inquit, *purificavit, sanctificavit lex, vivificavit gratia* (2).

194. Quidquid porro de hac controversia sit, quam diutius non vacat expendere, illud commodi ex ea habemus, quod tuto possit affirmari, sententiam asserentem Sacramenta Veteris Legis produxisse gratiam ex opere operato saltem per accidens, fidei non adversari; ut enim scite observat Bellarminus, haec scholasticorum doctrina, quae talem tribuit efficaciam Sacramentis Veteris Legis praesertim vero circumcisioni, confundi nequit cum erroribus haereticorum. Isti enim Sacramentorum omnium tam Novae quam Veteris Legis vim exaequant detrahendo Novae Legis Sacramentis, dum negant ab istis produci gratiam *ex operé operato*; contra vero scholastici illi Sacramentis a Christo institutis nihil detrahunt, sed vetera tantum extollunt, nec sine aliqua restrictione (3).

195. In istorum theologorum sententia facilius etiam componuntur, quae de

(1) *Cont. Faust.* lib. XIX, cap. II.

(2) *In Luc.* lib. VII, n. 166. Cfr. Estius, loc. cit. qui praeterea solvit difficultatem petitam ex s. Th. *a causa efficiente* Sacramentorum, passione scilicet Christi, quae non potuit esse prior suo effectu. Respondet enim, Christi passionem esse *causam meritoriam* justificationis, ut declaravit Tridentinum, hinc eadem ratione poterat operari per Sacramenta V. L. qua operatur in Sacramentis N. L. Observat insuper per contrariam sententiam plus efficaciae tribui fidei in V. T. quam in Novo; etenim sine Sacramentis et sacrificiis potuisset justificare, quod amplius nunc non potest; deinde videntur in ea enervari probationes catholicorum, qui ex similibus N. T. testimoniis probant, Sacramenta Novae Legis gratiam conferre.

(3) *De Sacram.* lib. II, cap. 13, n. 6. Qui tamen censuit tum a conc. Florentino tum a conc. Tridentino definitum fuisse, mosaica Sacramenta non producere gratiam ex opere operato. Sic enim initio hujus capitis, scilicet n. 1, scripserat: « Catholici omnes conveniunt, Sacramenta V. L. quae proprie mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato. Id enim docent omnes Theologi, in IV, dist. 1; et idem definivit concilium Florentinum in Instruct. Armenorum, et conc. Tridentinum, quamvis brevius et obscurius, quia non erat necesse, cum jam res esset definita, sess. 7, can. 2. ». Ast si id jam fuisset definitum, nemo catholicorum ausus fuisset docere, aut circumcisionem aut Sacramenta mosaica reliqua vim habuisse producendi gratiam ex opere operato, saltem *per accidens*, seu quatenus saltem erant signa protestativa fidei; attamen non pauci hanc sententiam, ut vidimus, tenuerunt. Adde, Instructionem Armen. non posse, si accurate loqui velimus, vocari definitionem concilii Florentini; nam, ceteris omissis, sequeretur, de fide esse, porrectionem instrumentorum in collatione ordinum majorum esse materiam essen-

vi et efficacia circumcisionis contraria praedicari videntur sive a sacris Litteris sive a sanctis patribus. Etenim Genes. XVII, 14. legitur: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Quibus verbis potissimum innixus s. Augustinus, contendit circumcisionem institutam fuisse ad delendam originalem labem. Eum plures theologi sequuntur. Contra vero Apostolus, I. Cor. VII, 19: *Circumcisio*, inquit, *nihil est*. Et Genes. XVII, 11. instituta circumcisio perhibetur, *ut sit in signum foederis*, initi scilicet cum Abraham ejusque posteritate. Hinc s. Justinus scribit: *Circumcisionem* (Abraham) *accepit in signum, non ad justitiam* (1). Similia habent Irenaeus, Tertullianus, Chrysostomus, aliique patres graeci ac latini (2). Bellarminus hos secutus nihil in circumcisione praeter merum signum agnovit, nullam habens tollendi peccata efficaciam. Hi proinde theologi spectant circumcisionem in se; alii, qui s. Augustino adstipulantur, spectant circumcisionem velut fidei protestativam. Nihil porro vetat, quominus sub hoc posteriori respectu in circumcisione etiam agnoscatur remedium ad delendum peccatum originale, dummodo tamen id non intelligatur in sensu, ut ajunt, exclusivo; cum plura alia media ad hunc effectum producendum esse potuerint praesertim pro infantibus, qui ante octavum a nativitate diem decessissent, et pro feminis (3).

196. 2. Et haec de Sacramentis Veteris Legis adnotanda erant. Nunc vero quod attinet ad Sacramenta Novae Legis, atque ad ea, quibus ea constituuntur et constant. Duabus ipsa praesertim conflantur partibus. Has veteres patres et ecclesiastici scriptores appellarunt *res, signa, elementa*, et *verba, orationem;* instar omnium sit Augustinus, qui scribit: *Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum*. Postquam vero Aristotelica philosophia in christianis scholis adoptari coepit, *materiae* et *formae* vocabula in theologiam translata sunt, atque adscita a concilio Tridentino, et ab Eugenio IV. qui in celebri suo *Decreto* scribit: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur; rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit ecclesia* (4). Idque factum est ob quamdam analogiam, quae intercedit inter partes physici compositi et partes Sacramenta constituentes. Jam vero per *materiam* Sacramenti intelligitur id, quod ante verba a ministro proferenda praeexistere concipitur; per *formam* verba, quae a ministro proferuntur in collatione Sa-

tialem horum ordinum, quod tamen nec ipse Cardinalis contendit, imo contrarium adstruit, ut suo loco dicemus. Concilium denique Tridentinum loc. cit. hoc non definivit, uti exposuimus.

(1) Τὴν περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν. In *Dial. cum Tryph.* n. 23.

(2) Cfr. apud Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 15.

(3) Hic obiter notanda est singularis Bedae sententia, quam refert Hugo Victorinus, tract. III. *De Sacram.* tom. III, 205, ubi scribit: « De mulieribus autem quaeritur, quod remedium contra originale peccatum haberent. Respondetur: fidem, oblationes et sacrificia. Solet quaeri etiam de parvulis, qui moriebantur ante octavum diem, quod remedium haberent, vel utrum damnarentur; Beda videtur dicere, quod damnarentur, dicens », etc. Prudenter tamen concludit Hugo: « Sed melius videtur hoc Dei relinquendum judicio, quam temere aliquid definire ».

(4) Apud Hard. loc. cit.

cramenti. Ceterum non semper aliquid materiale in ea re, quae *materia* nuncupatur, requirendum est.

197. De forma conditionata ita scribit Benedictus XIV. *De Synodo dioeces.* lib. VII, cap. VI: Eam a scholasticis esse adinventam, nonnulli viri eruditi existimant; sed eos toto coelo aberrasse, ait Martene (1). Licet porro ante sec. VIII. praedictae conditionatae formulae expressam mentionem in conciliis et patribus non inveniamus, non recte tamen inde intulit Natalis Alex. illam non fuisse in usu; quinimo ex antiqua et constanti ecclesiae praxi oppositum colligi putamus. Quod hac argumentatione ostendimus. Perpetuum catholicae fidei dogma fuit, unicum esse baptisma; quod propterea rite collatum sine gravi piaculo iterari posse, semper ecclesia negavit. At eadem ecclesia, quae ita docuit, eos nihilominus, de quibus disputabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos praecepit. Jam vero ne dicamus ecclesiam incidisse in errorem rebaptizantium, quem toties detestata est, necesse est existimare, eam non aliter in ea dubietate baptismum conferri voluisse quam sub tacita et mente concepta conditione: *si nondum es baptizatus*. Haec autem conditio, quae prius mente tantum concipiebatur, coepit sec. VIII. cum ipsa baptismi forma exprimi et pronunciari; quam quidem disciplinam Alexander III. ubique servandam edixit, eandemque sanctionem confirmavit Joannes XXII (2). Ita Bened. XIV. Porro illis Rom. Pontificibus accessit Pius VI. a quo *Deliberatio synodi* (Pistoriensis), *qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione* (et est Prop. XXVIII.) proscribitur, in Constit. *Auctorem fidei*, tamquam *temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria*.

198. Illa tamen conditio passim ac temere non est adhibenda; sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis rite fuerit baptizatus et ordinatus, nec potuit post diligentem praemissam indagationem rei veritas innotescere (3). Atque haec quoad Sacramenta characterem imprimentia. Quoad Sacramenta reliqua consuli possunt theologiae moralis tractatores.

199. Notandum est, 3. ex dictis circa formam, quae tacite ac mente conceptam conditionem includebat, quaeque obtinuit septem prioribus ecclesiae seculis, non modicam lucem affulgere ad enucleandam controversiam circa objectum intentionis, quae ad Sacramentum conficiendum in ministro requiritur. Juxta Ambrosium Catharinum stat omnino ac valet Sacramentum, si minister duntaxat intendat celebrare ritum illum, quem ecclesia celebrat et illum reipsa libere, serio, omnique semoto joco, exterius usurpat, materiam adhibens formamque pronuncians, in iis maxime circumstantiis, ex quibus determinatur ad agendum tamquam ecclesiae minister. Hinc nihil juxta ipsum obest valori Sacramenti, si minister intra mentis latebras contrariam intentionem gerat, qua nolit actionem suam esse talem Sacramenti actionem, qualem Christus instituit (4).

200. Catharini sententiae subscribunt

(1) *De Antiq. Eccl. ritibus* tom. 1, lib. 1, cap. 1, art. 16, num. 9.

(2) Apud Raynaldum ad annum 1333, num. 42.

(3) Ita rursum Bened. XIV. loc. cit. num. 3. Apud quem cfr. quando *probabilis* dubitatio adesse praesumi possit, ita ut licite sub conditione baptisma conferri queat.

(4) Cfr. Ambros. Catharinus, *De necessaria intentione in perficiendis Sacra-*

plerique Galli theologi, his potissimum rationum momentis permoti: 1. Si Sacramenti valor ab interiori ministri intentione penderet, jam pravitas ministri officeret Sacramenti valori, secus ac ecclesia docet adversus donatistas. 2. S. Augustinus, Innocentius IV. et s. Thomas internam intentionem minime requirunt ad valorem Sacramenti, ut constat ex eorum testimoniis suo loco adductis (1). 3. Haeretici ad unitatem redeuntes interrogantur ab ecclesia de materia et forma, qua susceperunt Sacramenta; nihil vero de intentione ministri. Cur? nisi quia ritum exteriorem satis esse putat. 4. Male animarum bono ac tranquillitati prospexisset Christus, si Sacramentorum vim a ministri intentione pendere voluisset. 5. Sacramenta operantur ex *opere operato*. Itaque sunt ut ignis, quem si stupae admoveas, utut vehementer nolis, eam accendit.

201. Contrariae sententiae de necessitate interioris intentionis adstipulantur plerique theologi Itali ceterarumque nationum, qui his ferme argumentis pugnant: 1. Ministri Sacramentorum sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ergo eos oportet habere proprie dictam intentionem faciendi illud, quod Christus instituit. Id vero non praestat, qui simulat ministrare, imo positive intendit nolle facere, quod Christus instituit. 2. Eugenius IV et concilia exigunt in ministro intentionem faciendi, quod facit ecclesia; sed ecclesia non simulat, sed intendit facere rem sacram. 3. Alexander VIII. hanc propositionem, quae est n. XXVIII. proscripsit: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia* (2). 4. In rubricis Missalis Romani, a Clemente VIII probatis, irrita declaratur consecratio ejus qui habens coram se undecim hostias *intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit;* cujus declarationis haec affertur ratio: *Quia requiritur intentio,* utique interna, ut patet. 5. Ad haec accedit praxis universae ecclesiae circa formam conditionatam, de qua nuper disseruimus, conditione tantum mente concepta; quae quidem praxis per septem integra secula viguit. Cum igitur haec conditio mente retenta ideo apponeretur, ne iterum administraretur Sacramentum jam rite collatum, patet, interiorem intentionem ex sensu ecclesiae influere in valorem Sacramenti; alioquin perperam apposita fuisset.

202. Horum ope difficile non est istis theologis, sese ab adversariorum extricare argumentis. Hinc reponunt, longe diversam fuisse causam donatistarum, ut permiscere eam non liceat cum praesenti controversia; illi enim ex pravitate morum inferebant invaliditatem Sacramentorum, hic vero agitur de intentione requisita ad conficiendum Sacramentum. De vera s. Augustini mente, nec non Innocentii ac s. Thomae constat ex iis, quae disputata sunt adversus novatores. Ideo autem ecclesia ab haereticis ad unitatem redeuntibus nihil quaerit de intentione ministri, quia hujus rationem nullam reddere possunt revertentes; atque haec in ipsis ministris haereticis fuisse praesumitur, nisi contrarium probetur. Incommoda,

mentis, opera Jac. Hyac. Serry, Patavii, 1727; qui postea edidit aliud opus, cui tit. fecit: *Vindiciae vindiciarum Ambrosii Catharini*, ubi nitidius etiam Catharini sententiam exponit.

(1) Cfr. sup. n. 153 et seqq.

(2) Cfr. Viva, op. cit. in hanc prop.

quae urgent, nullius momenti sunt; cum haec non minus ab intentionis defectu, quam a vitiata materia vel forma oriri possint. Deus praeterea supplere potest per interiores dispositiones in adultis. Cetera ejus providentiae relinquenda sunt. Argumentum denique ex ignis comparatione deductum supponit, quod in quaestione est positum, utrum scilicet Sacramenta sine intentione administrata velut ignis an velut glacies spectari debeant.

203. Ceterum Benedictus XIV, etsi fateatur, longe distare sententiam Catharini ab errore Lutheri, affirmat tamen negari haud posse, *grave vulnus* Catharini opinioni fuisse inflictum ab Alexandro VIII. Hinc sapienter edixit: *Si constet quempiam, aut baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quae iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia; urgente quidem necessitate erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum* (1).

(1) *De synodo dioeces.* lib. VIII, cap. 4, n. 9. Ex his constat, nihil in praxi valere illorum theologorum sententiam, qui negant necessitatem interioris intentionis.

INDEX

TRACTATUS DE INCARNATIONE

PROOEMIUM pag. 5

PARS PRIOR

DE MESSIA, ADVERSUS HEBRAEOS

CAPUT I. DE MESSIAE PROMISSIONE ET EXPECTATIONE « 6
PROP. I. *Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebraeis expectatus* « 8
DIFFICULTATES « 11
PROP. II. *Messias a Deo promissus et ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est* « 17
DIFFICULTATES « 19
CAPUT II. DE EPOCHA ET OFFICIIS PROMISSI MESSIAE « 25
PROP. I. *Epocha adventus promissi Messiae ex sacris Litteris certa ac determinata est* « ib.
DIFFICULTATES « 25
PROP. II. *Epocha adventus Messiae in Scripturis determinata, retardari nequit* « ib.
DIFFICULTATES « 26
PROP. III. *Advenisse Messiam a Deo promissum atque a Judaeis expectatum, jamdiu elapsae epochae a Prophetarum oraculis determinatae luculentissime ostendunt* « 27
§ I. *Jacobaeum vaticinium expenditur* « 28
DIFFICULTATES « 31
§ II. *Expenditur vaticinium Danielis* « 37
DIFFICULTATES « 42
§ III. *Expenduntur vaticinia Aggaei et Malachiae* « 51
DIFFICULTATES « 52
PROP. IV. *Officia ac munia a promisso Messia juxta prophetas obeunda eundem advenisse luculenter ostendunt* « 55

	DIFFICULTATES	pag. 60
CAPUT III.	DE JESU NAZARENO VERO MESSIA	« 67
PROP. I.	*Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque a Judaeis expectatus*	« 68
	DIFFICULTATES	« 69
PROP. II.	*Judicium in causa Christi Jesu a Judaeis latum, fuit iniquum in se, illegale in formis judiciariis, saevum in executione, novumque suppeditat divinae Christi missionis ac Messianae ejus dignitatis argumentum*	« 83
	DIFFICULTATES	« 88
	CONCLUSIO	« 93

PARS POSTERIOR

	ADVERSUS HAERETICOS	« 95
CAPUT I.	DE DIVINA CHRISTI NATURA	« ib.
PROP.	*Vera et proprie dicta divinitas seu natura divina in Christo Jesu agnoscenda est et profitenda*	« 96
	DIFFICULTATES	« 103
CAPUT II.	DE NATURA CHRISTI HUMANA	« 110
PROP. I.	*Verbum divinum naturam humanam nobis consubstantialem assumpsit integram atque perfectam*	« 111
COROL. I.	*Christi caro est vera, solida et expressa; non autem ficta, neque umbrabilis, neque apparens atque phantastica*	« 112
	DIFFICULTATES	« ib.
COROL. II.	*Christi corpus non e coelo delapsum est, neque ex coelesti substantia consistens, sed est humanum atque ex Virgine matre susceptum*	« 113
	DIFFICULTATES	« 114
COROL. III.	*Animam eamque rationis participem Verbum divinum assumpsit*	« 115
	DIFFICULTATES	« ib.
COROL. IV.	*Christus humanis affectibus, doloribus et corruptioni obnoxius fuit ex naturae suae conditione*	« 116
	DIFFICULTATES	« 118
PROP. II.	*Christus Dominus de Spiritu Sancto conceptus est atque ex Maria Virgine salva ipsius integritate natus*	« 120
	DIFFICULTATES	« 122
CAPUT III.	DE UTRIUSQUE CHRISTI NATURAE HYPOSTATICA CONJUNCTIONE	« 134
ARTIC. I.	De unica Christi persona	« 136
PROP. I.	*Unica in Christo admittenda est eaque divina persona*	« 137
	DIFFICULTATES	« 139
PROP. II.	*Beata Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est*	« 147
	DIFFICULTATES	« 149
ARTIC. II.	De adoptianismo	« 154

PROP. *Jesus Christus est filius Dei naturalis, non autem adoptivus* pag. 155
DIFFICULTATES « 157
ARTIC. III. De distinctione duarum naturarum in Christo post unionem hypostaticam « 161
PROP. *Duae sunt in Christo naturae integrae distinctae, inconfusae atque impermixtae* « 162
DIFFICULTATES « 165
ARTIC. IV. De duplici in Christo voluntate et operatione « 170
PROP. *Duae naturales operationes et voluntates indivisae et inconfusae in Christo sunt confitendae* « 172
DIFFICULTATES « 176
CAPUT IV. DE COMMUNIONE IDIOMATUM ET ADORATIONE JESU CHRISTO DEBITA « 182
ARTIC. I. De idiomatum communione « ib.
PROP. I. *Admittenda est in Christo idiomatum communio in concreto* « 183
DIFFICULTATES « ib.
PROP. II. *Nullo modo admitti potest communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde Christi humanitati omnipotentia, ubiquitas, seu omnipraesentia* « 184
DIFFICULTATES « 186
ARTIC. II. De Christi adoratione « 188
PROP. I. *Uno eodemque supremo latriae cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, cum quo est hypostatice conjuncta* « 189
DIFFICULTATES « 193
PROP. II. *Cultus sacratissimi Cordis Jesu, prout ab Apostolica Sede probatus est, atque in ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et ab omni superstitionis labe immunis* « 194
DIFFICULTATES « 197
CAPUT V. DE CHRISTI TITULIS ATQUE MUNERIBUS « 204
PROP. I. *Christus verum et proprie dictum habuit sacerdotium, ejusque munia in mortali etiam vita complevit* « 206
DIFFICULTATES « 209
PROP. II. *Christus Jesus veri nominis mediator fuit* « 211
CAPUT VI. DE CHRISTI SATISFACTIONE ET MERITO « 212
PROP. *Christus vere et proprie pro nobis divinae justitiae satisfecit* « 215
DIFFICULTATES « 219

TRACTATUS DE CULTU SANCTORUM

PROOEMIUM « 235
CAPUT I. DE VARIA CULTUS ACCEPTIONE ET DIVISIONE « ib.
CAPUT II. DE RELIGIOSI SANCTORUM CULTUS HONESTATE AC PIETATE « 237
PROP. *Pius et omni idololatriae labe immunis est religiosus sanctorum cultus* « 238
DIFFICULTATES « 241
CAPUT III. DE SANCTORUM INVOCATIONE « 247

PROP. I. *Ex Sacris Litteris in primis evincitur, licitam esse et utilem sanctorum invocationem* pag. 248
DIFFICULTATES « 250
PROP. II. *Ex traditione et ecclesiae praxi ostenditur licitam esse et utilem Sanctorum invocationem* « 252
DIFFICULTATES « 257
CAPUT IV. DE RELIQUIARUM CULTU « 262
PROP. *Sanctorum reliquiae et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorantur* « 265
DIFFICULTATES « 267
CAPUT V. DE SACRARUM IMAGINUM USU AC VENERATIONE « 272
PROP. I. *Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse Sacrae Litterae ostendunt* « 273
DIFFICULTATES « 274
PROP. II. *Usus ac veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur* « 277
DIFFICULTATES « 281
CAPUT VI. DE CRUCE « 290
PROP. *Omni superstitione vacat tum cultus quem catholici Cruci dominicae ejusque imagini deferunt, tum usus Crucis signi quod passim ab ipsis usurpatur* « ib.
DIFFICULTATES « 294

TRACTATUS DE GRATIA

PROOEMIUM « 299

PARS PRIMA

DE GRATIA ACTUALI

CAPUT I. PRAELIMINARE DE GRATIAE ACTUALIS NOTIONE ET DIVISIONE « 305
CAPUT II. DE GRATIAE NECESSITATE « 306
ARTIC. I. De erroribus Pelagianorum circa gratiae necessitatem « ib.
PROP. I. *Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis* « 308
DIFFICULTATES « 310
PROP. II. *Necessaria est Dei gratia homini lapso, tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas* « 314
DIFFICULTATES « 317
ARTIC. II. De erroribus Semipelagianorum circa eandem gratiae necessitatem « 321
PROP. *Sine Sancti Spiritus illuminatione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei et in fide perseverantiam usque in finem* « 323
DIFFICULTATES « 325

ARTIC. III. De erroribus Novatorum saeculi XVI et Jansenistarum circa gratiae necessitatem pag. 334
PROP. I. *Potest homo lapsus absque speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, ac leves tentationes superare* « 335
DIFFICULTATES « 338
PROP. II. *Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere, nec omnia propterea infidelium opera vitia sunt aut peccata* « 343
DIFFICULTATES « 347
PROP. III. *Potest homo actuali gratia adjutus, ante adeptam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata* « 353
DIFFICULTATES « 356
ARTIC. IV. De erroribus circa gratiae necessitatem post adeptam justificationem « 357
PROP. I. *Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio* « 358
DIFFICULTATES « 361
PROP. II. *Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare* « 363
DIFFICULTATES « 365
CAPUT III. DE GRATUITATE GRATIAE « 367
PROP. *Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo* « 370
DIFFICULTATES « 372
CAPUT IV. DE NATURA AC DIVISIONE GRATIAE ACTUALIS IN ORDINE AD COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII « 377
ARTIC. I. De gratia efficaci « 379
PROP. I. *Gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem, seu homo liber est in actibus salutaribus* « ib.
DIFFICULTATES « 381
PROP. II. *Gratia efficax non consistit in delectatione coelesti, indeliberata, superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrice, voluntatem ad assensum necessario impellente* « 384
DIFFICULTATES « 387
ARTIC. II. Theologorum systemata circa gratiae efficaciam « 390
§ I. *Systema Thomistarum* « ib.
§ II. *Systema Augustinianensium* « 395
§ III. *Systema congruistarum* « ib.
ARTIC. III. De gratia sufficienti « 400
PROP. *Datur in praesenti statu gratia mere et vere sufficiens, quae homini completam et relative ad praesentes ejus circumstantias, expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia* « 401

	DIFFICULTATES	pag. 405
CAPUT V.	DE GRATIAE DISTRIBUTIONE	« 411
PROP. I.	*Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia praecepta*	« 413
	DIFFICULTATES	« 414
PROP. II.	*Deus omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum peccata praecavere tum a peccatis resipiscere*	« 417
	DIFFICULTATES	« 418
PROP. III.	*Deus peccatoribus etiam obduratis et obcoecatis gratias vere sufficientes confert pro loco et tempore, quibus possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere*	« 420
	DIFFICULTATES	« 425
PROP. IV.	*Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem*	« 428
	DIFFICULTATES	« 430
PROP. V.	*Deus quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus absque baptismo praeparavit, quibus ad salutem pervenire possent*	« 434
	DIFFICULTATES	« 435

PARS SECUNDA

DE GRATIA SANCTIFICANTE

CAPUT I.	PRAENOTIONES	« 437
CAPUT II.	DE JUSTIFICATIONE IMPII	« 441
ARTIC. I.	De justificationis essentia seu natura	« ib.
PROP. I.	*In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur*	« 443
	DIFFICULTATES	« 444
PROP. II.	*Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione; sed justificantur per gratiam et charitatem, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhaeret; neque gratia, qua justificamur, est tantum favor Dei*	« 448
	DIFFICULTATES	« 451
ARTIC. II.	De dispositionibus ad justificationem	« 454
PROP. I.	*In adultis ad justificationem consequendam aliquae praeter fidem dispositiones praerequiruntur, seu sola fides non justificat*	« 457
	DIFFICULTATES	« 460
PROP. II.	*Fides, quae ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quae Deus revelavit*	« 464
	DIFFICULTATES	« 466
ARTIC. III.	De proprietatibus justificationis	« 468

PROP. I. *Nemo absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec proinde tenetur credere se esse justificatum* pag. 469
DIFFICULTATES « 471
PROP. II. *Accepta justitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera, non est propterea in omnibus aequalis* « 475
PROP. III. *Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale* » 477
DIFFICULTATES « 480

PARS TERTIA

DE MERITO « 483

CAPUT I. PRAENOTIONES. DOCTRINA ECCLESIAE CATHOLICAE ET THEOLOGORUM OPINIONES CIRCA MERITUM « 485
CAPUT II. DE EXISTENTIA MERITI « 487
PROP. I. *Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam aeternam ejusque augmentum* « 488
DIFFICULTATES « 489
CAPUT III. DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS « 493
CAPUT IV. DE OBJECTO MERITI « 495

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE

PROOEMIUM « 499
CAPUT I. DE SACRAMENTORUM NUMERO « 502
PROP. *Sacramenta Novae Legis a J. C. D. N. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, baptismus videlicet, etc.* « 503
DIFFICULTATES « 505
CAPUT II. DE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS EFFICACIA SIVE EFFECTIBUS « 513
PROP. I. *Sacramenta Novae Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato* « 515
DIFFICULTATES « 518
PROP. II. *In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt* « 523
DIFFICULTATES « 524
CAPUT III. DE MINISTRO SACRAMENTORUM « 529
PROP. I. *In Sacramentorum ministro ad valide conferenda Sacramenta non est necessaria fides, adeoque validus est Baptismus ab haereticis rite collatus* « 530
DIFFICULTATES « 533
PROP. II. *Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert Sacramentum* « 537

DIFFICULTATES pag. 539
PROP. III. *In ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia* « 543
DIFFICULTATES « 544
CAPUT IV. DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CEREMONIIS « 547
PROP. *Recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt* « 548
DIFFICULTATES « 550
CAPUT V. IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA « 552

BX
1751
P453
v.3

Perrone, Giovanni
Praelectiones theologicae
1. ed.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 18 10 02 011 0